S. S. P.
p. tab. 28

COMMENTARIUS

IN

EPISTOLAS AD THESSALONICENSES

AUCTORE

Fr. IACOBO-MARIA VOSTÉ O. P.

LECT. S. THEOL. ET S. SCRIPT. LIC.

PROFESSORE EXEGESEOS NOVI TESTAMENTI IN COLLEGIO ANGELICO DE URBE

Accedit Appendix in decretum Commissionis Biblicae (18 Junii 1915)

WITHDRAWN
STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

ROMAE

LIBRERIA EDITRICE RELIGIOSA
F. FERRARI
Piazza Capranica, 102.

PARISIIS

LIBRAIRIE VICTOR LECOFFRE
J. GABALDA
Rue Bonaparte, 90.

1917

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

VOS

REVERENDISSIMO PATRI

FRATRI LUDOVICO THEISSLING

LXXVII TOTIUS ORDINIS MAGISTRO

AUCTOR

FILIUS PROVINCIAE S. ROSAE IN BELGIO

ANNO SAECULARI SEPTIMO

A SOLEMNI EIUSDEM ORD. CONFIRMATIONE

HUMILITER AC PERAMANTER

D. D. D.

" Si quidquam est... quod in hac vita sapientem virum teneat, et inter pressuras et turbines mundi aequo animo manere persuadeat, id essè vel primum reor, meditationem et scientiam Scripturarum. „

(S. Hier., *Prol. comm. ad Eph.*).

τὴν ἀγάπην
τῆς ἀληθείας (II, II, 10).

καὶ κρατεῖτε
τὰς παραδόσεις (II, II, 15).

Roma - Cooperativa Tipografica Manuzio, via di Porta Salaria 23-B.

PRAEFATIO

Commentarius hic in epistolas ad Thessalonicenses scriptus est occasione decreti Commissionis Biblicae de *Parousia* seu de *secundo adventu Domini* (18 iunii 1915).

Secundum programma huius *Collegii Angelici* anno academico elapso, 1915-1916, explicanda erat quaedam ex epistolis paulinis; statim ideo ac nobis notum factum est decretum supra-dictum, nec ullo momento dubitavimus de officio nostro exponendi epistolas eschatologicas seu ad Thessalonicenses, quas expresse designabat pontificia Commissio de Re Biblica. Quibus enim committit Ecclesia gravissimum onus cleri instruendi, primarium incumbit munus, hoc peragendi secundum disciplinam traditionalem ac semper novam Matris nostrae Ecclesiae.

Quaestionem arduam de parousia Domini in epistolis paulinis, an scil. Paulus parousiam imminentem vel saltem proximam exspectaverit, exegetice, historice et theologice examinavimus. Concludimus — ut verbis utamur Com. Bibl. — *Apostolum Paulum in scriptis suis nihil omnino dixisse quod non perfecte*

concordet cum illa temporis Parousiae ignorantia, quam ipse Christus hominum esse proclamavit „ (2^{um} dubium).

Ad solvendam difficultatem desumptam ex I Thess. IV, 15-17, adiecimus, post commentarium, appendicem historicam.

Alteram appendicem adiecimus in mysteriosum II Epist. caput II, quod tractat scil. de *signis praecursoriis parousiae*, non quidem ad proponendam novam solutionem, sed ut historice tantum referamus propositas sententias.

Quantum ad characterem huius commentarii, nec mere philologicus est, nec mere patristicus.

Qui philologice tantum explicat sacrum textum — ut plerique moderni — corticem quidem verbi Dei attingit, medullam vero seu doctrinam vivificam haud sapit. Similis est viro incredulo, qui coram ciborio consecrato positus, miraretur lapides pretiosos opusque artificiatum argenti vel auri, Christum vero, panem vitae, non agnosceret neque adoraret.

Neque tamen commentarius sit variegata contextio citationum Patrum ac Theologorum. Hic est alius excessus.

Omnes Patres ac principales theologos Medii Aevi, qui epistolas nostras interpretati sunt, percurrimus, imo principem exegetarum S. Pauli, *D. Iohannem Chrysostomum*, et Angelum Scholae, *D. Thomam*, bis aut ter attente legimus. Sed et moderni exegetae, qui potius philologi dicendi sunt, consulantur oportet, ut textus sacer etiam philologice exponatur. Ita fecit *S. Hieronymus*, Doctor maximus in interpretandis sa-

cris scripturis: *Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, et nonnullos Ecclesiasticos scriptores Graecos et Latinos: ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, iuxta Apostolum dicentem: Omnia probate, quod bonum est tenete* (I Th. V, 21) (1).

Suspicamur — venia sit huic candidae confessioni — suspicamur, nonnullos theologos obiecturos esse, hunc commentarium nimia scientia philologica esse oneratum; non ita cogitarunt nec cogitabunt qui studio S. Scripturae ex professo incumbunt.

Norunt tamen hi theologi, iure felices dogmatum expositione speculativa, textum sacrum tantum laborem tantamque curam mereri; norunt scientiam S. Scripturae, e qua dogmatum cognitio magna ex parte promanat, a textus sacri philologica investigatione incipere; norunt nullum esse theologum absolutum, sapientiae laude donandum, nisi qui doctrina linguarum instructus valeat ad fontes divinae revelationis conclusiones suas revocare. Quare Leo XIII in Encyclica *Providentissimus* commendat studium linguarum tum exegetis, tum theologis: *Sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati.*

Iterum huius praeclarum dedit exemplum S. Hieronymus, patronus noster, qui ipsos rabbinos habuit magistros.

---

(1) Epistola LXII, ad Tranquillinum, 2 (P. L. 22, col. 606).

Gratias agimus A. R. P. I.-B. Frey c. s. Sp. qui optimis consiliis in S. Scripturae studio nos adiuvat ac principales partes huius commentarii examinavit. Gratias etiam A. R. P. A. Vaccari S. J. qui, his ultimis feriis, per totum tempus et omni hora diei liberum aditum nobis concessit ad bibliothecam pontificii Instituti Biblici. Indefessa caritate nobis adstiterunt optimi nostri confratres R. P. Lector A. Colunga et R. P. I. Taurisano, sive in perlegendo manuscripto, sive in foliis preli corrigendis; quare etiam ipsis ex corde gratias dicimus.

Scribebam in festo Omnium Sanctorum Ordinis nostri, die 9 novembris 1916.

INTRODUCTIO

I. — Thessalonica.
II. — De fundatione Ecclesiae Thessalonicensium.
III. — Locus et tempus compositionis epist. ad Thessal.
IV. — Occasio et scopus.
V. — Doctrina.
VI. — Secundus adventus Domini in epist. ad Thessal.
VII. — Authenticitas.
VIII. — Textus.
IX. — Bibliographia.
X. — Abbreviationes.

I.

THESSALONICA.

Urbs Thessalonica (1) (*Θεσσαλονίκη* vel *Θεσσαλονίκεια*) aedificata est prope situm antiquae civitatis Thermae (*Θέρμη*). — Therma autem, prout scribit Herodotus (*Hist, l. VII, 121*) " Thermaeo sinui imminet, qui ab illa etiam nomen invenit „. Civitas ipsa Therma nomen habebat ab aquis calidis seu *thermis*, quae ibi copiosae manabant.

Referente Strabone (*Geogr., l. VII, fragm. 24*) " Thessalonicam civitatem condidit Cassander (circa 315 a. Chr.) qui de nomine uxoris, quae filia erat Philippi Amynthae filii (dimidia soror Alexandri Magni) eam nominavit, deduxitque in eam circumiacentia oppidula, veluti Chalastram, Aeneam, Cissum et alia quaedam. „

Supponi licet eam a primordiis fuisse civitatem magnam ac florentem : sita enim erat ad agros fertiles rigatos fluminibus Axio, Lydia et Haliacmonte, ac natura ipsa habebat portum optime protectum, ita ut de ea dici potuerit: Quamdiu natura mutata non fuerit, Thessalonica urbs erit dives ac prospera. Non solum hodie sed et per totam historiam basis navalis fuit maximi momenti (*Liv. XLIV, 10*).

Macedonia anno 168 a. Chr., imperio Romanorum subiecta et in quatuor regiones divisa, Thessalonica facta est caput

---

(1) Opus speciale optimum consulendum: Tafel, *Historia Thessalonicae* (1835), praefixum operi maiori (1839): *De Thessalonica eiusque agro. Dissert. geographica.* — Cf. etiam: Lightfoot, *Bibl. Essays,* VII: *The Church of Thessalonica,* p. 251-269. — *Encyclopaedia Biblica Cheyne.* - Introductiones ad commentarios, praecipue Bornemann, Milligan, Findlay.

STUDIO
Province of Holy C

Macedoniae secundae; his quatuor demum regionibus in unam provinciam coniunctis, Thessalonica facta est caput et metropolis totius Macedoniae.

Sita ad celebrem *viam Egnatiam*, qua connectebatur versus occidentem cum Dyrrachio, portu maris Adriatici, versus orientem : " usque ad Cypsela et Hebrum fluvium „ (*Strabo Geogr., l. VII, c. VII, n. 4*), Thessalonica erat quasi centrum quo convergebant Oriens et Occidens; quare iure merito Cicero dicere potuit : " Thessalonicenses positi in gremio imperii nostri „ (*De prov. consul., 2*). Qui Thessalonicam possidet, viis dominatur Orientis.

Hic vixit Cicero exul (*Pro Planc., 41*). Durante primo bello civili (49 a. Chr.) Thessalonica sedes fuit factionis Pompeianae (*Dio Cass. XLI, 18*) ; grassante vero secundo bello civili se partibus miscuit — victorum ! — Octavii et Antonii. (Quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat !) Quare videtur dotata quadam independentia; Plinius enim de ea loquitur tamquam : " *liberae conditionis* „ *(Hist. nat., IV, 17)* ac inventae sunt monetae cum inscriptione sequenti: *Θεσσαλονικεων ελευθερια(ς)*. Tempore Pauli videmus eam gubernatam a propriis magistratibus, quos Lucas, cum mira praecisione historica, technico nomine *πολιτάρχαι* appellat (Act., XVII, 6). Titulus iste aliunde non cognoscitur nisi ex inscriptione Thessalonicae inventa.

Strabo, paulo ante Apostoli ministerium inter Tessalonicenses scribens, testatur : " Thessalonica, Macedonica urbs, hodie prae caeteris hominum copia floret „ *(ibid., VII, 7, 4);* quod Lucianus confirmat, Thessalonicam vocans maximam Macedoniae civitatem *(Lucius... 46)*.

Religio Thessalonicensium, hoc eodem tempore, colluvio erat insana et insipida deorum graecorum et romanorum, prout observatur per totum imperium. Modo speciali pro Thessalonica notandus est mysteriosus cultus *unius* Cabyri (1), quem a Sa-

(1) *Dict. des Antiquités Grecques et Romaines* (Daremberg-Saglio) Cabiri, VII, p. 769.

mothracia receperant. Cultus ille sub umbra religionis immoralitati indulgebat, inde forte apologia Pauli: " exhortatio — seu doctrina — nostra non de errore *neque de immunditia* „ (I Th. II, 3), ac insistentia eius in recolendis praeceptis castitatis (I Th. IV, 3-8, *cf. comm.*).

Prout mox videbimus, Judaei ibi magno numero erant et Synagogam habebant, ad quam confluebant etiam proselytae multi. Ita — Deo disponente — praeparata est via praedicationi Pauli.

— Historia post-biblica Thessalonicae nostra minus interest.

Gloriosum nomen habet in annalibus ecclesiasticis (1), ita ut ab eius historico Tafel iure vocari potuerit: *fax quaedam humanitatis... fideique christianae promotrix.* Eius principalis sanctus ac patronus est *Martyr Demetrius*, quem *magnum martyrem* vocant.

Sed videtur iam s. IX in schisma cecidisse, ac etiam hodie metropolis est schismatica.

Post varios casus sub iugo redacta est Turcarum anno 1430. Demum anno 1911 (mense novembri) inimici Crucis inde expulsi sunt, ac congressus Bucarestii (1° aug. 1913) Thessalonicam univit regno hellenico (2). Recentissima eius historia omnibus nota est.

Hodie vocatur *Saloniki.* Secundum aestimationem recentem, incolae eius numerantur 150.000, quorum non minus quam 90.000 Judaei. Hi autem non considerantur ut posteri auditorum Pauli, sed ex Hispania proveniunt expulsi a Ferdinando et Isabella; qui *iudaei-hispanici* adhuc hodie dialectum loquuntur hispanicam, et in Oriente vocantur: *Sephardim.*

---

(1) Cfr. *Kirchenlexikon*, vol. XI, *Thessalonich.*

(2) Cfr. Prof. Angelo Pernice, *Origine ed evoluzione storica delle nazioni balcaniche* (1915).

II.

DE FUNDATIONE ECCLESIAE THESSALONICENSIUM.

In secundo suo itinere apostolico (circa a. 50) (1) venit S. Paulus Thessalonicam, comitantibus eum Silvano ac, probabiliter, Timotheo. An Timotheus fundationi ecclesiae Thessal. cooperatus sit, cum certitudine affirmari nequit ob silentium Act. XVI, 19 — XVII, 14. Valde probabile tamen videtur, quia eius nomen venit cum nominibus Pauli et Silvani in inscriptione utriusque epistolae ad Thessal.; quam conclusionem confirmat eius missio apud illos (2) (I Th. III 2). — Circa Silvanum et Timotheum cfr. comm. I Th. I, 1.

Ministerium Apostoli apud Thessalonicenses narratur in Act. Apost. c. XVII 1-9.

Troade, in Asia, visione monitus transfretavit Paulus ad Europam ac Neapolim, Macedoniae portum, appulit. Mox Philippis praedicat Evangelium, — inter alia ibi confert baptimum Lydiae; puellam spiritum pythonem habentem liberat, quapropter in vincula coniiciuntur Paulus et Silas, sed terraemotu facto magno liberi dimittuntur (A. A. XVI).

Inde perambulaverunt, viam sequentes Egnatiam, Amphi-

---

(1) Pro Chronologia vitae Pauli admittimus conclusiones recentis studii Brassac in R. B. 1913, p. 36-53, 207-217: *Une inscription de Delphes et la Chronologie de S. Paul* (secundum iter apostolicum: a. 49-52, cfr. p. 216). Cfr. caput sequens.

Conferri etiam potest: Prat in *Recherches de Sc. Rel.* 1912 p. 372-391: *La Chronologie de l'âge apostolique.*

(2) Ita plerique v. gr. Bornemann, p. 15, Knabenbauer, p. 2.

polim et Apolloniam, veneruntque Thessalonicam, quae tunc temporis caput Macedoniae erat ac maxime frequentata incolis.

Multi ibi habitabant Iudaei, commercio attracti: " Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis, adaperiens et insinuans, quia Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis : et quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis „ (XVII, 2-3).

En ergo methodum et obiectum praedicationis Pauli: secundum consuetudinem suam *Judaeo primum* praedicat, deinde Graeco ; atque fons praedicationis eius est *Scriptura.*

Quid docet? Passionem Messiae eiusque resurrectionem praedictam a prophetis. Atque concludit: Hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis.

Prout autem ex sequenti accusatione deducitur, modo speciali immoratus est Paulus in fundato *regno* messianico ; et — uti addiscimus ex epistolis ad Thess. — in glorioso reditu Regis Messiae.

Praedicationis Apostoli hic erat effectus: " aliqui (*τινες*) ex illis scil. Judaeis, crediderunt et adiuncti sunt Paulo et Silae, colentium Graecorum autem (*τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων*) multitudo magna et mulieres nobiles non paucae „. (v. 4). - Hi *colentes* Graeci (*σεβόμενοι* vel *φοβούμενοι τὸν θεόν*) non sunt proselytae (*προσήλυτοι*) qui circumcisione et observatione Legis perfecte iudaicae communitati aggregati erant, sed pii Graeci qui Judaeos imitabantur in cultu unius Dei ac eorum Synagogam frequentabant (1). — Maior ergo pars credentium Thessalonicae ex gentilitate oriundi erant, quod etiam apparet ex I ad Thess. I, 9, II, 14. Pauli autem ac Evangelii principales adversarii ex Judaismo erant, Act. Ap. XVII, 5.

— Quanto autem tempore Apostolus Thessalonicae remanserit, cum certitudine statui nequit.

Tria Sabbata enim, de quibus in v. 2, non designant *totum* tempus habitationis eius Thessalonicae, sed praedicationis *in*

---

(1) Cfr. Schürer, *Geschichte des Iüd. Volkes*, III, 4 ed., p. 173 sq.

Synagoga. Diversa indicia tum Actuum tum Epistolarum supponunt non hebdomadas sed menses, ita FINDLAY (1), secundum aestimationem RAMSAY (2): *a decembri 50 ad maium 51.* Non nimis determinando res scribit MILLIGAN (3): per plures menses. Receperat enim Apostolus bis auxilium a Philippensibus (Phil. IV, 15-sq) quamvis et ipse manibus suis laboraret. Deinde *multitudo magna* de colentibus Graecis conversa est ad fidem, et movetur in Apostolos civitas tota (Act., XVII, 4, 5-sq.).

Allusiones epistolarum ad ministerium Pauli idem innuunt, v. gr. I Th. I, 9, II, 1-12; item stabilitas fidei Thessalonicensium I Th. II, 13 sq., ac organizatio eorum ecclesiae, *ibidem* V, 12. Demum tonus tenerrimus (4) prioris praecipue epistolae melius explicatur in hypothesi diuturnae habitationis in medio illorum (5).

Hoc autem ex ipso contextu nobis videtur certum — quidquid dicat BORNEMANN, *l. cit.* — verba ista: *per sabbata tria* (v. 2) non indicare tempus *habitationis* Pauli Thessalonicae, sed eius *praedicationis in synagoga.*

Quum enim expertus esset Apostolus, laborem suum inter Judaeos inutilem esse, conversus est — prout alibi fecit — ad gentiles, quos per plures menses docuit de Jesu Eiusque Regno, ita ut *multitudo magna* (v. 4) crederet in Eum.

Inde crescens invidia Judaeorum, quae demum in apertam persecutionem prorumpit: " Zelantes autem Judaei, i. e. *invidia*

---

(1) *Cambr. Greek Test.*, p. XX.

(2) *S. Paul the Traveller* (1895) p. 228: " December 50 - May 51 seems a probable estimate „.

(3) *S. Paul 's Epist. to the Thessal.*, p. XXVIII : *several months.* — v. DOBSCHÜTZ: 6 Wochen (p. 17).

(4). PRAT, *La théologie de S. Paul*, I, p. 104 : avant d'arriver au point capital, il épanche son coeur et semble vouloir épuiser le vocabulaire de l'affection etc.

(5) Quaestionem an Paulus diutius quam per tres hebdomadas remanserit Thessalonicae, BORNEMANN insolutam reliquit et addit... nimis scepticus : *Dafür besitzt ein jeder nur einen ganz willkürlichen, subiektiven und unsicheren Massstab*, p. 16. — Item FRAME, p. 7.

ferventes, assumentesque de vulgo (*τῶν ἀγοραίων - forensium* (1) viros quosdam malos, et, turba factā, concitaverunt civitatem: et assistentes domui Jasonis quaerebant eos producere in populum „ (v. 5). Apud hunc Jasonem videntur Apostoli devertisse. " Et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem et quosdam fratres ad principes civitatis (*ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας* (2) „.

Quaenam est accusatio? : " Hi, qui Orbem (3) concitant, et huc venerunt, quos suscepit Jason, et hi omnes contra decreta Caesaris faciunt, *regem alium dicentes esse Jesum* „ (v. 6-7).

Talis accusatio iam contra ipsum Jesum obiecta fuerat (Luc. XXIII, 2; Joh., XXI, 12, 15), et, propter tam frequentes seditiones politico-religiosas huius temporis, *actualis* dici poterat. Paulus ideo Jesum praedicaverat Regem Messianicum. Politarchae autem, accusatione consueta audita, non poterant non aurem praebere; agebatur enim de laesa dignitate imperatoris. Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris! " Et accepta satisfactione, sive mulcta imposita, sive promissione data, a Iasone et a ceteris, dimiserunt eos „ (v. 9).

Paulus ergo et Silas profecti sunt *Beroeam*, qui cum eo venissent, in Synagogam Iudaeorum introierunt. Hi autem erant nobiliores animo quam Thessalonicenses, atque receperunt verbum cum omni aviditate. Multi Iudaei crediderunt, et Graecae mulieres nobiles atque viri non pauci (Act. XVII, 10-13).

At Evangelii successus iterum invidiam excitat Iudaeorum, qui Thessalonica veniunt Beroeam, commoventes et turbantes multitudinem. Statimque Paulus, comitantibus fratribus nonnullis, per viam maris profectus est *Athenas*. Silas autem et Timotheus remanserunt Beroeae; ipsi tamen paulo post Athenas ad Paulum videntur convenisse (15-16 comp. I Th. III, 1-2).

Thessalonica, secundum *Acta*, profecti sunt Paulus ac Silas, nec verbo dicto de Timotheo. Hic vero, Beroeae, legitur

---

(1) *The lazzaroni of the market - place.* MILLIGAN.
(2) Cfr. supra, pag. 4.
(3) Graece : *τὴν οἰκουμένην*; Vg. : *Urbem.*

cum Sila etiam Timotheus remanere. Supponendum ergo est Timotheum solum remansisse Thessalonicae, ac postea Beroeam Paulum et Silam assecutum esse, nisi etiam cum illis Thessalonica venerit Beroeam.

Inde solus aufugit Paulus, remanentibus eius sociis, qui tamen statim videntur Magistrum Athenas adiisse, unde Timotheus iterum missus est ad Thessalonicenses (I Th. III, 1-2), ac forte Silas ad Philippenses.

In Areopago Athenensi praedicat Paulus Deum quem ignorant et Iesum Christum a mortuis suscitatum (XVII, 16-34).

Deinde profectus est *Corinthum*, ibique apud Aquilam Iudaeum hospitio receptus est; erant enim eiusdem artis, scenofactoriae scil., quae ars nationalis erat Ciliciae, patriae Pauli. Corinthi sedit per annum et sex menses (Act. XVIII, 11).

Hinc Paulus scripsit epistolas ad Thessalonicenses, quum rediissent de Macedonia Silas et Timotheus (*ibid.*, 5; comp. *caput sequens*).

Sed iterum ac iterum invidia Iudaeorum delatus est coram Gallione, proconsule Achaiae (1) (anno 52). At Gallione de hac quaestione religiosa haud curante, dimissus est. " Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam „. (Act. XVIII, 18).

— Nota: *Timotheus in Macedonia.*

Lystris, in Galatia, Timotheus ut socius Paulo et Silae adiunctus est (Act. XVI, 3), sed de Timotheo iterum mentio tantum fit, quando narratur Pauli profectio a Beroea. Notant enim Acta: *Silas et Timotheus remanserunt ibi* (XVII, 14).

Quum Athenas advenisset Apostolus, quantocius vocavit socios suos. Sed an venerint, ex Actibus nescimus (XVII, 15).

---

(1) Probat Brassac, *l. cit.*, ex inscriptione Delphica, Gallionem proconsulem Achaiae fuisse a vere 51 ad ver 53; cfr. p. 216 (R. B. 1913): *épisode de s. Paul et Gallion, probablement l'hiver ou le printemps 52.*

Legitur vero paulo infra (XVIII, 5) Silam et Timotheum de Macedonia apud Apostolum Corinthum rediisse.

Attamen ex I Th. III 1-2 scimus Timotheum cum Paulo Athenis fuisse, et ideo cum Timotheo probabiliter etiam Silas a Beroea Athenas venit.

Quando Paulus ergo Timotheum remisit ad Thessalonicenses, forte Silam ad Philippenses misit, a quibus bis receperant subsidia (Phil. IV, 15). Redierunt vero de Macedonia, non iam Athenas, sed Corinthum, uti legitur Act. XVIII, 5.

Hoc modo posset incompleta narratio Actuum connecti cum datis historicis I ep. ad Thessal. (1).

---

(1) Cfr. MILLIGAN, p. XXX, *alii aliter*.

III.

LOCUS ET TEMPUS COMPOSITIONIS EPISTOLARUM AD THESSALONICENSES.

— *Praenotamina circa chronologiam vitae S. Pauli.*

A. — *Synchronismi principales:*

1. — *Conversio Pauli* (Act. IX et l. par., Gal. I, 18, II Cor., XI, 32).

Tertio anno post conversionem suam aufugit Paulus Damasco, quae tunc gubernata dicitur a praefecto *Aretae*, regis Nabataeorum. Iamvero Damascus tempore Tiberii pertinebat ad Syriam, non vero ad regnum Nabataeorum. Supponi ergo licet Caligulam, Tiberio mortuo (37 p. Chr.), Aretae regi hanc civitatem concessisse. (Cfr. Schürer, *op. cit.*, I, p. 737: *Geschichte der Nabatäischen Könige*).

2. — *Mors Herodis Agrippae* (Act. XI, 30 — XII, 25).

Occasione famis Iudaeam affligentis, Barnabas et Saulus vadunt Hierosolymas, ac dum ibi essent, Caesareae moritur Herodes Agrippa, quae mors accidit anno 44.

3. — *Gallio, proconsul Achaiae* (Act. XVIII, 11-18).

Corinthi, ad finem secundi itineris apostolici, Paulus defertur coram Gallione, proconsule Achaiae. Scimus proconsulatum tantum durasse per unum annum. Iamvero inscriptio quaedam Delphi inventa refert nomen Gallionis proconsulis; ex cuius studio concluditur Gallionem rexisse Achaiam inter annum 51 et 52 " *sûrement du printemps 51 au printemps 53, probablement même entre la fin d'avril 51 et la fin d'avril 52* „ ita *Brassac*, l. cit., p. 50.

4. — *Revocatio procuratoris Felicis.* (Act. XXIV, 27).

Certa et exacta determinatio anni, quo revocatus est Felix, impossibilis est. Plerique admittunt annum 60. Aliqui, inter quos praecipue Harnack ascendunt usque ad initium regni Neronis (54) i-e. ad an. 55-56. Argumenta allata in favorem huius sententiae reiecit *Schürer*, qui

ita concludit: certissime non ante 58, neque post 61, probabilius anno 60. (*Op. cit.* I, p. 577-579, nota 38).

B. — *Conclusiones:* (Brassac, *l. cit.*, p. 216).

Conversio S. Pauli, probabiliter anno 36 (non ante 34, neque post 37; cfr. *synchr. 1*).

Fuga e Damasco, 3° anno post conversionem, a. 38-39.

Iter (2um) Hierosolymitanum, occasione famis, a 44 (cfr. *synchr.* 2).

Primum iter apostolicum, a. 45-48.

Concilium Hierosolymitanum, a. 49.

Secundum iter apostolicum, a. 49-52 (cfr. *synchr. 3*).

Tertium iter apostolicum, a. 53-58. Comprehenditur in Templo a Iudaeis: *captivitas.*

Caesareae in carcere (*l. cit.* biennio ante revocationem Felicis) a. 58-60, (cfr. *synchr. 4*).

Advenit Romam, 61.

Prima captivitas Romana (biennio Act. XXVIII, 30) 61-63.

1ª Epistola.

Haec prima epistola nobis exhibetur tamquam scripta post reditum Timothei Thessalonica (III, 6), dum Apostolus secum habebat socios Silvanum et Timotheum (I, 1). Scimus vero ex narratione Actuum Silvanum et Timotheum, de Macedonia revertentes, Paulum Corinthi reperisse (XVIII, 5), atque ex sequenti narratione Lucae non amplius apparent simul. — Forte hic idem Silvanus est qui postea erit socius S. Petri (I, Petri, V, 12).

Ergo *Corinthi* scripta est haec prior epistola ad Thessalonicenses, mox idem dicemus de posteriore.

Manuscripta quidem nonnulla subscriptionem habent, referentem Athenas ut locum compositionis: *εγραφη απο Αθηνων*, quod multi ex antiquis revera admiserunt. Haec vero indicatio nititur I, Th. III, 1-2 male explicato.

Nam Timotheus quidem Athenis (1) missus est ad Thessalonicenses, non vero reversus est Athenas sed Corinthum, atque

(1) a *Beroea*, dicit Blass (*Acta Apost.*, XVII, 14) contra claram indicationem I Th. III, 1-2.

post hunc reditum scripta est epistola nostra. Subscriptiones illae, prout omnibus notum est, non sunt opus auctorum sacrorum sed amanuensium (1).

— Cum conclusione nostra, quae generalis est inter exegetas, optime quadrat *character internus* epistolae.

Nam inter praedicationem Pauli Thessalonicae et ministerium Atheniense brevius est tempus ut explicari possint tribulationes Thessalonicensium (II, 14), impatientia Pauli eos iterum videndi (II, 17-18) et missio Timothei (III, 1-8), praecipue vero magna diffusio ac salutaris influxus fidei et exempli eorum in Macedoniam et Achaiam (I, 7, IV, 10).

Ex altera parte neque post Pauli profectionem a Corintho potest removeri huius epistolae compositio, quia reminiscentiae adhuc sunt vividissimae (I, 5, II, 1 sq.) et quia ipse dicit se nondum multo tempore ab eis separatum esse (II, 17).

Ergo — ut nunc loquamur de *tempore* compositionis — probabilius in initio ministerii Corinthi; nam Corinthi remansit Apostolus per annum et dimidium (Act. XVIII, 11). Immediate post reditum Timothei scripsit pater gaudens de perseverantia filiorum (III, 7-8). Reditus vero Timothei legitur in Actibus immediate ante factum Gallionis quod, secundum studium pluries citatum Brassac, accidit probabiliter hieme aut vere anni 52 (cfr. *ibidem*, p. 216). Concludimus ergo epistolam esse scriptam vel ad finem 51 vel initio 52 (2).

2ª Epistola.

De loco et tempore compositionis alterius epistolae idem dicendum est. In quaestione enim essentiali, scil. *de secundo*

---

(1) Cfr. Von Soden: *Die Schriften des N. T.*, I, 1, p. 300 sq. Occurrit etiam in *syr.-phil.* subscriptio: *scripta fuit a Laodicea*, sec. Col. IV, 16; at *min.* 474 optime quidem: *απο Κορινθου*.

(2) V. Brassac, *Manuel Biblique*: " au début de 53, vers les premières semaines ou les premiers mois du séjour de S. Paul à Corinthe „ (ed. 1911, p. 191). Post studium citatum eiusdem auctoris, indicatio anni est corrigenda, prout fecimus.

adventu Christi, manifeste posterior epistola dependet a priori, eamque explicat, prout iam S. Hieronymus notavit (*corrigit eos, secundam epistolam scribens; ep. CXIX, P. L., 22*). Ergo paucis mensibus tantum distabit a priori, et quidem etiam Corinthi scripta est, prout insinuatur caeteroquin simili inscriptione (II, Th. I, 1).

Post GROTIUM pauci (1) tenuerunt, hanc secundam epistolam scriptam esse ante primam. Sed manifeste in doctrina et tono severiori subordinata est secunda primae.

— Hucusque consensu unamini consideratae erant epistolae ad Thessalonicenses tamquam prima scripta Apostoli. Ita iam *Herveus: hanc epistolam* (*nisi fallor*) *primam omnium scripsit* (2). Recentiori vero tempore, epistolae illae locum cedere debuerunt epistolae ad Galatas, quam nonnulli — atque crescit eorum numerus praecipue inde a studio V. WEBER (3) — ante Concilium ponunt Hierosolymitanum, ita removentes difficultates quae sequuntur ex identificatione inter Act. XV et Gal. II, 1-10. Haec quaestio suo loco tractabitur.

---

(1) MILLIGAN, *op. cit.*, p. XXXIX.

(2) P. L., 181, col. 1357.

(3) *Die Abfassung des Galaterbriefs* (1900). Cfr. R. B. 1901, p. 319; 1907, p. 435, et MILLIGAN, p. XXXVII.

IV.

OCCASIO ET SCOPUS.

1ª Epistola.

Scopus huius prioris epistolae duplex est: *apologeticus* et *dogmaticus.*

a. — Iudaei, qui Paulum Thessalonica eiecerant, non cessarunt absentem Apostolum persequi, sed eum omni modo calumniati sunt: Pauli doctrina est ab homine (I, 5), erronea est, immunditiae indulget, ipse decipit vos (II, 3). Seipsum quaerit et pecuniam vestram; gloriam appetit et favorem hominum (*ibidem*, 4-6).

Quare Apostolus primo se defendit, semper invocando testimonium ipsorum Thessalonicensium: *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu sancto, et in convictione magna, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos* (I, 5). *Exhortatio nostra non de errore*, i. e. *erronea, fuit neque de immunditia, neque in dolo* (II, 3). Non seipsum quaesivit sed gloriam Dei tantum et salutem discipulorum pro quibus multum passus est: *sicut probati sumus a Deo ut crederetur nobis Evangelium: ita loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiae: Deus testis est: Nec quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis* (II, 4-6). Et ita pergit Apostolus, se defendendo contra insinuationes detractorum, *per tria prima capita*. Recentissimum signum amoris eius missio erat Timothei

qui ipsi circa eos laeta nuntiat: *Nunc vivimus, quia vos statis in Domino* (III, 8).

β. — Alter scopus est *dogmaticus: ut compleamus ea quae desunt fidei vestrae* (*τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν*) III, 10. Quod prosequitur S. Paulus in capite IV et V.

Medias inter tribulationes remanserant stabiles in fide (I, 6; II, 14), quare Apostolus laudat eos et gratias agit Deo repetitis vicibus. Attamen recordari debent praeceptorum quae dedit eis per Dominum Iesum. *Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra:* ergo fornicatio est fugienda, matrimonium sanctificandum et ne alter alterius uxorem concupiscat (IV, 1-8). Deinde ne pigri et anxie discurrant ob praetextam imminentem parousiam Domini (IV, 9-12). — *Hic* demum tangimus rationem principalem quare Apostolus Thessalonicensibus scribere debuerit. Parousiam enim imminentem falso putantes, tristes erant circa sortem futuram fratrum defunctorum, quos credebant in statu peiori quam viventes: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut coeteri qui spem non habent* (IV, 13). Mortui primo resurgent, ergo " NOS VIVENTES, QUI RELINQUIMUR IN ADVENTUM DOMINI, NON PRAEVENIEMUS EOS QUI DORMIERUNT „ *sed omnes simul rapiemur in nubibus coram Domino, et sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem in verbis istis* (IV, 13-18). Fusius de hoc infra. Interim, concludit Apostolus, exspectantes diem Domini, qui ut fur in nocte veniet, *vigilate* (cap. V).

2ª Epistola.

Prout iam notavimus, in doctrina et in ipso tono severiori manifeste subordinatur haec altera epistola priori.

Turbulenti eschatologica proferentes non quiescunt; e contra nunc invocant ipsius Apostoli verba, vera vel supposita, ad probandam imminentiam parousiae: *Rogamus vos fratres circa adventum Domini nostri Iesu Christi et nostram unionem cum ipso, ut non cito turbemini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam a nobis,* QUASI INSTET DIES DOMINI. *Ne quis vos decipiat ullo modo* (II, 1-3).

Occasio vero huius crescentis anxietatis imprimis fuerat ipse modus loquendi Apostoli, qui paritatem mortuorem et viventium in die Domini docuerat utendo verbis ac hypothesi Thessalonicensium. Hi revera seipsos credebant mox futuros testes gloriose venientis Domini. Istis verbis ergo: ***nos qui vivimus qui residui sumus in adventum Domini*** etc. (quae verba Thessalonicensium erant) docuerat Paulus omnium, viventium mortuorumque, paritatem in die parousiae, non vero huius diei imminentiam, prout falso intellexerant Thessalonicenses. Ita iam S. Hieronymus explicavit occasionem huius secundae epistolae: " Hoc intellexerant et ipsi Thessalonicenses, sacramenta sermonis mystici nescientes, et coniecturis variis fluctuabant, dicebantque: Si Paulus inveniendus in corpore est, proximus est dies iudicii. *Unde corrigit eos, secundam Epistolam scribens* „. (Ep. CXIX, P. L. 22 col. 971).

In priori ergo epistola Apostolus nihil docuerat relate ad proximitatem vel imminentiam diei Domini, tantummodo verbum Domini repetierat: *vigilate* ... nam dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet (I, v, 2 sq.). Nunc aperte docet diem Domini non venturum esse, nisi praecesserint signa ab Ipso Domino praedicta: apostasia scil. magna a fide, et Antichristi apparitio manifesta " non veniet Dominus, nisi venerit apostasia primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis „ etc.... (II, 3 sq.). Fusius infra.

Deinde severius agit contra pigros inquietos nunc peccato inobedientiae obnoxios; vult Apostolus ut boni illos vitent. Qui autem laborare nolunt, nec habeant unde manducent (III, 6-12).

Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam omnimodam (*ibid.*, 16).

V.

DOCTRINA.

Mirae profunditatis et fecunditatis sunt verba Divi Pauli, ut ipse S. Petrus iam testatur in secunda epistola c. III, 16. Diligens ideo et pius lector semper nova et prius inobservata in eius epistolis invenit. Non possumus satis eas meditari, in eis esse, eo vel magis quod sunt nobis *verbum vitae.*

Hic ergo tantum *praecipua capita doctrinae* indicabimus; pro maiori vero explicatione conferendus est commentarius. — In omni veritate dicuntur epistolae ad Thessalonicenses, inter caeteras Pauli epistolas, minus *paulinae.* Hic non habetur dogmatica vel apologetica expositio de gratia et lege, de abrogatione legis per gratiam, de morte propitiatoria Christi, de iustificatione per fidem. Haec, quae paulinam doctrinam constituunt, ex professo in epistolis nostris non tractantur. Vox *σάρξ* = *caro* ut opposita *spiritui*, nec nominatur; similiter vox tam paulina *δικαιοσύνη* = *iustitia* nec semel occcurrit; vox *χάρις* = *gratia* extra salutationes et benedictiones c. I, I, 1, V, 28; II, I, 2, III, 18) bis tantum in 2ª I, 12, II, 16; *νόμος* = *lex* nullibi (1).

Doctrina propria et praecipua harum epistolarum refertur ad *parousiam Domini* et eventus eschatologicos eam praecessuros. Doctrina haec in capite sequenti exponetur.

I. *Doctrina dogmatica.*

Deus, quem Creatorem et unicum Dominum universorum sublime praedicavit Paulus in Areopago, hic etiam apparet

(1) Cfr. Milligan, op. cit., p. LXIII sq.

unus, *Dominus supremus* a quo Apostoli et discipuli dependent (Act. XVII, 22 sq.).

Gentes ignorant Deum (I, IV, 5), inter quas fuerunt etiam Thessalonicenses, nunc vero conversi sunt ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero (I, I, 9).

Fides nostra est ad Deum (I, I, 8), Evangelium est a Deo (I, II, 2, 8, 9, 13). In Deo et Iesu Christo uniuntur fideles (I, I, 1, II, 14; II, I, 1). A Deo est omne bonum et omnis gratia (I, III, 11 sq. V, 23; II, I, 11, III, 16).

A Deo est vocatio et auctoritas apostolica (I, II, 2-4).

Similiter Thessalonicenses elegit et vocavit (I, I, 4, II, 12; II, I, 11, II, 13); et fidelis est in beneplacito suo super eos (I, V, 23; II, III, 3), est pater noster (I, I, 3 etc.).

Testis est actionum nostrarum, probat corda (I, II, 4, 5, 10, III, 13, IV, 1). Sanctificatio nostra est voluntas Eius, Ipsi placere debemus (I, IV, 1, 3, 7).

Iudex est hominum, remunerator quidem bonorum, vindex vero malorum (I, II, 16, IV, 6; II, I, 5 sq.).

Iesus Christus historicus supponitur, suscitatus, assumptus est in coelum ut Dominus, unde *rediturus* est in gloriosa parousia; est Filius Dei, *Deus sicut Pater*.

Occisus est a Iudaeis (I, II, 15); nos redemit morte sua (I, V, 9-10; cfr. *commentarium*); nos eripuit ab ira ventura (I, I, 10). Sicut resurrexit Iesus, ita et nos resurgemus cum eo (I, IV, 14 sq.).

Ipse est exemplar nostrum et auctor Evangelii (I, I, 6, 8; II, III, 1).

Una cum Patre est principium unionis et vitae spiritualis fidelium (I, I, 1; II, I, 1, 12 etc.); auctor et fons gratiae (cfr. *bened. et salut., et passim*).

Eaedem actiones supernaturales tribuuntur Deo et Iesu Christo (I, III, 11-12; II, II, 16, III, 5). Passim vocatur *Κύριος*, nomen divinum (*Iahwe*) in V. T. (cfr. *comm.* III, 12). Vocatur Filius Dei (I, I, 10).

Ergo Iesus Christus est Deus.

Eum iterum exspectamus gloriosum venturum e coelis, vindicem malorum (I, I, 3, 10, IV, 6 etc.); sancti vero participes erunt gloriae eius (I, IV, 16, I, 1, 10 etc.). Cfr. cap. seq.

Spiritus Sanctus confert efficaciam verbo apostolorum (I, I, 5), fons est gaudii christiani (I, I, 6) et charismatum (I, V, 19).

Principium demum altissimae doctrinae mysticae christianae, de habitatione Spiritus Sancti in animis fidelium, sequentibus verbis exprimitur: *Deus dedit Spiritum suum sanctum in nobis* (I, IV, 8).

II. *Doctrina moralis.*

Praecepta moralia particularia traduntur in altera parte utriusque epistolae (I, IV sq.; II, III sq.).

Insistit Paulus, *propter parousiam Domini*, in duplici praecepto: α) *vigilandum est*, ne scil. dies Domini, tamquam fur, nos comprehendat (I, V, 4); — β) *operemini manibus vestris* (I, IV, 11), nonnulli enim inquieti et turbulenti deposuerant omnem laborem exspectantes imminentem parousiam Domini (I, IV, 11-12; II, III, 6-10).

Regula suprema actionum nostrarum est voluntas Dei, qui vult sanctificationem nostram (I, IV, 3, 7). Servimus Deo vivo et vero (I, I, 9), et vita sancta placemus Deo (I, IV, 1), ambulamus digne Deo qui vocavit nos in suum regnum et gloriam (I, II, 12; II, I, 11); ita ergo inveniemur irreprehensibiles in sanctitate, ante Deum et Patrem nostrum, in adventu Domini nostri Iesu Christi (I, III, 13), qui retribuet bona bonis, malos vero puniet (II, I, 6 sq; I, IV, 6).

Malum ergo faciens non hominem spernit sed Deum (I, IV, 8).

Fides est principium salutis (I, II, 16). Qui non obedierunt Evangelio, poenas luent aeternas a facie Domini (II, I, 8). Tanti momenti est *fides*, ut Christi discipuli *credentes* (substantive) vocentur (I, I, 7; II, 10 etc.).

Trias virtutum theologicarum pluries redit (I, I, 3, III, 6; II, I, 3), oportet enim simus induti loricam fidei et caritatis et galeam spem salutis (I, V, 8); speciali vero modo immoratur Apostolus in spe et exspectatione fiduciosa Parousiae.

Sed fides paulina non est fides theoretica, pure speculativa; operari debet, operibus fidei salvamur. Gratias ergo reddit Deo Apostolus: quia accepistis verbum evangelicum, non ut verbum hominum, sed ut verbum Dei quod operatur in vobis credentibus (I, II, 13); laudat in eis opus fidei (I, I, 3) — Cfr. *Commentarium* ad I, II, 13.

III. *Regula fidei.*

Verbum apostolicum, cui obedire oportet, non est verbum hominum, sed verbum Dei (I, II, 13), vel verbum Domini (II, III, 1); est evangelium Dei (I, II, 2, 8, 9) vel Evangelium Christi (I, III, 2; II, I, 8).

Hoc autem verbum Dei vel Domini, seu Evangelium, non tantum scripta epistola nobis praebetur (II, III, 14) sed et traditione orali: TENETE TRADITIONES QUAS DIDICISTIS, SIVE PER SERMONEM, SIVE PER EPISTOLAM NOSTRAM (II, II, 15) — Cfr. *comm.* ad h. l.

VI.

SECUNDUS ADVENTUS DOMINI IN EPISTOLIS AD THESSALONICENSES.

S. Cyrillus Hier. — Christi adventum annuntiamus, non unum dumtaxat, sed et alterum priore multo speciosiorem. Ille enim patientiae significationem praetulit; iste vero divini regni diadema feret. Nam ut plurimum duplicia sunt omnia apud Dominum nostrum Jesum Christum. Duplex nativitas, altera ex Deo ante saecula, altera ex virgine in consummatione saeculorum; duplex descensus, unus obscurus, qui tamquam [pluviae] in vellus, alter vero conspicuus, nimirum futurus. In primo adventu fasciis involutus est in praesepio: in secundo amicitur lumine quasi vestimento. In priori sustinuit crucem, ignominiam aspernatus; in altero veniet angelorum exercitu stipatus, glorificatus. Non igitur in primo tantum adventu acquiescimus, sed et secundum exspectamus. Cumque in priore dixerimus: " Benedictus qui venit in nomine Domini „, idem rursum dicemus in posteriori: ut cum angelis occurrentes Domino, adorantes clamemus: " Benedictus qui venit in nomine Domini „. Veniet Salvator non ut iterum iudicetur, sed ut in ius vocet eos a quibus in iudicium est vocatus. Qui prius cum iudicaretur tacuit, consceleratis qui immania in illum, quando in crucem egere, ausi sunt, in memoriam revocans dicet: Haec fecisti et tacui. Tunc, piae dispensationis causa, homines leni persuasione docens venit: eo vero tempore, velint, nolint, regno illius necessario subiicientur (*Cat. XV: De secundo Christi adventu, 1. — P. G. 33, col. 870*).

Consideratio generalis.

Doctrina *secundi adventus* vel *parousiae* Domini magnum locum obtinet in evangeliis synopticis; notanda est prae omnibus *Apocalypsis synoptica* (Matt. XXIV-XXV; Mc. XIII;

Luc. XXI, 5-36), in qua occurrunt parabolae notissimae de fure noctu veniente, de servis vigilantibus, de dispensatore vigilante et epulante, de virginibus providis et improvidis, demum parabola talentorum vel minarum, quae parabolae magnas vices habuerunt in primitiva catechesi et exspectatione parousiae (1).

Cum adventu autem Domini connectuntur atque coincidunt resurrectio hominum, iudicium universale, finis mundi et consummatio Regni; quapropter quaestio *parousiaca* vocatur etiam *eschatologica.*

Humilis venerat Messias et quidem passurus et crucifigendus... contra praeiudicia iudaeorum expectantium restaurationem regni terrestris davidici. Ideo statim post Christi resurrectionem petunt Apostoli: " Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël ? „ — Nonne se iam crediderint, ut Zebedaei filii, potentes principes in novo Regno? — Quum vero ascendisset Christus in coelum, apparuerunt illis duo angeli dicentes: " hic Iesus qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. „ (A. A. I, 6-11).

Venerat ergo humilis et passurus prima vice; sed rediturus erat altera vice ut gloriosus Rex et Iudex. Ad hunc secundum adventum referendae erant omnes prophetiae eschatologicae de Regno Dei plene felici, pacifico, glorioso... coelum et terra renovabuntur!

Idea haec et vivida exspectatio characteristice Iudaicae erant. Ne mirum tamen videatur, si statim transierint etiam ad ecclesias pro maiori parte ex pagano-christianis coalescentes, qualis erat ecclesia Thessalonicensium; nam illae ideae messianicae tamquam fundamentum erant religionis christianae et ideo primum obiectum constituebant praedicationis apostolicae. Nonne et quaestio tam iudaica de legalibus in ecclesia extra-palaestinensi Antiochena orta est? Ita etiam quaestio parousiaca praecipue Thessalonicenses turbavit.

---

(1) Cfr. R. B., 1906, p. 382 sq., 581, sq. LAGRANGE, *Le grand discours eschatologique.*

Si ergo quaestio illa obiectum principale efformat epistolarum ad Thessalonicenses (in nulla alia autem epistola paulina tractatur, exc. I, Cor. XV), concludendum est, nos hic propius accedere ad fontem primitivae catecheseos; atque revera scimus epistolas ad Thessal. prima scripta Pauli esse.

Epistolae ad Thessal. merito ergo vocantur *eschatologicae.*

1ª Epistola.

Vox ipsa *παρουσία*, technice de Christi 2° adventu adhibita, quater occurrit I, II, 19; III, 13; IV, 15; V, 23; in altera ter: II, II, 1, 8, 9. Lagrange, R. B., 1909, p. 647, nota 1: " Ne serait-ce point lui (*St-Paul*) qui aurait adopté le premier le mot *παρουσία* que les évangiles synoptiques n'ont que dans un passage de St-Matthieu, (XXIV, 3, 27, 37, 39)?„ Voces synonymae: *ἀποκάλυψις* II, I, 7; *ἐπιφάνεια* II, II, 8. — Pro usu et sensu vocis *παρουσία* cfr. comm. I, II, 19.

Allusiones vero ad parousiam habentur in priori epistola: I, 3, 10; II, 12, 16; IV, 6; demum optime notandus est locus classicus: a IV, 13 ad V, 11; cfr. etiam comm. ad IV, 14.

Anxii ergo exspectabant hi fervidi neophyti Thessal. gloriosum reditum Iesu, quem imminentem putabant; ipsi mox testes forent Christi triumphi et consummationis Regni, consequerentur demum plenam benedictionem messianicam.

Inutile ergo erat adhuc thesaurizare pro crastina die; quapropter laborem omnem deponebant atque parati... exspectabant Dominum. Inde vita inquieta multorum huc illucque discurrentium, inde mendicitas onerosa fratribus ac scandalosa exteris (I, Th., IV, 9-12; II, Th., III, 6-12).

Interim aliqui morte communitati caritatis subrepti sunt, ac non viderant consummationem Regni... non viderant Iesum gloriose revertentem. Inde tristitia inter viventes: " Nos quidem, dicebant hi, mox venturo Domino, consequemur plenam benedictionem messianicam. Sed quid de fratribus ante tempus defunctis? Ipsi ergo bonis messianicis defraudati remanebunt?„ Eadem quaestio adhuc postea turbabit christianos. Ita legimus

apud *Clem. Recognit*, I, 52: " Si Christi regno fruentur hi, quos iustos invenerit eius adventus, ergo qui ante adventum eius defuncti sunt, regno penitus carebunt? „

Respondet Paulus paritatem inter mortuos et vivos relictos tempore parousiae docendo: " *non praeveniemus eos qui dormierunt* „, " mortui primo resurgent... deinde... *simul rapiemur cum illis* in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem... „ (IV, 13-18).

Quantum vero ad momentum praecisum adventus Domini... *nescimus*, respondet Apostolus, repetitis verbis Iesu: " sicut fur in nocte — *insciis hominibus* — ita veniet „. Quapropter *vigilemus* oportet " ne dies illa tamquam fur nos deprehendat „. Hoc enim docuit Christus: Vigilate, quia nescitis diem neque horam (V, 1-11). Talis doctrina Magistri, talis doctrina Pauli.

Haec idea parousiae Domini ambas epistolas ad Thess. pervadit; sub hoc aspectu omnia Paulus videt ac docet.

Iam in initiali gratiarum actione, memorem se dicit: " operis fidei vestrae, ac laboris caritatis, et patientae in spe et expectatione Domini nostri Iesu Christi „ (I, 3).

Per totam Graeciam laudatur Thessalonicensium conversio a simulacris " servientium nunc unico Deo vero et vivo et exspectantium Filium eius de coelis, Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura „ (I, 10). Tota vita christiana in hac spe fundatur.

Deinde, contra indefessos persecutores, ad mentes revocando devotionem suam erga Thessalonicenses, dicit Apostolus se unum tantum intendisse: " ut ambularent digne Deo qui vocavit vos in suum regnum et gloriam „ (II, 12).

Iudaei, semper caeci et usque ad finem contumaces, nos prohibent loqui et contribules vestros excitant contra vos: " pervenit enim ira Dei super illos usque in finem „ (II, 16). En illorum condemnatio! " Vos autem estis gloria nostra et gaudium... ante Dominum nostrum Iesum Christum... in adventu eius „ (II, 20).

Desiderabat Paulus caros suos Thessalonicenses videre, sed semel et bis impedivit eum Satanas, quare misit Timotheum qui nuntia optima retulit circa perseverantiam eorum in tribulationibus. Orans ad Dominum ut dirigat viam suam ad eos, optat ut crescat caritas eorum: " ad confirmanda corda vestra irreprehensibilia in sanctitate ante Deum et Patrem nostrum, in adventu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius „ (III, 13).

Peccata carnis sunt vitanda " quoniam vindex est Dominus de his omnibus „ (IV, 6).

Deinde regula aurea laboris manualis omnibus imposita, accedit ad quaestiones: de mortuis ante adventum Domini, et de tempore parousiae (IV, 13-18; V, 11, cfr. supra).

Agnoscant fratres illos qui praesunt, scil. presbyteros atque *vos*, presbyteri, " corripite inquietos, seu inordinate discurrentes, consolamini pusillanimes, seu tristes, suscipite infirmos, in fide scil. „ (V, 14): tales erant nonnulli in exspectando anxie Domino (cfr. comm.).

Votum demum finale etiam tonum habet particularem ex idea parousiae: " Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur „ (*V*, 23).

2ª Epistola.

" Thessalonicenses non intelligentes (I, IV, 15) putaverunt " quod Paulus et qui cum eo scribebant epistolam, dicerent se " reperiendos in die consummationis in carne, et coniecturis " variis fluctuabant atque dicebant: Si Paulus inveniendus in " corpore est, proximus est dies iudicii. *Unde corrigit eos in* " *secunda epistola.* Putabant enim quod in diebus eorum fu- " tura esset generalis resurrectio, quoniam Apostolus verbo " praesentis temporis dixerat: nos qui vivimus. Qua causa prae- " cipue coactus est aliam illis epistolam scribere „. Ita V. Herveus qui hic fere ad verbum sequitur S. Hieronymum; eodem modo plerique concipiunt connexionem inter primam et secundam ad Thessalonicenses. Cfr. v. gr. S. Thomam ad h. l.

Prior epistola ergo pacem non attulerat inter Thessalonicenses.

Increscit fides et caritas fraterna, ita ut apostoli in ipsis glorientur in Ecclesiis Dei propter patientiam eorum et constantiam in fide (I, 3-4). — Hic iam digressio fit ad parousiam.

Consolantur Apostoli illos, mentes eorum erigendo ad *iustum iudicium Dei*: Qui nunc patiuntur pro regno Dei, huius regni invenientur digni... Tribulationem retribuet Deus iis qui nunc tribulant vos, vobis autem requiem nobiscum in revelatione Domini Iesu de coelo cum angelis virtutis suae, in igne flammeo. Tunc punientur illi qui non noverunt Deum et qui non obedierunt Evangelio Domini. Poenas luent, condemnationem aeternam, repulsi a facie Domini et a gloria virtutis eius... Glorificabitur vero Deus et exaltabitur inter sanctos qui crediderunt. Ideo orant Apostoli ut Deus discipulos faciat dignos vocationis suae... " ut clarificetur nomen Domini Iesu in vobis et vos in illo... „ (I, 5 et sq.).

Haec descriptio apparitionis gloriosae Domini Eiusque iusti iudicii minime exspectabatur in gratiarum actione; hic vero legitur ad consolationom discipulorum et optime quadrat cum charactere et doctrina generali utriusque epistolae ad Thessalonicenses.

Sed iamiam veniunt Apostoli ad cardinem epistolae: *Rogamus vos fratres circa adventum Domini nostri Jesu Christi et nostram unionem cum ipso ut non cito moveamini a vestro sensu neque turbemini...* QUASI IMMINEAT DIES DOMINI (II, 2).

Videntur turbulenti abusi esse epistola priore male intellecta vel quadam epistola apocrypha; insuper allegabant falso revelationes et sermones tamquam Apostoli, ut diem Domini proclamarent imminentem (II, 2).

Contra hos pigros gyrovagos et inordinatos severius hic agunt Apostoli. Oportet laborent: " si quis autem non vult operari, nec manducet „ (III, 10). Inobedientes denuntientur et " cum illis nolite commercium habere „ (III, 14).

Quaestionem de tempore parousiae prudenter Apostoli in priori epistola vitaverant; tantum logion Domini de eius incertitudine

recolentes (*tamquam fur in nocte ita veniet,* I, v, 2), discipulos exhortati erant ad providam vigilantiam " ne tamquam fur dies illa vos comprehendat „ (I, v, 4). Dissipantes vero tristitiam Thessalonicensium super mortuos, et paritatem sortis mortuorum et viventium tempore parousiae docentes, locuti erant in hypothesi et cum ipsis verbis Thessalonicensium: " *nos qui vivimus qui residui sumus in adventum Domini* (quem vos imminentem putatis) *non praeveniemus eos qui dormierunt* „ (I, II, 15).

Inde maior inquietudo. Ex professo ergo probabit nunc Apostolus diem Domini non esse imminentem: " Ne quis vos decipiat ullo modo, quoniam dies Domini non veniet nisi primo venerit apostasia praedicta a Domino, et apparuerit Antichristus " qui signa dabit magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi „ (Matt. XXIV, 24).

Iamiam occulte Satanas per satellites suos — totidem antichristos — operatur, " *et nunc quid detineat* publicam manifestationem Antichristi eiusque effrenatam actionem *scitis* „ (II, 6). Istud retinaculum, secundum communem sententiam Patrum, esset Imperium Romanorum, seu ius, ordo et pax quibus tunc mundus regebatur a Romanis (cfr. append. II).

Quum autem apparuerit Antichristus, per virtutem Satanae faciet signa et prodigia multa ut decipiat homines, sed illos tantum a veritate avertet " qui caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent „ (II, 10).

Vos autem Dominus vocavit in gloriam suam. Itaque state... Ipse Dominus noster Iesus Christus et Deus Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem aeternam et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere, et sermone bono (II, 14, 16, 17).

Obiectum ideo principale et characteristicum epistolarum ad Thessalonicenses est *parousia Domini.*

In priori epistola docet Apostolus paritatem futuram inter mortuos et viventes tempore parousiae, exhortaturque ad vigilantiam ob incertitudinem diei Domini.

In altera vero ex professo docet hunc diem non instare, quia nondum apparent signa praecursoria praedicta a Domino: apostasia scil. a fide et operatio effrenata Antichristi.

Eadem idea inspirat consilia paulina et ipsis expressionibus colorem confert specialem.

Vigilate!
Veni Domine Jesu.

VII.

AUTHENTICITAS.

Usque ad initium saec. XIX nullus omnino dubitavit de authenticitate utriusque epistolae ad Thessalonicenses.

Saeculo vero XIX dubia fuerunt mota circa authenticitatem sive utriusque simul, sive posterioris tantum.

Recentiores demum commentatores omnes ad traditionem redierunt.

Probatur authenticitas:

A) *argumentis extrinsecis.* — Argumenta extrinseca sunt testimonia antiquorum, epistolas nostras allegantium tamquam scripta apostolica vel inspirata et canonica. Validissima sunt argumenta ista, quando unanimi consensu ascendunt usque ad tempus compositionis; nam testimonium tale considerari oportet ut echo facti ipsius compositionis.

Iamvero epistolae ad Thessalonicenses citantur in primis scriptis christianis. Fr. X. Funk apud *Patres Apostolicos* sequentes reperit allusiones (1):

Doctrina Apostolorum	I, Th., IV, 16 : 16, 6.
	II, Th., II, 9 : 16, 4.
S. Ignatii epistolae.	I, Th., V, 17 : Eph., 10, 1.
S. Polycarpi epistola	II, Th., I, 4 : 11, 3.
	„ III, 15 : 11, 4.

(1) *Patres apostolici* (1901) p. 640 sq.; cfr. Moffatt (*The Expositor's Gr. Test.),* p. 20.

Pastor Hermae . . . I, Th., V, 13 : *Vis.*, III, 6, 3; 9, 2. 10; 12, 3
Sim., VIII, 7, 2.
„ V, 16 : *Mand.*, X, 3, 1.

Explicita testimonia 2i saec. hic sufficiant: Haeresiarcha *Marcio* (c. 140) in suo canone habet epistolas omnes S. Pauli, exceptis pastoralibus, et epist. ad Hebraeos (1).

In *Fragmento Muratoriano* (c. 170) venit epistola Pauli: " *Ad tessaolenecinsis* „ (linea 53), additurque : " *verum corintheis et thessaolecensibus pro correbtione iteretur* „ etc. (l. 54, 55). Duas ergo auctor cognoscebat epistolas ad Thessalonicenses.

Apud S. Irenaeum (c. 180) frequentes sunt citationes ex his epistolis, quae quidem ab eo prima vice expresse Apostolo tribuuntur:

I, Th. V, 3	*Contra Haereses*	V, 30, 2.
„ V, 23	„	„	*V, 6, 1* *
II, „ I, 5	„	„	IV, 36, 4.
„ I, 6	„	„	IV, 27, 4 ; IV, 33, 11.
„ II, 3, 4	„	„	III, 6, 5 ; *V, 25, 1* **
„ II, 8	„	„	*III, 7, 2* **
„ II, 10-11	„	„	*IV, 29, 1*** V, 28, 2.

(M. P. G. 7.).

Praecipue notetur *c. h.* V, 6, 1 ubi S. Irenaeus citat " *Apostolum . . . in prima epistola ad Thessalonicenses* „, ergo et aliam cognoscit, quam expresse citat V, 25, 1; III, 7, 2; IV, 29, 1.

S. Clemens Alexandrinus in operibus praecipuis quibus tituli: *Paedagogus* (c. 190) et *Stromata* (200-203) frequenter citat praecipue primam.

I Th. II, 7	*Paed.* I, 5; *Strom.* I, 1.
„ Th. IV, 3-9	*Strom.* IV, 12.
„ Th. V, 5-8	*Paed.* II, 9; *Strom.* IV, 22.

(1) Cfr. Jacquier : *Le N. Test. dans l'Eglise chrét.*, I, p. 152 sq.

I Th. V, 13-22 *Paed.* III, 12 ; *Strom.* I, 11.
II Th. II, 4 *Strom.* VII, 12.
„ Th. III, 1-2 „ V, 3.

(M. P. G. 8-9).

Illa etiam quae S. Justinus scribit de Antichristo: " homine iniquitatis, homine defectionis, qui impia et nefanda adversus Altissimum locuturus est..., „ absque dubio hauriuntur ex II, Th., II. (*Dial. cum Tryphone* (c. 160) 32, 110). (M. P. G. 6).

Apud Tertullianum demum, fine saec. II, et initio III, frequentissimae sunt citationes. Sufficiat notari *adv. Marc.* V, cap. 15-16, quae textibus I et II ep. contexta sunt; *de resurrectione carnis* cap. 24, quod refert omnes textus eschatologicos utriusque epistolae (M. P. L. 2).

Apud Eusebium, echo traditionis et testem fidei primitivae Ecclesiae, iure merito ergo veniunt *14 epistolae Pauli* post Evangelia et Acta Apost. (H. E. III, 3, 25). Cfr. Cornely, *Introd.*, III, p. 408-409; Bornemann, p. 19-20; 319-320.

Nil mirum ideo si semper tamquam indubia considerata sit origo paulina harum epistolarum.

Primae voces dissonantes tam contra priorem quam contra posteriorem auditae sunt in Germania: Chr. Schmidt (*Einleitung* 1804) primus dubia movit contra authenticitatem posterioris; contra priorem vero Schrader (*Der Apostel Paulus*, 1835).

F. C. Baur autem, fundator scholae tubingensis, praecipue in opere: *Paulus, der Apostel Jesu Christi* (1845) utramque Paulo denegavit. Scriptas eas dicit c. 70, et quidem " *posteriorem* „ ante " *priorem* „, a discipulo quodam Pauli, qui Apocalypsi iohannea adiutus voluit iterum mentes tepidas excitare exspectatione imminenti parousiae.

In reiicienda *priori* epistola pauci admodum secuti sunt Schrader et Baur. Vix notantur tria aut quatuor nomina in Germania et Hollandia: Holsten, B. Bauer, Steck (Germ.), Van der Vries, Pierson-Naber, Loman, Van Manen.

Posteriorem autem reiecerunt plures, quos enumerat Bornemann (p. 498), sed, prout idem notat, non pauciores originem paulinam defenderunt.

Obiectiones omnino generales et aprioristicas, quibus authenticitas cuiuscumque scripti negari posset, accurate examinat et diffusius refutat Bornemann, p. 301-317 *(pro priore)*, p. 498-537 *(pro posteriore)*.

E recentioribus autem exegetis criticis *nullus* omnino dubitat de authenticitate utriusque epistolae ad Thessalonicenses. Jam notaverat Bornemann (1894): quo magis crescunt obiectiones et suspiciones contra posteriorem, eo firmius admittitur authenticitas prioris. Hodie vero, sedata tempestate, addi potest: prior secum rapuit posteriorem, et firmior apparet nunc traditio; inter authenticas Pauli epistolas, *authenticae* sunt super caeteras ambae epistolae ad Thessalonicenses. Recentiores ergo exegetae, praeter catholicos, sequentes nominentur: Bornemann (1894), Jülicher (1894), Lightfoot, Zahn (1906), v. Dobschütz (1909), Wohlenberg (1909), Milligan (1908), Moffatt (1910), Findlay (1911), Frame (1912) (1).

B. — Confirmatur authenticitas *utriusque epistolae*, *argumentis intrinsecis*.

Critica moderna, neglectis testimoniis antiquis, unice nititur argumentis intrinsecis seu desumptis ex ipso scripto diiudicando: ex lingua, ex ideis etc... Non possumus tamen non fateri, talibus argumentis, plerumque subiectivis, omnia posse probari. Ita v. gr. comparant epistolas ad Thessalonicenses caeteris scriptis paulinis; in istis deprehendunt doctrinam omnino *propriam*, — *ergo*, concludit Baur, scripta haec non sunt paulina. Sed idem deprehendit in ideis et in verbis ipsis *dependentiam* ab epistolis ad Corinthios, — *ergo*, concludit iterum, opus sunt falsarii stylum Pauli imitantis. Similitudo est signum falsificationis,

(1) Recentissime hic auctor etiam notavit: *it may be said fairly that the tendency at present is favourable to the hypothesis of genuineness*, pag. 42.

dissimilitudo signum diversae originis. — Quis non videt quam arbitraria sit talis methodus?

Vere sapientius foret primo testimonium traditionis audire, atque deinde argumenta intrinseca invocare ut confirmationem huius testimonii.

Confirmant ergo authenticitatem utriusque epistolae:

α) *Lingua et stylus.* Milligan notat ex circiter 460 differentibus vocibus utriusque epistolae 27 esse *hapax legomena* in N. T., seu 17 in priore, 10 in posteriore; relative ergo non plura quam in aliis Pauli epistolis, v. gr. in I Cor.: circa 100 (1), in epist. ad Ephesios circa 40 (2). Idem auctor accurate notat alia 27 verba, in N. T. *Paulo propria*, hic occurrere. Lingua ergo dici nequit non-paulina.

Similiter stylus est animus Pauli ardens et apostolicus, tener et mysticus. Stylus huius epistolae est impetuosus et oppressus consuetis digressionibus, verbis sententiisque compositis atque profundis, figuris demum audacibus conspicuus. Ellipses etiam, quas iam S. Irenaeus ut Paulo proprias notavit, non sunt infrequentes (v. gr. II, II, 3, cfr. comm.). Haec non sunt falsarii: *nemo potest Paulinum pectus effingere* (*Erasmus*). Argumentum hoc valet pro utraque epistola. Cfr. Milligan, introd., p. LII sq.

β) *Doctrina.* — Redemptio per Christi mortem cuius merita nobis assimilantur per fidem, Lege evacuata, indubie est doctrina Paulo propria inter scriptores Novi Testamenti. Cfr. comm. I, cap. V, 9-10. — Iamvero libenter fatemur epistolas ad Thessalonicenses esse parum dogmaticas, et adhuc minus paulinas, sensu supradicto. Sunt scripta quae occasionem et scopum habent particularem: sedare animos inquietos circa parousiam Domini; inde doctrina characteristica et propria harum epistolarum. Pluries tamen ad fidem eiusque necessitatem alludunt; et dogma redemptionis per Iesu mortem explicite enuntiant *loco citato* (cfr. comm.).

---

(1) Robertson-Plummer, I *Corinthians*, introd., p. L.

(2) Abbott, *Ephesians*, XXXII, sq.

Falsarius *paulinam* doctrinam melius imitatus foret.

Attamen doctrina haec de parousia, quae ut aliunde scimus, tam turbabat non solum primos christianos sed et Iudaeos et ipsos Apostolos, indicium est evidens antiquitatis harum epistolarum; atque ex hoc capite indissolubiliter posterior cum priore connectitur, ut supra dictum est.

γ) *Indicationes historicae* harum epistolarum perfecte quadrant cum iis quae ex *Actibus* scimus circa Thessalonicenses et ministerium Apostolorum inter eos.

In utraque epistola Paulus sibi adiungit Silam et Timotheum, qui revera fuerunt confundatores ecclesiarum Macedoniae. Silas autem primus ante Timotheum nominatur sicut in Actibus (XVIII, 5, XVII, 4 sq.).

Thessalonicae, sicut per totam Macedoniam, praedicatum est Evangelium inter multas persecutiones, atque Iudaei etiam indigenas gentiles contra apostolos discipulosque excitarunt (Act. XVII, 5 sq. = I, I, 6, II, 2, 14, III, 3 sq.; II, I, 4). Neophyti Thessalonicenses vero plerique ex gentilitate oriundi erant (Act. XVII, 4 = I, I, 9, II, 14). Propter persecutiones Iudaeorum Paulus a Thessalonica fugere debuit, valde ideo desiderabat eo redire (Act. XVII, 10 = I, II, 17, III, 10); quum autem non posset, misit Timotheum (1).

Status Ecclesiae Thessalonicensis, quem supponit prior epistola, idem est in altera. Imo haec complet illam; nam, missa priore, plura audivit Paulus quae corrigenda erant (I, IV, 11-12; II, III, 6 sq; — I, IV, 13-18 = II, II, 1-12).

Pro difficultate speciali, quam aliqui eruunt contra integritatem prioris epistolae ex II, 14-16, cfr. *comment.*

Fusius vero examinandae sunt *obiectiones contra authenticitatem secundae epistolae.* Reduci possunt ad duplex caput: I) Ideis et ipsis expressionibus II^{ae} ep. comparatis I^{ae}, apparet maxima similitudo inter utramque; ergo, concludunt negatores,

(1) Cfr. etiam FINDLAY, introd., p. XLIII sq.

posterior est imitatio prioris. II) In parte propria posterioris, cap. II, 1-12, deprehenditur contradictio cum priore cap.V, 1-11.

I. — Utraque epistola inter se comparata, propria apparent posteriori I, 5-12, II, 2-12, 15, III, 1-5, 10, 13 sq. 17. Seu circiter tertia pars est plus minusve mera transcriptio prioris. Cfr. *McGiffert* (E. B. IV, 5044), *Milligan*, p. LXXXI sq.

Qui utile aestimat numerare... verba propria et communia huius 2ae epistolae, conferat Mc. GIFFERT (*l. cit.*), Dobschütz, Frame vel alium quemcunque criticum tali inquisitioni operam dantem. Cum Milligan observamus: When hostile criticism has to fall back on *minutiae* such as these... that is in itself a confession of the insufficiency of its case (p. LXXX).

Similitudo maxima inter duas ep. istas revera negari non potest, et decursu commentarii ubique apparebit; attamen eadem et forte maior apparet inter epistolas ad Ephesios et ad Colossenses. Deinde ex similitudine ista non solum licet concludi ad falsificationem, sed etiam ac potius ad probabilem similem originem. Nam, tanta quum sit similitudo, quisnam falsarius unquam potuisset tam perfecte stylum (*pectus Paulinum*) fingere? Quin loquamur de impossibilitate historica et psychologica furtive introducendi epistolam talem tamquam a maximo apostolorum. Christiani enim et Thessalonicenses praecipue, iam certo initio saec. II. Epistolam hanc ut paulinam admittentes, cognoscere debebant eius originem. Atqui nulla omnino vox discrepans auditur hoc tempore...

Sed insuper ratio similitudinis, verosimilis dari potest. Scripta enim est ad eosdem et circa eamdem materiam. Male enim Thessalonicenses intellexerant I, IV, 15 sq.; et irrequieti obedire noluerant; insuper continuabat persecutio adversus discipulos.

Sicut exaggerari non debet pars propria posterioris, ita nec eius similitudo cum priore. Tertiam ergo partem habent communem; *ergo duas tertias habet posterior proprias.* Hoc vero non minimum aestimandum est, si consideratur eamdam fere esse utriusque materiam easdemque circumstantias. Insuper dici potest propter has proprias partes (II, I, 5-12, II, 2-12, III, 13 sq.),

magnam esse differentiam inter priorem et posteriorem; ac simul optimam esse connexionem inter utramque. Nam illae partes sunt *formales*, seu nucleus huius posterioris epistolae, praecipue c. II de signis praecursoriis parousiae; et perfecte complent ea quae dicta sunt in priori.

Nullus legens primam et secundam epistolam ad Thessalonicenses negare potest, hanc ultimam supponere et complere primam: inde similitudo; atque addendum: inde etiam dissimilitudo in partibus secundae propriis.

II. — Dicunt ergo posteriorem contradicere priori. Praecipua vero contradictio esset relate ad tempus parousiae. In priori V, 2 sq., dies Domini describitur venturus ut fur in nocte, insciis hominibus seu improviso. In altera vero signa dantur praevia, quibus parousiae dies antea cognosci poterit, c. II.

Sed iam antiqui hanc difficultatem omnino obviam notarunt. Respondet *S. Thomas* adaequate sequentibus verbis: dicendum, quod dies Domini dicitur sicut fur venire, quia ignoratur determinatum tempus, quod per signa illa cognosci non poterit... (*Supplem.* LXXIII, art. 1 ad 2).

Posterior epistola, praecipue c. II de signis praecursoriis parousiae, complet et corrigit vel determinat priorem, omnesque exegetae antiqui post S. Hieronymum hoc notarunt. Utique dies Domini est incertus, et oportet vigilemus. Hoc scripserat Paulus in priore. — Sed inde adhuc magis inquieti facti sunt discipuli; quare Apostolus eos sedare conatur dicendo, signa quaedam praeventura esse hunc diem. Haec duo consilia: *vigil esto... et quietus sis*, optime simul et iisdem dari possunt, ut notat v. Dobschütz, allegans exemplum Apocalypseos Johannis qui abundantiorem descriptionem signorum praeviorum parousiae concludit cum his verbis: *Ecce venio cito!* (p. 39).

— Aliam differentiam notant critici inter 2^{am} et 1^{am} epistolam ad Thessalonicenses. Prima est *tenerrima*: habet haec epistola miram quamdam dulcedinem quae lectori dulcibus affectibus non assueto minus sapit, quam caeterae, severitate quadam

palatum stringentes (*Bengel*); altera vero solemnis est, tonum didascalicum sapit, et severitate magna utitur.

Concedendum est, priorem epistolam sensibus tenerrimi affectus eminere: il (Paul) épanche son coeur et semble vouloir épuiser le vocabulaire de l'affection. *Prat.* I, p. 104; cf. comm. I, I, 4. Hoc autem explicatur duplici ex causa, 1°) quia tantum in Macedonia Paulus passus fuerat, et Iudaeis persequentibus fuerat Thessalonica expulsus: tribulatio vero, pro aliis tolerata, acuit affectum erga eos; 2°) quia discipuli inter tribulationes tanto cum fervore fidem amplexi erant et in ea immobiles perseverabant: tribulatio vero communis corda unit; passiones praecipue neophytorum corda commovent Apostolorum.

Altera autem epistola brevior est et quaestiones magis abstrusas tractat: de remuneratione, de Antichristo (cap. I et II), inde tonus solemnior et minus discipulis directus. Attamen ubi ad eos respicit, patet ac panditur cor paternum (I, 3-4, 11-12, II, 13); imo gratitudo Apostolorum ob eorum perseverantiam hic ferventior apparet (I, 3, II, 13). — Contra irrequietos utique severior est posteror priore. Hoc S. Iohannes Chrysostomus iam notaverat et post eum Theophylactus scribens: "In priori sane Epistola clementius et mansuetius de his disseruit, hic vero austerius agit." (Cfr. *comm.* II, III, 6). Sed supra ipsos inordinatos statim cor patris miseretur: *Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem!* (II, III, 15).

Severitas maior explicatur ob continuationem mali exstirpandi. Quos diligit pater, castigat.

— Obiectio demum desumpta ex doctrina Antichristi (II, 1-12) quae, aiunt critici, proflueret ex Apocalypsi Iohannis, ac supponeret aut Neronem regnantem aut legendam eiusdem Neronis *redivivi*, ideoque supponeret tempus post paulinum; haec obiectio, inquam, gratis negari, potest quia gratis affirmantur illa quibus nititur. Cfr. Mc. Giffert, *l. cit.*, p. 5042.

VIII.

TEXTUS.

Textum latinum interpretamur Vulgatae Sixto-Clementinae, secundum disciplinam ecclesiasticam, semper tamen respectu habito textus originalis graeci quacumque versione praestantioris.

Vulgatae textum desuminus ex editione critica *R. P. M. Hetzenauer* o. c. minutis tantum exceptis, quae respiciunt punctuationem. In notis vero adiiciuntur differentiae cum editione critica *J. Wordsworth et H. J. White,* et cum lectione graeca quae probabilius authentica reputatur. Hae correctiones textus latini habitualiter proponuntur vel secundum versionem antiquam dictam *Ambrosiaster*, vel secundum citationes *S. Hieronymi* vel demum secundum optimum commentatorem *Estium.*

Quaestio vero de eligendo textu graeco non est tam levis, praecipue pro nobis catholicis. Authenticam enim editionem graecam hucusque non habet Ecclesia Latina.

Inde quidem a Cardinali Ximenez (1437-1517), auctore *Complutensis*, diversae fuerunt factae editiones catholicae textus graeci, sed editoribus cura non fuit critice restituendi textum originalem. Recenter *R. D. E. Bodin* edidit Novum Testamentum Graecum in usum scholarum; practica quidem et utilis editio etiam propter adiunctas appendices; auctor vero fatetur se codicem B (*Vaticanum*) tantum referre.

Textus *receptus*, non obstante titulo suo, nullam habet auc-

toritatem criticam; vulgo de eo dicitur: *textus receptus sed non recipiendus* (1).

Textus demum *criticus,* de facto universaliter *receptus*, ille est quem edidit *E. Nestle.* Recentius novam editionem criticam fecit *H. von Soden* (2). Textus Nestle et Soden in paucis differunt: videntur ergo, modo generali loquendo, definitive textum originalem constituisse (3). In commentario nostro textum Nestle reproducimus, in notis indicando differentias cum textu Soden; libertatem tamen servavimus in explicatione hanc vel illam vel etiam aliam lectionem praeferendi propter rationes in commentario indicandas.

Auctoritates textus (*manuscripta graeca, versiones et patres*) accurate indicantur et describuntur a *G. Milligan* in optimo commentario epist. ad Thessal. p. XCIII sq. (Introductionis cap. VII: *Authorities for the text*).

Lectiones variantes textus graeci cum cura inveniuntur discussae in commentario *G. G. Findlay* ante singulum caput. In epistolis ad Thessalonicenses nulla habetur, quae notabiliter mutet sensum; in commentario examinantur principales.

Similiter differentiae inter textum latinum et graecum sunt leves. Quando illae differentiae non proveniunt ex mala traductione vel interpretatione (*traduttore traditore*), observari potest versionem latinam sequi textum graecum magis completum... *completum* scil. secundum principium conformationis cum locis parallelis. Caeteroquin attento lectori Vulgatae indubium fit versionem latinam Epistolarum non tam accuratam et pulchram esse ac versionem v. gr. evangeliorum, quae certe a *S. Hieronymo* facta est. An etiam versio latina epistolarum

---

(1) Cfr. R. CORNELY, S. J.: *Introductio generalis,* p. 323 sq. — E. JACQUIER: *Le Nouveau Testament,* II, p. 419 sq.

(2) Nisi aliter indicetur, utimur editione eius manuali (*Griech. N. Test. — Text mit kurzem Apparat. Handausgabe,* 1913). Maior caeteroquin editio est nimis intricata.

(3) Cfr. LAGRANGE, *Ep. aux Romains.* Introd., chap. VII, p. LXVI, sq.

opus sit *Patris Vulgatae*, examinabitur in commentario epistolae ad Ephesios (1).

---

(1) Aliqui negative respondendum esse putant. Arguunt ex correctionibus quas S. Hieronymus proponit textui latino quo utitur, et quae non sunt introductae in textu nostro latino; similiter ex eiusdem citationibus textus latini omnino diversi a nostro. S. Doctor commentarium fecit epist. ad Ephesios, occasione ergo huius epistolae quaestio fuse examinabitur.

Ex epistolis ad Thessal. citat S. Hieronymus: I, Th. IV, 3-7 (P. L. 26 col. 537); I Th. IV, 15-18; V, 1-3; II Th. II (P. L. 22 epist. 111 cap. XI, col. 1035 sq.).

In epistola 18 (P. L. 22, col. 376) scribit: Vitiose "*Silvanus* legitur pro *Sila*, quum Silvanum in Apostolorum Actis non legamus „. Legimus vero nos adhuc (et optime) in textu nostro: *Silvanus* (I Th. I, 1; II Th. I, 1). — Corrigit I Th. IV, 6 sequenti modo: Ut ne quis supergrediatur, et avarus fraudet in negotio fratrem suum. (P. L. 26, col. 538, 552, 554). Nos vero correctionem hanc in textu nostro non legimus. Haec nunc sufficiant.

IX.

BIBLIOGRAPHIA.

I. — Commentarii.

Hic tantum indicantur commentarii quos habitualiter ad manus habuimus; pro historia exegeseos epist. ad Thess. conferri potest *Bornemann*, p. 1 sq.

α) *Patres Graeci*:

S. Johannes Chrysostomus (Migne P. G. 62) non solum fuit aureus ac sanctus orator, sed simul accuratus exegeta, linguae graecae magister. Ab eo sequentes commentatores graeci dependent, saepissime quoad ipsa verba.

Theodorus Mops. (ed. *Swete*)
Theodoretus Cyrensis (M. P. G. 82)
S. Iohannes Damasc. (M. P. G. 95)
Oecumenius (saec. x, M. P. G. 119)
Theophylactus († 1107, M. P. G. 124).
Euthymius Zigabenus († 1118, In 14 ep. S. Pauli... ed. *Nic. Calogeras.* Athenis, 1887).

β) *Patres latini, et exegetae medii aevi* (usque ad conc. Tridentinum, 1563).

S. Paulus praecipuos suos exegetas habet inter Graecos; apud Latinos vero, paucos. *S. Hieronymus* commentarium in epistolas ad Thessalonicenses non fecit; ubi autem capita vel textus quosdam ex eis explicat, eum grati citabimus; ita etiam *S. Augustinum* occasione data allegamus (1).

---

(1) Doctoris Syri, *S.ti Ephraemi, comment. in epist. D. Pauli* ex Armeno in Latinum sermonem a patribus Mekitharistis translati sunt (Venetiis, 1893).

Ambrosiaster (ad opera *S. Ambrosii* appendix P. L. 17). *Pelagius* (inter opera *S. Hieronymi* mantissa, P. L. 30). *Primasius* (P. L. 68). Optime resumit, sententiis concisis, SS. Hieronymi, Ambrosii, Augustini vel aliorum Patrum scripta.

Sequentes auctores usque ad epocham auream scholasticae valorem independentem non habent; fideliter repetunt quae a magnis patribus dicta sunt; citantur tamen, occasione data, ut testes traditionis. Hi sunt: *Sedulius Scotus* (saeculo IX; P. L. 103). — *Rabbanus Maurus* (saeculo IX; P. L. 112). — *Walafridus* (saeculo IX; P. L. 114). — *Haymo* (saeculo IX; P. L. 117). — *Florus* (saeculo IX; P. L. 119). — *Atto Vercellensis* (saeculo X; P. L. 134). — *B. Lanfrancus* (saec. XI; P. L. 150). — *S. Bruno* (saeculo XII; P. L. 153). — *Hugo de S. Victore* (saeculo XII; P. L. 175). — *Ven. Herveus* (s. XII; P. L. 181). — *Petrus Lombardus* (saeculo XII; P. L. 192). — *Hugo a S. Caro* († 1260).

S. Thomas Aquinas *magister exegeseos scholasticae*, ut scribit *v. Dobschütz* (1). *Cornely* (2) similiter notat: " uti in philosophicis et dogmaticis scriptis, ita etiam in exegeticis reliquos scholasticos superat. Inter exegetica eius opera commentarius in epistolas Paulinas eminet, quippe quae ob dogmaticum suum argumentum magis ei videntur arrisisse „. Iustos quidem terminos, saltem pro lectore hodierno, in dividendo et subdividendo Angelicus transgressus est; sed ipsae hae divisiones quandoque exactissima sunt litteralis expositio. Sub aspectu autem dogmatico, qui prae omnibus nostra interest, nullus ei superior, nullus securior: " unum reliquum est, ut de Thomae meritis dicatur, quantum ad dogmaticum genus attinet; hic ei campus laudum, hic meriti corona; est enim argumenti dogmatici interpres diligens, indefessus, qui ne voculam quidem praeterit, quin excutiat „ ita protestans *Tholuck*, quem citat Cornely (3).

---

(1) *Meister scholastischer Exegese* (p. 52).
(2) *Introductio*, p. 680.
(3) *Ibidem*, p. 681.

Thomas de Vio, Card. Caietanus (1) O. P. (1535). Maior et securior, absque ullo dubio, in explicanda summa S. Thomae, quam Sacra Scriptura. Hic tamen etiam est inter maiores, sepositis opinionibus quibusdam vel singularibus vel audacibus, quibus quandoque comm. suo in Summam contradicit. Brevis est et accuratus in quaerendo sensu litterali, quem saepissime concisa sententia feliciter reddit. Quodcumque tale ac tantum ingenium reliquit, notatu est dignissimum.

γ) *Exegetae catholici* a fine conc. Tridentini (1563) usque ad tempus hodiernum.

Guillelmus Estius († 1613) (2) " inter omnes, qui hucusque prodierunt (commentarii ad S. Paulum), optimi censentur „ ; ita Cornely (3); eodem modo loquuntur auctores moderni etiam acatholici (4). Gorkomii natus, in alma universitate Lovaniensi lauream consecutus est, docuit vero Duaci. Sicut *Sylvius*, eiusdem universitatis Duacensis professor dogmaticus, ita Estius semper fuit ardens defensor Thomisticae doctrinae etiam in commentariis biblicis. " In Estio, dum profundissimam D. Pauli theologiam et philosophiam exponit, dignam difficillimo opere gravitatem, doctrinam theologicam et eruditionem scholasticam miramur, ita ut... Belga noster populi sui more, iure optimo, ipsa auctoritate Pontificia (Benedicti XIV) *Doctor fundatissimus* et Theologus dici mereatur „ ita *Fr. Sausen.* (ad primam ed. Moguntinam). Gratissima sane laus !

Ben. Justinianus S. J. († 1622) " unus ex optimis est epistolarum commentatoribus. Vix alius est, qui tanta cum diligentia Patrum aliorumque antiquorum interpretum explicationes collegerit, digesserit, diiudicaverit „, ita *Cornely* l. cit

Calmetus (5) O. S. Ben. († 1757) non solum exegeseos sed

---

(1) *Ed. parisiensis*, 1571.

(2) Ed. *Jac. Merlo-Horstius*, Lovanii, 1778. — 12 vol., ep. ad Thess. in vol. 7.

(3) *Op. cit.*, p. 705.

(4) V. gr. Wohlenberg : *ein noch heute lesenswertes Werk erstaunl. Fleisses*, p. 18.

(5) Ed. latina Mansi (Lucae, 1738).

et disciplinae monasticae magister zelantissimus; iure vocatus est alter Hieronymus et ob methodum suam scientifico-historicam etiam recentioribus in exemplum sit.

Inter recentiores, plures catholici epistolas S. Pauli commentati sunt v. gr. Drach (1871), Pànek (1886), Schäfer (1890), Padovani (1894), Gutjahr (1904). Ad manus semper habuimus sequentia opera:

A. Lemonnyer O. P. (6. ed. 1908).

C. Toussaint (1910).

J. Knabenbauer S. J. (1913).

M. Sales O. P., professor friburgensis *(Helv.): Il Nuovo Testamento* commentato... (Testo latino della Volgata e versione italiana di *Mons. Ant. Martini* riveduta e corretta. Torino, II vol. Lettere di S. Paolo etc. 1914). Opus in genere suo optimum, ac studiosis catholicis valde commendandum. Stylus brevis et clarus, exegesis bene informata et semper secura. Aeque litteras italicas honorat, ac eruditionem probat ac indefessum laborem praedecessoris nostri in hoc Collegio Angelico.

δ) Exegetae acatholici.

Lutherus epistolas nostras non est interpretatus. — Occasione data consuluimus: *Calvinum, H. Grotium* († 1645), *Poole* († 1679), *Bengel* († 1752), *Wetstein* († 1754). — Habitualiter pro singulo capite legimus auctores, qui sequuntur:

G. Lünemann
W. Bornemann (1894)
E. von Dobschütz (1909)
} in „*Meyer's Kommentar*"

J. B. Lightfoot (posthumum opus, 1895): *Notes on Epistles of S. Paul*, p. 1-136; et: *Biblical Essays*, c. VI et VII, p. 237-269.

G. Milligan: *S. Paul's epistles to the Tessalonians* (1908) a praecedenti multum quidem dependens, sed eum ita *sub aspectu philologico* perficiens ut, pro hodierno die, absolutus dici possit. Pro primo studio et sub eodem aspectu philologico huic operi optimo, brevi et limpido

multum debemus. Pars autem patristica et doctrinalis nimis forte negligitur.

G. Wohlenberg : Der erste und weite Thessalonicherbrief (1909) in " *Zahn's Kommentar zum N. Test* „.

J. Moffatt in " *The Expositor's Greek Testament* „, vol. IV, 1910.

G. G. Findlay in " *Cambridge Greek Testament* „, 1911. Distinguendum ab eiusdem auctoris commentario in " *Gambridge Bible* „, quem hic non citamus.

J. E. Frame : *The epistles of S. Paul to the Thessalonians*, in " *The intern. crit. Commentary* „, 1912.

II. — Subsidia interpretationis (1).

α) philologica :

Blass, Fr.: Grammatik des Neutest. Griechisch [2] (1902).

Dalman, G.: Die Worte Jesu.

Deissmann, Ad.: Licht vom Osten (2 et 3 ed. 1909).

Gesenius, G.: Thesaurus phil. crit. linguae hebraicae et chaldaicae.

Grimm, C. L. W.: Lexicon Graeco-Latinum in libros N. Test. (4 ed.).

Hatch, E.: Essays in Biblical Greek.

Milligan, G.: Selections from the Greek Papyri (1910).

Moulton J. H. - Milligan, G.: The vocabulary of the Greek Testament; part. I, II. (1915).

Robertson, A. T.: A Grammar of the Greek New Testament in the Light of Historical Research (p. XL-1360) (*Hodder & Stoughton, London*).

Stephanus: Thesaurus Linguae Graecae.

Viteau, J.: Etude sur le Grec du N. T. I, Le Verbe (1893); II, Le sujet (1896).

Zorell, Fr.: Novi Testamenti Lexicon Graecum (1911).

---

(1) Conferatur etiam index onomasticus.

β) historica:

Praeter fontes antiquos atque perennes: *Herodotum*, *Strabonem*, *Fl. Josephum*, consulendi:

Deissmann, Ad.: Paulus (1911).

Fouard, C.: S. Paul (2 vol; ed. 1900).

Le Camus, Mgr.: L'oeuvre des Apôtres (3 vol., 1905).

Ramsay, W. M.: S. Paul the Traveller and the Roman Citizen.

Id.: The Church in the Roman Empire before A. D. 170.

Schürer, E.: Geschichte des Jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi (3 vol., 4 ed.) (1).

γ) doctrinalia.

Bousset W.: Der Antichrist in der Überlieferung des Judenthums, des neuen Testaments und der alten Kirche (1895).

Dibelius M.: Die Geisterwelt im Glauben des Paulus (1909).

Gunkel, H.: Schöpfung und Chaos in Urzeit und Endzeit (1895).

Kennedy, H. A. A.: S. Paul's conceptions of the last Things (1904).

Lagrange, M. J.: Le Messianisme chez les Juifs (150 av. J. C. à 200 ap. J. C.) 1909.

Malvenda, Th.: De Antichristo.

Prat, F.: La Théologie de S. Paul (2 vol., 4 ed., 1909).

Preuss, H.: Die Vorstellungen vom Antichrist im späteren Mittelalter (1906).

Tillmann, Fr.: Die Wiederkunft Christi nach den Paulin. Briefen (1909).

Volz, P.: Jüdische Eschatologie von Daniel bis Akiba (1903).

III. — Opera generalia.

Bardenhewer, O. (versio ital. *Mercati*): Manuale di Patrologia (3 vol. 1908).

---

(1) Catholici cum fructu nunc consulere possunt D.re G. Felten: Storia dei tempi del N. Test. (4 vol.); ed. originalis in lingua germanica.

Biblische Zeitschrift (Göttsberger-Sickenberger).
Concordance to the Greek Testament (Moulton-Geden).
Concordance to the Septuagint (Hatch-Redpath).
Cornely, R. S. I.: Introductio in U. T. libros sacros.
Dictionnaire de la Bible (Vigouroux).
Dictionnaire d'Apologétique (A. D'Alès).
Dictionnaire d'Archéologie (Cabrol).
Dictionary of the Bible (Hastings).
Encyclopaedia Biblica (Cheyne).
Funk, Fr. X.: Patres Apostolici.
Hemmer et Lejay: Textes et documents.
Hennecke, E.: Neutestamentliche Apokryphen.
Kautzsch, E.: Die Apokryphen und Pseudepigraphen des A. T.
Preuschen, E.: Antilegomena (2 ed. 1905).
Resch, A.: Agrapha (2 ed. in *Texte und Untersuchungen).*
Revue Biblique (Ecole Biblique de Jérusalem).
Székely, Steph.: Bibliotheca Apocrypha (1913).

X.

ABBREVIATIONES.

Praeter abbreviationes consuetas ad designandos codices antiquos, vel libros canonicos, vel quae per se sunt clarae, sequentes notentur:

Commentarii

Ambrost... Ambrosiaster.
Born... + nemann.
Cai... + etanus.
Dob... + schütz (von).
Est... + ius.
Knab... + enbauer.
Light... + foot.
Lün... + emann.
Mill... + igan.
Theodt... Theodoretus (dist. a *Theodoro Mops.*).
Wohl... + enberg.

Varia.

I, II, 10 = *I ad Thess.*, cap. II, 10.
II, II, 10 = *II* „ „ „ „ „
D. B. V. = *Dict. de la Bible, Vigouroux.*
E. B. = *Encyclop. Biblica, Cheyne.*
H. D. B. = *Hastings' Dict. of. the Bible.*
M. M. = *Moulton-Milligan, Vocabulary.*
(M) P. G. = *Migne Patrologia Graeca.*
(M) P. L. = „ „ *Latina.*

R. B. = *Revue Biblique.*
N. = *Nestle (editio critica Novi Test.).*
S. = *von Soden* „ „
W. H. = *Westcott-Hort* „ „
S. C. = *Vulgata, Sixto-Clementina.*
V. L. = *Vetus Latina.*
W. W. = *Wordsworth-White* (Nov. Test. lat. sec. ed. S. Hieronymi, Editio Minor, 1911).

STUDIO ADDICTI
Province of Holy Cro

COMMENTARIUS

IN

PRIOREM EPISTOLAM AD THESSALONICENSES

ANALYSIS
EPISTOLAE PRIMAE AD THESSALONICENSES

Salutatio, I, 1.

PARS PRIOR: *historico-apologetica* . . . . . I, 2-III, 13

1. — Gratiarum actio, I, 2-10.
2. — Praedicatio evangelii apud Thessalonicenses, II, 1-12.
3. — Gratiarum actio ob eorum conversionem, II, 13-16.
4. — Quales absentes fuerint Apostoli erga Thessal.:
   - α) Desiderium Apostolorum redeundi ad eos, II, 17-20.
   - β) Missio Timothei, ejusque reditus, III, 1-10.
5. — Oratio, III, 11-13.

PARS POSTERIOR: *dogmatica et moralis* . . . IV, 1-V, 24

1. — Monita pro individuis: de castitate, de caritate fraterna, de vita quieta et operosa, IV, 1-12.
2. — Doctrina de secundo adventu Domini:
   - α) De mortuis ante adventum Domini, IV, 13-18.
   - β) Incertitudo diei Domini, ideo vigilandum, V, 1-11.
3. — Monita pro tota communitate, V, 12-22.
4. — Oratio, V, 23-24.

EPILOGUS: Salutatio. - Mandatum publice legendi epistolam. - Benedictio. . . . . V, 25-28

ΠΡΟΣ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΙΣ Α

EPISTOLA

BEATI PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES

PRIMA.

I, 1. *Παῦλος καὶ Σιλουανὸς καὶ Τιμόθεος τῇ ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων ἐν θεῷ πατρὶ καὶ κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ· χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη.*

Inscriptio

in diversis codicibus sive graecis sive latinis diversimode legitur: *Sin. B A... προς θεσσαλονικεις α'*; *D* praefigit.: *αρχεται*, etc.; Wordsworth-White: *incipit epistula ad Thessalonicenses prima*; Sixto-Clem.: *epistola beati Pauli apostoli ad Thessalonicenses prima*, etc... etc... A priori quaevis talis inscriptio censenda est derivata ab amanuensibus, et adiuncta ad modum tituli libri; nomen enim destinationis legebatur in dativo in dorso epistolae, ut apparet in papyris. *Deissmann*: L cht vom Osten[2], p. 104, nota 3[a].

Salutatio I, 1.

. *Paulus et Silvanus et Timotheus Eccl. Thess. etc... Gratia vobis et pax.*

Brevis et fere classica salutatio initi alis, prout legitur apud antiquos epistolographos, continens nomina scribentis et destinatarii cum voto; AA. XIII, 26. Comp. *Arm. Robinson, Ephesians*[2], p. 275 sq.

Deest ad nomen *Pauli* titulus *apostoli,* hic in utraque epist. ad Thess., similiter in epist. ad Philipp. et ad Philem. In ep. ad Thessal. et ad Philipp. probabiliter deest ob intimas relationes, quibus Paulus coniunctus erat ecclesiis Macedoniae: ut amicus et pater eis scribit; sicut etiam ad Philemonem rogans scribit pro suo carissimo Onesimo; dum vero in ep. ad Galatas v. gr., explicita mentione apostolici sui tituli et officii, statim asserit et vindicat auctoritatem suam. *Lightfoot*, Philipp., p. 81.

In ep. ad Philipp., post nomina Pauli et Timothei, adiunguntur tamen verba: *servi Iesu Christi.* Unde per transennam notetur opinio *Caietani*, quam approbat Estius: "Solo proprio nomine (nullo adiecto titulo apostolatus, aut servitutis Christi) utitur Paulus in solis duabus ad Thessal. epistolis, propter reverentiam Silae... „Silas enim occasione concilii Hierosolymitani vocatur unus inter praecipuos fratres.

Paulus sibi adiungit *Silvanum* et *Timotheum*, quia revera habendi sunt ut confundatores ecclesiarum Macedoniae. Silvanus autem primus nominatur, quia tempore con. Hier., ut diximus, iam erat inter *viros primos in fatribus* (Act. XV, 22); Timotheus autem recenter fuerat eis adiunctus (Act. XVI, sq.). Insuper ex Actibus apparet Silvanum apud Paulum habuisse vices principales, semper enim cum Paulo nominatur tam in ministerio quam in persecutione — de Timotheo autem siletur (AA. XVI, 1-XVII, 14).

Silvanus: idem ac Silas. Paulus scribit semper *Silvanus*, Acta autem *Silas.* Hucusque considerata est forma *Silas* ut abbreviata a *Silvanus*, sicut *Λουκᾶς* a *Λουκανός*, etc.; quae abbreviatio frequens est in nominibus tam graecis quam latinis, non at

I, 1. Paulus, et Silvanus, et Timotheus, Ecclesiae Thessalonicensium, in Deo Patre et Domino Iesu Christo. Gratia vobis et pax.

tenta terminatione eorum, prout multis exemplis probatur apud Lightfoot, *Notes*... p. 6. Quae sententia, relate ad nomen *Silas*, adhuc a multis hodie tenetur. Post *Zahn* autem *Dobsch.* reiicit eam ac tenet, nomen *Silae* esse bonum nomen hebraicum, ut probatur ex Flavio Iosepho; nomen autem paganum *Silvani* electum esset pro ministerio apud gentiles, propter ejus similitudinem cum nomine hebraeo *Silae*. " Non fortuito enim, notat Dobsch., Paulus, qui apud paganos semper sub nomine suo romano venit, semper etiam amicum suum *Silvani* nomine, romano scil., appellat (I, 1, 1, II, 1, 1, II Cor. I. 19); dum vero Acta, quae nobis nomen hebraicum Saül tradiderunt, semper de *Sila* loquuntur „, seu eum nomine hebraeo vocant (*Die Thessal.*, p. 7). Silvanus ergo est nomen paganum viri Iudaei vocati Silae... Ita etiam *Findlay*.

Haec recens sententia magnam habet probabilitatem, quia primum nomen, sub quo semper venit Silas-Silvanus, revera est *Silas*, quod certe ut hebraicum licet assumi; iamvero utpote Iudaeus *a priori* nomen hebraicum habet; ut apostolus autem inter gentes, etiam romanum nomen probabiliter assumpsit assonans ad nomen suum *Silae*, i.-e. Silvanum, sicuti Saül Iudaeus nomen assumpsit Pauli (comp. Iesus = Iason, Ioseph = Hegesippus). Inde minime excluditur quominus Saulus etiam in memoriam proconsulis Cypri, Sergii Pauli, hoc nomen assumpserit; sicut hoc ultimum non excludit primum.

Etiam S. *Hieronymus* tenet, nomen *Silae* esse hebraeum significans: *Apostolum*. Atque notat — minus recte — " vitiose *Silvanus* legitur pro *Sila*, quum Silvanum in Ap. Actis non legamus „. Responsio est manifesta: *Silvanus* legitur in Epistolis (Ep. XVIII, P. L. 22, col. 376).

De collaboratione Silae in fundadis ecclesiis Macedoniae locuti sumus in introductione. Post Pauli profectionem a Corintho non fit amplius mentio de eo in Actibus, sed apparet iterum idem nomen, forte eumdem designans, in I Petri V, 12; ob frequentiam tamen huius nominis nequit cum certitudine identitas utriusque affirmari.

Timotheus, Paulo et Silae adiunctus est Lystrae " filius Iudaeae fidelis, patre gentili „ Act. XVI, 1; et abhinc semper ut Pauli socius et collaborator apparet. Eius nomen legitur in decem epistolis protocan. S.ti Pauli, etiam in deuterocan. paulina ad Hebraeos XIII, 23; deest autem in ep. ad Galatas, Colossenses et Titum.

Uti in introd. dictum est, *Silvanus* et *Timotheus simul* post evangelizationem Thessalonicae, sec. Acta, Corinthi apparent; hic ergo, et quidem durante secundo itinere apos-

2. *Εὐχαριστοῦμεν τῷ θεῷ πάντοτε περὶ πάντων ὑμῶν, μνείαν ποιούμενοι ἐπὶ τῶν προσευχῶν ἡμῶν, ἀδιαλείπτως* 3. *μνημονεύον-*

tolico, scriptae sunt ambae epistolae ad Thessalonicenses.

Ecclesiae Thessalonicensium: forma peculiaris; in caeteris epistolis legitur vel nomen civitatis: " *ecclesiae quae est Corinthi* „, vel nomen regionis: " *ecclesiis Galatiae* „. Similiter in prioribus tantum Epistolis dicitur *ecclesiae* (exc. ad Rom. I, 7), in posterioribus: *sanctis, qui sunt Ephesi...*, *qui sunt Philippis* „ et etiam *fratribus*: " *qui sunt Colossis, sanctis et fidelibus fratribus* „.

Voce graeca: *ἐκκλησία* primitive designabatur conventus publicus civium, quos praeco convocaverat; hic, ut patet, restringitur sensus ad fidelium congregationem.

In Deo Patre et Domino nostro Iesu Christo: en principium characteristicum congregationis fidelium; coetus fidelium coalescit ac fundatur in Deo Patre et Domino nostro Iesu Christo, in quos credimus et a quibus est sanctificatio nostra. His verbis ergo ut *christianus* coetus ille ab aliis distinguitur: discipuli Evangelii unum corpus spirituale efficiunt in Deo Patre et Christo Iesu. Divina unitas! Quam inenarrabilis dignitas!...

Sub una praepositione: *in*, tam intime connectitur *Domino nostro Iesu Christo* cum *Deo Patre*, ut de mente Pauli relate ad aequalitatem *Christi* et *Patris* in natura divina dubitari omnino nequeat. cfr. II, 14, III, 11 et II, 1, 1-2.

Verba haec non coniungantur cum seq., sed cum praeced.: *quia*, ut dicit Ioh. Chrysostomus, *multae erant ecclesiae et Iudaicae et Graecae.* Magna est dignitas, addit idem et cui nihil est aequale, si est in Deo.

Gratia vobis et pax. Unio pulcherrima salutationis graecae: *χαίρειν* (Act. XV, 23, XXIII, 26; Iac. I, 1) et hebraicae: *shalôm* (Esd. IV, 17 V, 7 etc... Luc. X, 5, XXIV, 36); sed cum sensu altiori et spirituali. Haec salutatio occurrit in omnibus epistolis paulinis, excepta utraque ad Timotheum (et ep. ad Heb.) Occurrit etiam in ep. I et II Petri I, 2. Cfr. *Arm. Robinson*, op. cit., p. 277-278.

Additur *ἔλεος* = *misericordia*, I et II Tim., II Ioh. Apud Iudam demum ita: *misericordia, pax et caritas.* Supponit *Hort* (I Petri I, 2), quem sequitur *Murray* (Eph. I, 2), fontem huius salutationis paulinae esse benedictionem sacerdotalem, prout legitur *Num.* VI, 25-26, ubi verbum hebraicum: *chanan* = *misertus est* (= *gratia*) componitur cum *shalôm* = *pax.* Quidquid de eius origine sit, salutatio paulina novum habet sensum, essentialiter christianum.

Gratia enim non mera humana felicitas est, quam adprecatur graecus salutando verbo: *χαίρειν*; sed fontem designat omnium beneficiorum Dei: *ut per haec efficiamini divinae consortes naturae* (II Petri I, 4). *Pax* vero, fructus Spiritus sancti in corde nostro habitantis (Gal. 12), est finis et corona Christi be-

2. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione, 3. me-

2. del. *vestri*. — *Punctuatio:* colon post *semper*; — *pro* (*de*) *omnibus vestris* refer ad sequentia (suppresso *vestri*).

3. *vestrae* i. e. *vestri* post *memores* legatur, ut referri possit ad omnia sequentia; vel possessivum repetendum est ante *laboris* et ante *sustinentiae*. Del.: *et* inter *laboris... charitatis*.

neficiorum. *S. Thomas* concise et optime: Bona optata sunt *gratia*, quae est principium omnium bonorum... Et *pax* quae est finis, quia tunc est pax, quando appetitus totaliter pacatur „. Pax nostra in Christo sequitur ex reconciliatione nostra cum Deo per Christum; est ideo maximum donum messianicum: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis, Ioh. XIV, 27; comp. Luc. II, 14; Rom. V, 1, Phil. IV, 7, Col. III, 13. Cum his verbis: *pax vobis*, suscitatus Salvator salutavit apostolos (Ioh. XX, 19, 21, 26) eosque docuit ut, in quamcumque civitatem vel domum intrantes, pacem ipsi exoptarent (Matt. X, 13, Luc. X, 5). Cfr. *Summam theol.* II, II, 9, 29; et infra V, 13.

Codices nonnulli addunt: *a Deo Patre nostro et Iesu Christo*; quae verba sunt manifesta glossa, addita ad similitudinem longioris salutationis, quae in caeteris epistolis legitur v. gr. in II ad Thess. — Cfr. *Findlay*.

Pro salutatione finali, huic initiali respondenti, vide comm. V, 28.

PARS PRIOR:

HISTORICO-APOLOGETICA

II, 2 - III, 13.

I. - *Gratiarum actio pro Thessalonicensium bono statu*, I, 2-10.

Post salutationem semper subiungit Apostolus gratiarum actionem erga Deum, ut eo modo statim elevet mentes lectorum ad Deum, a quo omnia bona procedunt, et ita eos disponat ad doctrinam et consilia bene accipienda. Ab hac regula excipiuntur epistolae ad Galatas et Pastorales (non autem 2ª ad Tim.). Quam viva et sincera sit in casu praesenti haec gratiarum actio, ex omnibus verbis dilucide appareret: *semper, pro omnibus vobis, sine intermissione*. Nullus Thessalonicae fidelium nec ullum diei momentum excipitur ab illa universali et continua gratiarum actione. Mox descripto ministerio suo apud Thessal., in mentes revocata sollicitudine sua pro eis, iterum et iterum in gratiarum actionem et fervidam orationem prorumpit. Iure scribit *Wohlenberg*: Aus dem ganzen Briefe heraus spricht

τες ὑμῶν τοῦ ἔργου τῆς πίστεως καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης καὶ τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔμ-

ein besonders warmer und väterlicher Ton. — Cfr. supra p. 38-39.

2. *Gratias agimus Deo.* Ἐυχαριστέω = 1° gratus sum, 2° inde a Polybio: gratias ago (cfr. *Grimm*), apud Paulum frequentissime (24) occurrit, et fere semper cum relatione ad Deum; pro substantivo correspondenti vid. III, 9.

Pluralis formae 1ª persona videtur semper referenda ad Paulum et socios eius. — Cfr. II, 4, 6, 8, etc.

Quando Paulus se solum designat, se expresse distinguit a sociis suis v. gr. II, 18, III, 5, V, 27. An autem alibi usus sit plurali epistolari, disputatur. Lightfoot post diligens examen negat (cfr. *Notes.*., p. 22-23). Dobschütz autem firmiter admittit et quidem etiam pro ep. ad Thess., approbans Stage qui plurale *nos* simpliciter vertit in sing. primae pers.; cfr. op. cit. p. 67-68. Hoc videtur omnino exaggeratum; et quum Paulus socios suos, fundatores eccl. Thess, in salutatione nominaverit, non putamus modestum Apostolum eos statim exclusisse. Partem cum Paulo habuerant in fundatione Ecclesiae; cum Paulo ergo Deo gratias agunt, et commune opus suum in memorias revocant; etiam ipsi erant *Apostoli* Thessalonicensium.

semper pro omnibus vobis: cfr. II Th. I, 3, II, 13; Phil. I, 3 sq. Gratitudo erga Deum est virtus characteristica Pauli, qui tam vehementer vim gratiae senserat, et qui donum apostolatus in *vase fictili* se portare fatebatur. Tota haec epistola, tam tenera, redundat gratitudinis verbis.

Punctuatio totius versus est dubia; 1° *pro omnibus vobis* referendum nobis videtur ad seq., quia, suppresso *vestri*, in vulg. inter *memoriam* et *facientes*, hoc verbum: *memoriam seu mentionem facere*, difficile sine obiecto legi potest; 2° *sine intermissione* a multis, post Chrysostomum, v. gr. a Westcott-Hort, Tisschendorf, Nestle, Knabenb., Dobchütz, Findlay, referuntur ad seq. Attamen comparatio cum Rom. I, 9, II Tim. I, 3, insinuat verba haec referenda esse ad praecedentia; hoc caeteroquin requiritur ipsa constructione periodi, cuius unumquodque membrum cum participio incipit, ut statim apparebit; ita etiam melior sensus habetur: exprimitur incessans cogitatio eorum sicut incessans gratiarum actio; ita Lightfoot, Wohl., Milligan, et alii.

Quantum ad constructionem totius periodi (2-3-4) notandum est, verbo principali: *gratias agimus* connecti tria participia in graeco: *memoriam facientes* (2), *memores* (3), *scientes* (4), exprimentia modum, objectum et rationem gratitudinis (cfr. Bornemann, p. 52).

pro omnibus vobis memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione. - Vg. *vestri* supprimendum, cfr. supra. *Μνείαν ποιούμενοι*: melius *mentionem facientes*, non quidem: *pro...* sed *de*

mores operis fidei vestrae, et laboris, et charitatis, et sustinentiae spei Domini nostri Iesu Christi, ante Deum et Patrem

omnibus vobis, vel *omnium vestrum*. Cfr. Rom. I, 9, Eph. I, 16, Philem. 4, ubique in connexione cum oratione, item in epistolis papyraceis, cfr. *Robinson*, op. cit., p. 279-280. Ita Apostolus habitualiter ab initio epistolae dicit se pro discipulis orare, praeter locos citatos vid. etiam Philipp. I, 4, Col. I, 3, II Th. I, 11.

ἀδιαλείπτως Vg. sine intermissione = assidue. Vox posterioris graecitatis; in N. T. quater a Paulo tantum adhibita, semper in relatione cum oratione (Rom. I, 9, I Th. I, 2, II, 13, V, 17); correspondens adiectivum bis apud Paulum tantum (Rom. IX, 2, II, Tim. I, 3). In V. T. quinquies in duobus libris Macch.; etiam apud Plutarchum et frequenter apud Fl. Jos. *Lightf.* Notes... p. 82; *M.-Mill.*

Modo gratiarum actionis (*universalis et continuae*) indicato, indicatur eius obiectum:

3. *memores* seu memoria recolentes.

operis fidei vestrae: melius cum t. gr.: vestri operis fidei (II Th. II, 11), ita ut *vestri* referri possit ad tria sequentia. Consideratur ergo fides non ut speculativa virtus sed in suo effectu; neque *opus fidei* est determinatus *actus fidei*, sed totus influxus eius in totam vitam christianam, quae vere *christiana* est inquantum regitur et inspiratur fide.

Non magis ergo pro Paulo fides sine opere sufficit, quam pro Jacobo opus sine fide: fides operatur charitate, Gal. V, 6; cfr. notam ad II, 13.

et laboris et charitatis; legendum: et laboris charitatis, I, Cor. XIII, 4, sq. Not. climax in enumerandis tribus virtutibus theologicis secundum difficiliores actus: *κόπος* (*labor charitatis*) plus dicit quam *ἔργον* (*opus fidei*): nam *κόπος* est opus poenosum, grave, fatigationem imponens = labor molestus.

Quare autem spes ultimo loco veniat, statim dicetur.

Ἀγάπη = *charitas*, ab *ἀγαπᾶν* = *amare ex electione vel aestimatione* seu *diligere*. Quamvis bis aut ter *forte* occurrat extra Biblia, adhuc tamen vocari potest characteristica vox biblica (apud Philonem forte semel, et in papyro Hercul. citato a Philodemo Epic., cfr. *M.-Millig.*). Inde a Plutarcho profani auctores dicebant *ἀγάπησιν*. Apud LXX duodevicies (deutero-canonicis inclusis); praecipue in Cant. Cant. (10), semper vertit heb.: *ahabah*.

Inde transiit vox ad N. T., ad designandum supernaturalem amorem christiani erga Deum et proximum, imo erga ipsum inimicum (Matt. V, 44, Luc. VI. 27), nam *ἀγαπᾶν* liberum est, dum *φιλεῖν* naturale et spontaneum.

Vox *ἀγάπη* frequentissima est apud S. Paulum in omnibus epistolis (bis tantum in ep. ad Heb.), et in epist. Iohannis (praecipue in I epist., 18, et verbum circa 30) bis tantum in Apoc.; non legitur autem nec apud

προσθεν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν, 4. *εἰδότες, ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ* [τοῦ][1] *θεοῦ, τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν*, 5. *ὅτι τὸ εὐαγγέλιον*

[1] S *sine par.*

Marcum, nec in Act. Ap.; semel tantum apud Matth., et apud Lucam. Praeter *M.-Mill.*, cfr. etiam *Prat.*, Théol. de S. Paul. II, p. 481 sq.

et sustinentiae spei. Cfr. Rom. V, 1, VIII, 17-25. *Ὑπομονή* plus dicit quam patientia, includit etiam perseverantiam, constantiam; hic ergo magis intenditur sensus positivus et activus sustinentiae; dum in *patientia* magis apparet sensus negativus et passivus.

Spes hic legitur ultimo loco, ut maxima virtus, duplicem ob rationem; *primo* ob characterem formaliter eschatologicum totius epistolae; *secundo* quia eius effectus seu *sustinentia, constantia*, aliquid plus involvit quam *ἔργον* et *κόπος* (effectus fidei et caritatis), Apoc. cfr. II, 2. Sustinentia spei enim abstrahit ab omni praesenti praemio, caeca respicit futurum, ac perseverat sperans in adventum:

Domini nostri Jesu Christi: genitivum objectivum dependens a spe, qua exspectamus Christum venturum (II Th., III, 5). Haec exspectatio perseverans est:

ante Deum et Patrem nostrum: quae ultima verba intime ut appositio coniungenda sunt cum *Domini N. J. Christi*, ut saepissime apud S. Paulum qui non libenter nomen Jesu Christi relinquit solum, v. g. infra III, 13. (*Dobschütz* p. 67). Non ergo referenda sunt ad nimis distans: *memores*, quod esset tautologicum cum v. 3, nec etiam ad singulam virtutem praecedentis triadis.

Haec trias virtutum explicite a Sancto Paulo enuntiatur etiam I Cor. XIII, 13; alibi subiacet aliis verbis: Col. I, 4-5; Gal. V, 5-6. Sed dum hic, in ep. ad Thess., locus principalis datur *spei* ob rationes supra dictas, in loco cit. I Cor. principalem locum obtinet caritas, quia, ut ibi legitur, *charitas numquam excidit*, I Cor. XIII, 8. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec: maior autem horum est charitas*, v. 13. In hoc textu ergo I ad Cor. S. Paulus facit encomium charitatis.

4. *Scientes*... Compendiose iterum et cum emphasi ratio datur quare tantae gratiae reddendae sint: siquidem norunt Apostoli electionem Thessalonicensium. Hoc autem adiungitur ad laudem introducendam eorum mirabilis fidei, et vitae fidei conformis, ita ut facti sint imitatores Apostolorum et Domini.

fratres: nomen usitatissimum inter Christifideles, tempore apostolico. Hic tamen cum emphasi et sensu tenerrimae charitatis, sicut in utraque epistola ad Thess. frequentius quam alibi Apostolus interpellat lectores. In prima ep. ad Thess. non minus quam *quaterdecies* vox *fratres* occurrit interpellando; in secunda (cons-

nostrum; 4. scientes fratres, dilecti a Deo, electionem vestram; 5. quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tan-

5. loco: *in plenitudine* lege: *in persuasione,* vel *in fiducia.*

tanti tribus cap. tantum) *septies*, dum in longa ep. ad Rom. (sexdecim cap.) novies tantum interpellando titulus *fatres* usurpatur. Ex Actis apparet Judaeos etiam hoc nomine se invicem salutasse, II, 29, 37, III, 17 etc.; Dominus hanc spiritualem fraternitatem aperte docuit Matt. XII, 48, XXIII, 8: *omnes vos fratres estis.* Haec autem fraternitas inter Christi discipulos fundatur in effuso sanguine Christi, qui meruit nobis gratiam seu vitam supernaturalem, ita ut omnes facti simus filii Dei: " Si autem filii et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi „ tamquam fratres Christi, et filii eiusdem Patris. Rom. VIII, 17, cfr. Eph. III, 6.

Notandum tamen in papyris inventum esse eundem usum pro conventiculis pure laicis, et congregationibus religiosis paganis, cfr. *M. Mill.* Sed et societates secretae modernae tale nomen assumere possunt; infinite autem distat fraternitas haec a fraternitate christiana, prout eam descripsimus. Usus huius denominationis inter fideles servatus est in monasteriis, et etiam in instructione religiosa a sacerdote fideles alloquente.

dilecti a Deo: ἠγαπημένοι, cfr. infra IV, 9. Verba *a Deo* non referantur (*Joh. Chrys.*) ad sequentia: *electionem vestram*; quia in epist. semper electio intelligitur divina. (*Dobsch.*) Cfr. Ecclis. XLV, 1; II Thess. II, 13. *M. Mill.* ad ἀγαπάω.

electionem vestram. — In Evangeliis apparet clara distinctio inter *vocati* κλητοί et *electi* ἐκλεκτοί, v. g. Matt. XXII, 14 " *multi enim sunt vocati, pauci vero electi* „; vocatio ideo maiorem extensionem habet quam electio, *vocatio* est ad privilegia Evangelii, *electio* autem ad finalem salutem (Matt. XXIV, 22, 24, 31; Mc. XIII, 20, 22, 27; Luc. XVIII, 7); atque in hoc sensu sumitur vox *electio,* quando nostrae linguae christianae modernae loquuntur de electis, de sanctis qui in coelo sunt. Quare omnes commentatores antiqui et medii aevi hic intelligunt electionem ad salutem finalem. Sed apud D. Paulum talis distinctio non videtur fieri; *vocatio* potius respicit terminum ad quem, *electio* terminum a quo; utraque vox autem realiter idem significat, admissionem scil. ad fidem, ad privilegia evangelii. Eaedem personae dicuntur aeque vocatae, ac electae, vocatae ad Christum, electae ex mundo. In nostro textu manifeste agitur de *electione* ad fidem, ad hoc scil. ut membra essent Ecclesiae. Similiter II Tim. II, 10: " Ideo omnia sustineo propter electos (διὰ τοὺς ἐκλεκτούς) ut et ipsi salutem consequantur „, ex his ultimis verbis manifeste apparet *incertitudo salutis* finalis illorum *electorum*; cfr. similiter

ἡμῶν οὐκ ἐγενήθη εἰς ὑμᾶς ἐν λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πληροφορίᾳ πολλῇ, καθὼς οἴδατε

Rom. XVI, 13: *Salutate Rufum electum*, evidenter non agitur hic de electione finali; item I Cor. I 26-27: " Videte... *vocationem* vestram fratres, quia non multi sapientes... sed quae stulta sunt mundi *elegit* Deus... et infirma mundi *elegit* „ ubi vocare et eligere synonyma sunt. — Ideo apud S. Paulum *electio* sicut *vocatio* est ad quodcumque Dei supernaturale beneficium, atque hic quidem, uti diximus et apparet manifeste ex seq. 5, ad fidem seu Ecclesiam. Cfr. *Lightfoot*, Ep. to the Col. p. 218, ad c. III v. 12.

Eodem modo concludit *Prat* post diligens examen omnium textuum in quibus occurrunt verba *vocare* vel *eligere*: " Lorsque *appeler* a pour sujet Dieu et ne signifie pas simplement donner un nom, il désigne toujours dans saint Paul une *vocation efficace* (*contra Knab. ad h. l.*) *Appelé* indique toujours (sauf Matt. XX, 26 ; XXII, 14) celui qui a répondu à l'appel divin... pratiquement *appelé* signifie *chrétien*. ... *Elu* est ordinairement synonyme d'appelé... " *Op. cit.*, I, p. 344.

Sicut ergo apud S. Paulum *electio* non est ad salutem aeternam, sed ad fidem seu Ecclesiam; ita etiam *electio* non est formaliter aeternus actus divinus (contra Bornemann, Dobschütz), sed potius eius executio in tempore per admissionem ad bona messianica. Quomodo caeteroquin S. Paulus scire potuisset electionem Thessalonicensium ad salutem finalem? Cfr. tamen *Estium*.

Ea quae sequuntur demum, de modo quo evangelium inter Thess. fuit praedicatum et ab eis libenter admissum, probant hic agi de admissione seu electione ad fidem et gratiam Evangelii.

Fides autem et gratia est semen salutis aeternae et gloriae; ideo electio ad Evangelium tale est donum, ut, positis ponendis, ducat ad salutem finalem. Electio ad fidem et electio ad gloriam possunt considerari ut unum: nam qui efficaciter vocatus est ad fidem, est in via ad gloriam; et qui electus est ad gloriam, prius vocatur efficaciter ad fidem.

S. Paulus ideo dicit se cognoscere Thessalonicensium electionem ad fidem et gratiam (uti patet ex v. 5). Illa autem admissio in Ecclesiam viatorum debet terminari in Ecclesia beatorum; visio fidei debet perfici, secundum misericordem Salvatoris providentiam, in visione essentiae Dei sine velamine.

Illa electio nota est Paulo sequentibus signis:

5. *quia*, melius *quomodo* (II, 1, Rom. XIII, 11, I Cor. XVI, 15, II Cor. XII, 3 sq.

Evangelium nostrum, evangelium quod praedicamus, seu praedicatio nostra evangelica, I Cor. IX, 14 18, II Cor. II, 12, X, 14.

Εὐαγγέλιον, quod in singulari,

tum, sed et in virtute, et in Spiritu sancto, et in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. 6. Et

apud auctores classicos est rarissimum, ibi significat *praemium* pro bonis nuntiis (Hom. *Od.* XIV, 152, 166), in plurali autem frequentius occurrit pro *gratiarum actionibus* ob bona nuntia; ac postea pro ipsis *bonis nuntiis* usurpata est vox.

Apud LXX substantivum semel (II Reg. IV, 10) cum sensu originali homerico, verbum autem frequentius occurrit, praecipue in altera parte Isaiae, cuius textus LXI, 1 (: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis* (Evangelizare pauperibus) *misit me εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέν με* etc...); applicatus a Iesu sibi ac ministerio suo (Luc. IV, 18 sq.), potest considerari ut prototypus nominis evangelii applicati doctrinae messianicae. Pro verbo *evangelizare* adhuc cfr. eumdem Lucam VIII, 1, IX, 6, subst. autem non occurrit in Lucae Evangelio; cfr. Acta XV, 7 verba Petri, XX, 24 verba Pauli.

Ubi substantivum occurrit in N. T. (excepto forte Mc. I, 1) designat bonum nuntium, quod misit Iesus in mundum. Non occurrit vox nec apud Iacobum, nec in scriptis Iohannis (excepta Apocal. ubi subst. semel, verbum bis). In I Petri verbum ter.

Sed in Epistolis Sancti Pauli tam substantivum quam verbum est frequentissimum: subst. 10; verbum 30, ep. ad Heb. bis.

Vox: *Evangelium* mox designavit *librum* continentem bonum nuntium, forte iam Mc. I, 1, probabilius in *Didache* VIII, 2, XV, 4; certe apud Ignatium, *Phil. V*, ubi distinguuntur scripta N. T. in *evangelia* et *apostolos*. — Cf. Milligan, op. cit. 141-144; Prat, op. cit. II, p. 57-60.

non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu sancto, et in plenitudine multa. Ultimum verbum lege: *in persuasione* vel *fiducia multa πληροφορία*. Pro eadem oppositione inter: *in sermone et in virtute* cfr. I Cor. II, 4, IV, 19 sq. Paulus ideo non erat, absque caritate, velut aes sonans, aut cymbalum tinniens, I Cor. XIII, 1.

Primo dicitur negative qualiter non fuit Pauli evangelium, scil. non fuit in sermone tantum; cui opponitur descriptio positiva tribus verbis, quae ab invicem non sunt separanda, sed intime coniungenda; idem enim describunt sub diverso aspectu scil.: supernaturalem successum praedicationis evangelicae. (Bornemann, p. 58).

In virtute, non alludit ad miracula, quae Paulus numquam invocat pro credibilitate proprii operis, sed ad supernaturalem vim quacum Thessalonicensibus efficacissime praedicatum est Evangelium. Haec supernaturalis vis erat a *Spiritu Sancto* inflammante praedicatores atque ipsis conferente: *convictionem, fiduciam magnam.*

Vox ultima *πληροφορία* est epist.

οἷοι ἐγενήθημεν ἐν ὑμῖν δι' ὑμᾶς. 6. καὶ ὑμεῖς μιμηταὶ ἡμῶν ἐγενήθητε καὶ τοῦ κυρίου, δεξάμενοι τὸν λόγον ἐν θλίψει πολλῇ

paulinis propria: Col. II, 2; I Thess. I, 5; Hebr. VI, 11, X, 22. Correspondens verbum quinquies apud Paulum occurrit: Rom. IV, 21, XIV, 5, Col. IV, 12, II, Tim. IV, 5, 17; semel extra Paulum apud eius discipulum Lucam I, 1. Verbum legitur in papyris cum sensu peculiari: *satisfacere.* Substantivum quod in Sacra Scriptura apud Paulum tantum occurrit, non invenitur nec apud classicos, nec apud LXX; iam post Paulum apud Clementem Rom. occurrit *Cor.* XLII, 3. Est ideo vox biblica et ecclesiastica, cuius sensus proprius est: *convictio vel confidentia.* Haec confidentia seu sancta audacia est nota characteristica praedicationis apostolicae prout Lucas cum insistentia ostendit. (Cf. infra ad II, 2).

sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Characteris praedicationis apostolicae, ipsi lectores testes sint; ita saepe S. Paulus provocat ad testimonium Thessalonicensium I Thess. I, 5, II 1 sq., 5, 9, 11, III, 3 sq., IV, 2, V, 2; II Thess. II, 5 sq., III, 7); — *fuerimus ἐγενήθημεν*: *facti simus, quales nos gesserimus, ostenderimus...* propter vos, utilitatem vestram tantum considerantes et quaerentes. Cf. II Cor. IV, 7-15: de devotione Pauli ergo discipulos suos; de vita Pauli inter Thessalonicenses cfr. infra II, 5-12.

6. Illa electio Thessalonicensium Paulo manifestata est non solum per praedicationem spiritualem Evangelii a parte praedicatorum (v. 5), sed etiam per huius evangelicae praedicationis perfectam admissionem a parte discipulorum (v. 6).

Et vos imitatores nostri facti estis. - *Vos* cum emphasi in initio ponitur. *Μιμηταί* adhuc II, 14; extra ep. ad Thess.: I Cor. IV, 16, XI, 1, Eph. V, 1, Heb. VI, 12 (ergo sexies in N. T). Verbum corresp. II Th. III, 7, 9.

Quantum encomium! exclamat *S. Ioh. Chrysost.*, discipuli repente facti sunt magistri: non solum audierunt verbum, sed etiam ad idem pervenerunt fastigium ad quod Paulus.

et Domini: statim autem attenuat Apostolus expressionem praecedentem, ac simul indicat imitationem sui esse imitationem Christi, secundum illud I Cor. XI, 1: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi*, cf. Eph. V, 1. Perfectio autem Dei est supremum exemplum nostrum, secundum haec verba Christi: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est*, Matt. V, 48.

Thessalonicenses imitati sunt Paulum et Christum non solum per admissionem fidei, sed per vitam conformem huic fidei, non obstantibus tribulationibus, etc.

excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti. Ita excipere verbum evangelicum ac servare, in tribulatione multa cum gaudio, est revera vivere in fide

vos imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti; 7. ita ut

7. pro: *forma* legi posset: *exemplar*, i. e. *exemplum imitandum.*

et ideo imitari Paulum et Christum (Col. I, 24).

In quantum discipuli patiuntur cum Christo, in tantum gaudeant, I Petri, IV, 13: " communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriae eius gaudeatis exultantes „, nunc " compatimur, ut et conglorificemur „ Rom. VIII, 27, " spe gaudentes, in tribulatione patientes „, *ibidem*, XII, 12 cfr. Phil. I, 29.

Vidimus cum quanta tenacitate Iudaei persecuti sunt Paulum, de civitate in civitatem eum sequentes; nunc etiam contra eius discipulos persecutionem movent, atque non tantum Iudaei, sed iis excitantibus, etiam pagani Christianos aggressi sunt, ut ex sequentibus videbitur cfr. I Thess. II, 14, III, 3, 7; II Thess. I, 4 sq.

cum gaudio Spiritus sancti: cum gaudio quod procedit a Spiritu sancto, Rom. XIV, 17, XV, 13. " Fructus enim Spiritus est... gaudium „, ut legitur Gal. V, 22; cfr. Gal. III, 1 et IV, 4. - Quod mundus et caro abhorrent, Spiritus dulce et amabile reddit: mortificatio scil. carnis, ut spiritus in gratia vivat cum Deo. Haec est nova doctrina Christi quae contradicit mundo et carni; et quidem in tribulationibus amor Christi facit gaudere. Exemplum habemus Apostolorum: Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, Act. V, 41; - exemplum Pauli II Cor. VI, 10: Quasi tristes, semper autem gaudentes; Col. I, 24: nunc gaudeo in passionibus pro vobis. Cfr. *comm.* V, 16.

7. *ita ut facti sitis forma*: τύπος a τύπτω: *percutere.* Inde primus sensus est: *vestigium ictus* vel *plagae nota impressa*, Ioh. XX, 25; deinde *imago* imprimendo expressa, *effigies*, aut *statua, simulacrum* Act. VII, 43; transfertur demum ad ipsam *formam typicam* secundum quam aliquid factum est. Act. VII, 44, Heb. VIII, 5. In sensu ethico, prout hic, significat *exemplum imitandum, seu exemplar*, etiam II Th. III, 9 et alibi.

omnibus credentibus τοῖς πιστεύουσιν. Particip. substantive adhibitum ut infra II, 10, 13 et II Th. I 10; et alibi. Fides est fundamentalis virtus qua accedimus ad Deum et Iesum, unde discipuli Evangelii dicuntur: οἱ πιστεύοντες = credentes.

in Macedonia et in Achaia, ἐν τῇ *M...καὶ ἐν τῇ Ἀ...* Repetita praepositio et articulus (gr.) indicant Paulum loqui de Macedonia et de Achaia tamquam de duabus provinciis distinctis, etsi vicinis, in quas Graecia divisa erat inde ab anno 142 a Chr.: ergo non solum in Macedonia, sed etiam in Achaia facti sunt exemplum omnibus credentibus. In v. seq. autem non dividuntur hae duae re-

μετὰ χαρᾶς πνεύματος ἁγίου, 7. *ὥστε γενέσθαι ὑμᾶς τύπον πᾶσιν τοῖς πιστεύουσιν ἐν τῇ Μακεδονίᾳ καὶ ἐν τῇ Ἀχαΐᾳ.* 8. *ἀφ' ὑμῶν γὰρ ἐξήχηται ὁ λόγος τοῦ κυρίου οὐ μόνον ἐν τῇ Μακεδονίᾳ καὶ* [1] *Ἀχαΐᾳ, ἀλλ' ἐν παντὶ τόπῳ ἡ πίστις ὑμῶν ἡ πρὸς τὸν θεὸν*

[1] S † *ἐν τῇ inter par.*

giones, quia simul sumptae opponuntur: *omni loco.*

Influxus fidei Thessalonicensium nunc describitur.

8. *A vobis enim*, sicut a centro exeunt radii; non autem a vobis praedicantibus.

diffamatus est sermo Domini: ἐξηχηται (*ἐξηχέομαι*) *hap. leg.* in N. T. Tamquam sonus tubae ita *personuit, ebuccinatus* est sermo Domini. Ita pulcherrime S. Ioh. Chrys.: "Nempe sicut tuba clare resonante repletur totus locus viciniae: ita vestrae virtutis fama, sicut illa resonans, sufficit ad implendum orbem terrae et pari sono perveniendum ad omnes ubique „. - Lightfoot praefert imaginem tonitrus, ac citat verba Hieronymi de stylo Pauli: non verba, sed tonitrua. Cfr. Ecclis. XL, 13. Imago tonitrus subest Ps. XIX (Vg. XVIII) 5: in omnem terram exivit *sonus eorum...*

sermo Domini ὁ λόγος τοῦ κυρίου. Estne sermo, cuius Dominus est obiectum, vel sermo dictus a Domino, i.-e. genitivum obiectivum, vel subiectivum? Apud prophetas frequentissime: *factus est sermo Domini ad me* (praecipue apud prophetam Ezechielem), quod LXX semper verterunt per verba: *λόγος Κυρίου*, sensus autem subjectivus ibi est manifestus: est enim sermo dictus a Domino ad prophetam. Unde etiam nostro loco sensus subiectivus apparet probabilior: evangelium = sermo qui est a Domino. Haec expressio decies circiter in Actibus occurrit, adhuc infra II Th. III, 1, sed non alibi; in toto vero N. T. frequens est expressio: *ὁ λόγος τοῦ θεοῦ*; semel tantum: *ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ*, Col. III, 16.

non solum in Macedonia et (*in*) *Achaia, sed in omni loco. - In* ante *Achaia* supprim; ac sec. gram. lat. melius legerentur omnia nomina in acc. Oppositio ergo est inter Macedoniam et Achaiam ut *unum*, (sub una praep. et uno art.) et *omnem locum.* Ergo quum iam subiectum et praedicatum phraseos ante *Macedonia et Achaia* habeantur, phrasis deberet terminari post: *in omni loco;* at cum impetu suo ordinario, amans repetitiones et appositiones ad maiorem vim ideae suae apponendam, subiungit Paulus: *fides vestra, quae etc...*; haec autem sunt repetitio vel appositio illorum quae initio v. 8 habentur: *a vobis enim diffamatus etc.*

Ad obtinendam grammaticalem constructionem Bornemann, post Lünemann et paucos alios, ponit colon ante: *non solum in Macedonia etc.*, cum quibus verbis inciperet nova phrasis cuius subj. et praed. sunt

facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia. 8. A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia et in Achaia, sed et in omni loco fides vestra, quae est ad Deum, profecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui, 9. ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum

8. del. *in,* ante: *Achaia,* loco: *diffamatus est,* lege: *personuit.*

illa: *fides vestra... profecta* est. (Ita fuse Bornem. p. 627).

Sed irregularitas optime ex modo ordinario S. Pauli explicatur. Iam vero exegetae non est auctorem corrigere... Atque connexio v. 8 cum 7 manifestissime requirit ut verba: *non solum in Maced... sed in omni loco,* coniungantur cum praecedentibus, non autem cum sequentibus, ut arbitrarie vult Bornemann. (Lightfoot, Milligan, et inter alios etiam Dobschütz contra Bornemann praedecessorem suum in comm. N. T. Meyer).

in omni loco. - Verba haec possunt esse aliquantulum hyperbolica. Recolenda tamen sunt quae diximus de situ internationali Thessalonicae hoc tempore. Possibile insuper est Paulum ab Aquila et Priscilla, qui recenter Roma venerant (Act. XVIII, 2), audiisse Thessalonicensium admissionem ad fidem iam usque ad Urbem divulgatam esse. Quod autem Urbi notum est, Orbi notum est: pervenit *usque ad ultimum terrae,* A. A. I, 8.

fides vestra, quae est ad Deum, profecta est. - Cfr.: Rom. X, 18: Et quidem in omnem terram *exivit sonus eorum* — evangelistarum — et in fines orbis terrae verba eorum (hic et ibi in gr. idem verbum: *ἐξέρχομαι*). In psalmo citato haec dicuntur de coelo, et quidem de tonitru (Ps. XIX, Vg. XVIII, 5), accommodantur autem a S. Paulo evangelistis Rom. X, 18; cfr. I Cor. XIV, 36.

ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui, i-e, ut nobis non sit opus apud alios exponere ac referre, quantum apud vos fructum fecerit semen verbi Dei; iam enim fama sermonem nostrum praecurrit; ita egregie *Estius.*

9. *Ipsi enim de nobis annuntiant.* scil. illi extranei cuiuscumque loci. Pleni sunt admiratione circa fidem Tessalonicensium, ita ut statim, non interrogati, incipiant loqui.

qualem introitum habuerimus ad vos. - *Εἴσοδος: ingressus.* Potest haec vox sumi in sensu proprio, i-e. *active:* de ingressu ad aliquos, in aliquem locum, v. gr. II, 1, Act. XIII, 24, Heb. X, 19, II Petri I, in omnibus istis locis certus est sensus proprius. Iam vero alibi non occurrit vox *εἴσοδος* in N. T. Posset etiam sumi in sensu *passivo:* de ingressu in corda, i-e. de receptione, successu. Atqui quum agatur de qualitate accessus, et de effectu eius inter Thessalonicenses, aliqui, ut

ἐξελήλυθεν, ὥστε μὴ χρείαν ἔχειν ἡμᾶς λαλεῖν τι· 9. *αὐτοὶ γὰρ περὶ ἡμῶν ἀπαγγέλλουσιν ὁποίαν εἴσοδον ἔσχομεν πρὸς ὑμᾶς, καὶ πῶς ἐπεστρέψατε πρὸς τὸν θεὸν ἀπὸ τῶν εἰδώλων δουλεύειν θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ,* 10. *καὶ ἀναμένειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐκ τῶν οὐ-*

Knabenbauer (p. 34, 39-40), admittendum putant sensum passivum. In hoc casu non tam consideratur Pauli *adventus* ab adversariis turbatus, sed hujus adventus *effectus* ac successus: seu adventus successu coronatus, conversione scil. cordium. Hac consideratione non obstante, omnino admittendus nobis videtur sensus proprius: de *ingressu* Pauli ad Thessalonicenses: α) quia alibi in hoc sensu vox exclusive usurpatur; β) verba: "*περὶ ὑμῶν* = ipsi enim *de nobis* annuntiant „ manifeste indicant primo et separatim considerari apostolorum accessum ad Thessalonicam; γ) intima connexio cum II, 1, ubi evidens est sensus activus (consentiente Knab. p. 39-40) omnino imponit, etiam hic, sensum activum. — Ergo hic non consideratur ut unum aliquid adventus Pauli successu coronatus; sed utraque idea separatim sumitur, ex parte apostolorum: adventus ac ministerium eorum inter Thessalonicenses; ex parte discipulorum: mirabilis conversio ad Deum. — Estius, Bornemann, Lightfoot, Milligan, optime apud Dobschütz, p. 76.

et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris. - Plerique ergo fideles Thessalonicenses ex gentilitate oriundi erant: a simulacris seu idolis conversi, ut in introd. dictum est., cfr. II, 14. Caeteroquin ipsa verba: *πρὸς τὸν θεόν ad Deum*, hoc probant. De Iudaeis enim aut proselytis diceretur: *πρὸς τὸν Κύριον*. Comp. II Cor. III, 16 cum Gal. IV, 9, hic agitur de paganis Galatiae conversis: *πρὸς τὸν θεόν*; ibi autem de Iudaeis, dicitur ergo: *πρὸς τὸν Κύριον ad Dominum.*

servire Deo vivo et vero. Post: *conversi estis a simulacris* mera appositio, sec. stylum consuetum S. Pauli. Utraque expressio desumitur ex Vet. Test.: α) Deus *vivus* (heb. *El chai*), Ios. III, 10, Ps. XLII, 3, LXXXIV, 3, Os. II, 1 et alibi; et quidem notio vitae includit potentiam, activitatem Dei, cfr. in N. T. Act. XIV, 15 (14), II Cor. III, 3, Heb. IX, 14; β) *Deo vero* = *ἀληθινῷ*, hoc adjectivum, frequens in scriptis Ioh., hic tantum apud Paulum occurrit (*ter* in epist. ad Hebraeos), et quidem cum sensu *veri* seu *realis*, ut oppositum *idolis*, quae nulla (heb. *Elilim*) sunt. Comp. Is. LXV, 16, II Par. XV, 3, etc. Ergo sensus non est: Deus *verax*, prout vertit Erasmus. Uterque terminus: *Deus vivus* = *vivens*, *et verus* = *realis*, opponitur simulacris seu idolis aut diis mortuis et falsis seu non — existentibus. Cfr. Dobschütz.

δουλεύειν: *servire*. - Non adhibetur in litteris paganis de cultu divino, occurrit tamen *ἱερόδουλοι*, de personis consecratis idolis, v. g. Aphroditae Corinthiacae. — Cfr. M. Mill.

10. *Et expectare Filium eius de coelis*; *ἀναμένειν* hap. leg. in N.

habuerimus ad vos; et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, 10. et expectare Filium

10. Iesum *eripientem nos* (vel *qui eripit nos*) *ab ira venienti.*

Test., frequens in Vet. Test. et in papyris. *M. Mill.* — Ista conversio ad Deum a simulacris, istud servitium Dei viventis et realis, ista vita nova christiana determinatur in exspectatione secundi adventus Messiae. Ideo ista expectatio nihil aliud est quam virtuosa vita in christiana vigilantia, ut parati inveniantur veniente Domino.

de coelis. — Comp. Dan. VIII, 13; Matt. XXIV, 30, XXVI, 64. Pluralis forma probabiliter explicanda est secundum vocem hebraicam correspondentem, quae tantum in plurali occurrit; non autem secundum ideas rabbinorum septem coelos supponentium (Ascensio Isaiae VI-IX). Paulus nunc singulare tunc plurale indifferenter adhibet. S. Matthaeus autem 55 plurale, sed 27 tantum singulare; dum vero Apocalypsis e 52 vicibus, ubi vox occurrit, semel tantum plurale habet sub influxu manifesto LXX (XII, 12). Hic indifferens usus indicat formae plurali non subiacere theoriam de pluralitate coelorum, sed esse formam mere synonymam cum singulari, et quidem dependere a lingua LXX, seu a voce hebraica: *shamaim.* Similiter e textu II Cor. XII, 2 de raptu *usque ad tertium coelum* argui non potest pro admissa theoria rabbinica de septem coelis. — Cfr. Grimm, *op. cit.* ad verbum *οὐρανός*; Cornely, Ep. ad Cor. ad h. l. p. 317-318.

quem suscitavit a mortuis. Paulus ergo supponit mortem et resurrectionem Iesu; et quae ut facta supponuntur, fiunt principia altioris doctrinae. Resurrectio vel potius suscitatio Iesu a Deo (I Cor. VI, 14, XV, 15, Gal. I, 1 etc.) non adducitur hic ut argumentum pro filiatione divina Messiae (Rom. I, 4), sed ut conditio praerequisita secundo adventui eius. Conferenda sunt pro eodem sensu, quae Paulus hoc fere tempore locutus est in Areopago Atheniensi, Act. XVII, 31: "... statuit (*Deus*) diem in quo iudicaturus est orbem in aequitate, in viro, in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis„.

Iesum, qui eripuit nos = *τὸν ῥυόμενον* i. e. *eripientem nos*, vel *qui eripit nos* (in praesenti): opus salvificum Christi durat adhuc, inde praesens; vet ut titulus *Liberatoris: ὁ ῥυόμενος* (Is. LIX, 20 = Rom. XI, 26, heb. *Goêl*). - Verbum *eripere* forte alludit ad significationem nominis Iesu: *Iehoshua*, forma abbreviata: *Ieshua*, i. e. *cuius auxilium est Iahwe.* Cfr. Matt. I, 21: " vocabis nomen eius *Iesum*, ipse enim *salvum faciet* populum suum a peccatis eorum.„ Circa Iosue (idem nomen ac

ρανῶν, ὃν ἤγειρεν ἐκ τῶν νεκρῶν, Ἰησοῦν τὸν ῥυόμενον ἡμᾶς ἐκ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης.

II, 1. *Αὐτοὶ γὰρ οἴδατε, ἀδελφοί, τὴν εἴσοδον ἡμῶν τὴν πρὸς ὑμᾶς, ὅτι οὐ κενὴ γέγονεν,* 2. *ἀλλὰ προπαθόντες καὶ ὑβρισθέντες*

Iesus, sicut Isaias = *Ieshaiahu* postposito nomine Iahwe) confer Ecclis. XLVI, 1.

ab ira ventura, gr. part. praes. *ἐρχομένης* = venienti, de facto idem ac *μελλούσης*, Mt. III, 7, Luc. III, 7. - Sine determinatione, manifeste enim agitur de *ira Dei* ut II, 16, V, 9; Rom. III, 5, V, 9 et alibi cfr. Dobschütz, p. 79-80. - *Ira veniens* seu *ventura* non solum futurum indicat, sed et certitudinem et imminentiam: pro omnibus enim hominibus mors incerta ac singulis momentis appropinquans, idem est ac certo veniens et iam imminens adventus Messiae Judicis; sed Iesus: " nos liberat a poena damnationis aeternae, quae superventura est impiis et infidelibus, de qua clarius et terribilius loquitur in II, ad Thess. c. I. „ Estius.

II. - *Pauli ministerium apud Thessalonicenses*, II, 1-12.

In hac pericope ita describit S. Paulus vitam suam et suum ministerium apud Thessalonicenses, ut scopus apologeticus nullum effugere possit. Iam supra quidem probaverat electionem Thessalonicensium ex *praedicatione sua* efficaci inter eos (I, 5), sed hanc praedicationem referebat ad Deum ut Eius gratiam specialem erga Thessalonicenses.

Nunc autem Paulus non timet opus suum, vitam suam laudare, i. e. vindicare contra adversarios illos, qui eum Thessalonica et Beroea expulerant, ac nunc inter eius discipulos perniciosum suum laborem continuabant.

Supponere ergo possumus Timotheum Thessalonica revertentem (III, 6) Paulo retulisse, quomodo Iudaei adhuc, et etiam pagani ab illis excitati, apostolicum eius opus ac famam indefesse denigrarent.

Tota apologia Pauli, semper auditorum et Dei testimonium invocantis, posset his verbi resumi: " *Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Iesum* „ II Cor., IV, 5. Comp. totum hoc cap. IV, ep. 2ae ad Cor. cum pericope explicanda.

In Pauli apologia, hic et in caeteris epistolis, non possumus non admirari probum, nobilem characterem, candidam conscientiam Apostoli cui *vivere Christus est.*

1. *Nam ipsi scitis* etc... Testimonio aliorum (I 9a) superadditur testimonium ipsorum Thessalonicensium. In hac apologia autem frequentius ad testimonium eorum appellat (1, 2, 5, 9, 10, 11) sicut ad testimonium ipsius Dei (4, 5, 10).

Ipsi αὐτοί, cum emphasi ponitur in initio phraseos, quae cum praecedenti coniungitur mediante

eius de caelis (quem suscitavit ex mortuis) Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

II, 1. Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit: 2. sed ante passi, et contumeliis affecti

2. cum multo certamine (V. L.; cfr. comm.).

particula *γάρ*, sumenda in sensu *caeteroquin: vos ipsi caeteroquin scitis* etc.

Sicut invocatio testimonii Thessalonicensium est characteristica in his epistolis (cf. I, 5), ita etiam emphatica positio pron. *αὐτοί* (I, 9; III, 3; IV, 9; V, 2; II Thess., III, 7). Emphasis adhuc augetur repetitione tituli: *fratres.*

introitum nostrum ad vos: hic evidenter vox *εἴσοδος* (*ingressus*) in sensu proprio est sumenda, motus enim indicatur praepositione *ad*; quod conceditur a *Knabenbauer.* Sed, ut bene notat *Bornemann*, sicut verba: *nam ipsi scitis* parallela sunt cum I 9: *ipsi... annuntiant;* ita verba: *introitum nostrum ad vos*, correspondent verbis: *qualem introitum habuerimus ad vos* in eodem v. 9. Propter hanc evidentem connexionem, vox *introitus*, in v. 9, debet sumi in eodem sensu ac hic II, 1.

quia non inanis fuit: sequentia probant adiectivum *inanis* = *κενή* non tam effectum (*Estius*), quam obiectum et internum characterem praedicationis Apostolorum describere. Sub aliis verbis idem est ac I, 5: *Evangelium nostrum non fuit* (factum est, manifestatum est) *ad vos in sermone tantum, sed et in virtute* etc. Circa characterem Pauli praedicationis cfr. v. gr. I Cor. II, 1, 4; IV, 19 sq.; XV, 10; et consilium bis carissimo suo Timotheo datum de vitandis profanis novitatibus et vaniloquiis (I Tim. VI, 20; II Tim. II, 16). *Ioh. Chrys.*: " non humanus, neque levis ac vulgaris. „ *Caietanus* optime: " non fuit vacuus veritate, sancto affectu, sanctis operibus, manifestis probationibus: *in genere siquidem proponit quod per multas partes subiungendo explicat.* „ (Cfr. *Cai.*).

2. *sed ante passi et contumeliis affecti* (*sicut scitis*) *in Philippis* — Ostendit Apostolus suum ingressum ad eos non inanem, i. e. levem ac facilem fuisse; e contrario, iam multum passus apud Philippenses, mactus animo venit et locutus est audacter ad eos Evangelium Dei. Ut bene observavit Caietanus hic et in seq. evolvitur idea generalis v. 1, et quid *inani* sit oppositum, ostenditur. Primo ergo " e regione subiungit quod plenus fuit probatione et fiducia in Deo „ *Cai.*

ante passi = *προπαθόντες*, hap. leg. in N. T., classicum. Etiam dum esset Corinthi, unde nunc scribit, multum patiebatur et in corpore et in anima: *infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos.* (I Cor. II, 3).

et contumeliis affecti: et qui-

καθὼς οἴδατε ἐν Φιλίπποις ἐπαρρησιασάμεθα ἐν τῷ θεῷ ἡμῶν λαλῆσαι πρὸς ὑμᾶς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ ἐν πολλῷ ἀγῶνι. 3. ἡ γὰρ παράκλησις ἡμῶν οὐκ ἐκ πλάνης οὐδὲ ἐξ ἀκαθαρσίας

dem, et insuper, quamvis cives Romani essemus, ego et socii mei indigne in vincula coniecti sumus, ligno strictis pedibus, cfr. AA. XVI, 19 sq.: " Facinus est, vinciri civem Romanum, scelus verberari, prope parricidium necari. „ *Cic. c. Verrem, act. II, l. V, c. 57, n. 170.*

Non ergo in corpore tantum passi, sed, quod peius est, in honore nostro laesi sumus. Hanc indignam contumeliam contra dignitatem suam civis Romani vividissime senserat Apostolus ac pro honore Evangelii publice vindicaverat. Quando volebant magistratus occulte dimittere eum, superbe exclamavit: " Caesos nos publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, et nunc occulte nos — Paulum et Silvanum — eiiciunt? Non ita; sed veniant, et ipsi nos eiiciant „. A A. XVI, 37-38ª.

in Philippis, A. A. XVI, 19-40, Phil. I, 30.

sicut scitis: cum emphasi repetitur, quod paulo ante iam dixerat. Hoc incredibile factum contra cives Romanos vos scitis. Ipsorum testimonium invocat, ac si suum non sufficeret... tam inaudita erat haec calumnia. " Cui pressurae non cessit, sed fortior inventus est, dum audet praedicare, nec timet loqui. „ (*Ambr.*).

fiduciam habuimus... Verbum frequentissimum in A. A. ut mox ostendemus: *exerta libertate usi sumus...* (Ambrosiaster), macti animo et audaces ergo venerunt.

in Deo nostro: ἐν τῷ θεῷ ἡμῶν. Expressio characteristica in his epistolis, III, 9; II Th. I, 11, 12. Extra has epistolas semel I Cor. VI, 11 (et Heb. XII, 29). Cfr. *Frame* ad h. l. - En fons audaciae eius ac virtutis. Ita semper audax et apostolicus praedicator Paulus unice confidit Deo et gloriatur in infirmitate seu debilitate sua, cfr. II Cor. IV, 7: ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis; XII, 10: Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum; Eph. VI, 19-20: (*orantes*) et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii: pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam prout oportet me loqui. - Haec fiducia et audacia, seu sancta libertas in praedicando Evangelio, est virtus characteristica Apostolorum, prout apparet ex A. A.: vox *παρρησία* quinquies ibi occurrit de ministerio apostolico, frequenter in epistolis; verbum correspondens: *παρρησιάζομαι = libere, cum fiducia loquor,* septies ac semper de Paulo (cfr. supra I, 5). Omnis convictio audax est, quanto magis convictio nata ex spiritu fidei supernaturalis!...

loqui ad vos Evangelium Dei.

(sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine. 3. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque

3. *exhortatio*, verte: *institutio*. Loco *de... de*, lege: *ex... ex*.

Evangelium i. e. bonum nuntium, cuius Deus est vel obiectum (*gen. objectivum*), vel cujus Deus est origo seu auctor (*gen. subj.*). Hic ultimus sensus est probabilior, ut supra diximus de *sermone Domini* (I, 8); apparet ita Apostolus ut nuntius intermedius inter homines et Deum revelantem evangelicas veritates; cfr. supra I, 5.

in multa sollicitudine = *ἐν πολλῷ ἀγῶνι*: medias inter difficultates *cum multo certamine*, ut habet Vetus Latina; *in magno certamine*, Ambrosiaster. - Novae enim tribulationes Paulo supervenerant in metropoli Macedoniae. Post illa quae dixit de Philippis, et consideratis illis, quae etiam Thessalonicae perpessus est, putamus hic agi de externis conflictibus (Phil. I, 30) potius quam de internis (Col. II, 1). Ideo V. L. pressius ideam reddit quam nostra Vulg.; seu: *cum multo certamine*, non: *in multa sollicitudine*. Ita plerique auctores, exceptis *Dobschütz* et *Knabenbauer*. Hic ultimus bene defendit versionem Vulg., quod libenter fatemur.

3. Nam, subiungit Apostolus, nostra institutio fuit in veritate, non quaesito favore nec appetita gloria ab hominibus. Nocte et die operantes, intendimus tantum vestram utilitatem, et approbationem Dei. " Manifestat, scribit *Cai.*, quod non fuit *inanis* velut erronea, immunda aut dolosa „.

Exhortatio enim nostra... Pro connexione cum v. 2 cf. praeced. Vox latina: *exhortatio* non adaequate reddit vocem graecam: *παράκλησις*, cuius sensus generalis est: *alloquium, institutio*. *Chrysostomus* scribit: *διδαχή*, *Theodoretus:* *διδασκαλία*, quem sensum hic proponimus: *institutio* seu *doctrina;* cfr. *Wohlenberg* p. 41, notam 3. Si respicit praeteritum, est: *consolatio;* si praesens: *confirmatio;* si futurum: *exhortatio*. (Lightfoot).

non de errore: οὐκ ἐκ πλάνης, non ex errore originem ducens. Sumenda est vox, uti semper in N. T., cum sensu passivo: *erroris*, non activo: *deceptionis;* huic ultimo sensui respondet: *in dolo*, de quo statim. Ita fere omnes, contra *Estium*. Apostolus ergo scit se esse et loqui in veritate. Evangelium vocat: *verbum veritatis*, Col. I, 5. Falsi autem doctores, seu seductores, errant et in errorem mittunt seu decipiunt: *πλανῶντες καὶ πλανώμενοι*, II Tim. III, 13; cfr. I Ioh, IV, 6.

neque de immunditia: οὐδὲ ἐξ ἀκαθαρσίας, non ex immunditia, immundas actiones docens aut immundis passionibus indulgens. Talis protestatio non erat superflua inter sectatores religionum graeco-orientalium. Nonne et Apostoli, in decre-

οὐδὲ [1] *ἐν δόλῳ*, 4. *ἀλλὰ καθὼς δεδοκιμάσμεθα ὑπὸ τοῦ θεοῦ πιστευθῆναι τὸ εὐαγγέλιον οὕτως λαλοῦμεν, οὐχ ὡς ἀνθρώποις*

[1] S *οὔτε*.

to hierosolymitano, paganos conversos debuerant praemunire contra *fornicationem*, quam licitam, multi etiam philosophi, putabant? Ac S. Paulus, in omnibus fere epistolis, contra haec immunda vitia insurgere debet. Cfr. infra IV, 3: " Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra; ut abstineatis vos a fornicatione etc... ". Sanctificatio ergo et abstinentia a fornicatione caeterisque peccatis immundis, aequivalentes sunt termini; - quam maxime necessarium ergo debebat esse monitum contra hoc vitium.

Notandum est S. Paulum respondere calumniatoribus, ideo eorum verba quasi assumit. Tunc versabatur Paulus Corinthi inter cultores Aphroditae... (Cfr. *Introd.* c. I).

Contra planam significationem verbi, commentatores aliqui *ἀκαθαρσία* intellexerunt de quocumque morali vitio, ac in specie de *avaritia*, II, Cor. XI, 20; ita Bornemann, praecipue Dobschütz et Knabenbauer; — de *turpi lucro* (II Tim. III, 8), Findlay.

Sed avaritia graece dicitur *πλεονεξία*, hic iam v. 5 vox occurrit, et alibi saepe apud S. Paulum, qui utrumque verbum ergo et cognoscebat et non confundebat. Ut autem concise notat Lightfoot: There is as little ground for asserting conversely that *πλεονεξία* is equivalent to *ἀκαθαρσία*. Cfr. infra IV, 6. In I Esdrae I, 42 quidem *ἀκαθαρσία* adhibetur pro spolatione templi, sed revera cum sensu *profanationis* seu maculationis templi. Similiter in lingua hebraica: *immunditia, fornicatio* saepissime sumitur in sensu figurativo de idolatria, i. e. de infidelitate Israel erga Deum, sed numquam de *avaritia*. Immunditia ergo est vitium aliud, avaritia aliud, et ut optime notat *Bengel* (*Gnomon*, Rom. I, 29): " solet (*Paulus*) iungere (*avaritiam*) cum impuritate; nam homo extra Deum quaerit pabulum in creatura materiali, vel per voluptatem, vel per avaritiam. " Cfr. *Lightfoot, Colossians* p. 209-210.

neque in dolo: dolo ergo Apostoli non usi sunt ad circumveniendos neophytos, *in dolo* non egerunt cum eis. Cum praecedentibus substantivis particula *ἐν* indicabat potius originem, cum subst. *dolo* part. *ἐκ* indicat generalem methodum institutionis apostolicae. Pseudo-apostoli sunt operarii subdoli, II Cor. XI, 13; Paulus autem in eadem epistola de se testatur II, 17: " non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. " Cfr. *ibid.* IV, 2. Contra eamdem accusationem doli vel astutiae vigorose se defendit, *ibid.* XII, 16 sq. Sinceritas in verbis, absentia doli etiam in Christo laudatur, I Petri II, 22; cfr. Joh. I, 47.

in dolo, 4. sed sicut probati sumus a Deo ut crederetur nobis Evangelium: ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed

Haec sinceritas in verbo, et fidelitas iuriiurando est fundamentum vitae socialis.

4. *Sed sicut probati sumus* etc.: Paulus, minister fidelis, tamquam os Christi est in tradenda Christi doctrina; non ergo ex illis passionibus aut in deceptione fuit Pauli institutio, sed ex delegatione a Deo et pro Dei gloria. *Probati sumus*: δεδοκιμάσμεθα; verbum δοκιμάζειν significat proprie: *examinare, explorare*, v. gr. ac praecipue metalla, pecunias; deinde exploratione facta: *dignum iudicare, approbare*. In nostro textu: *probati sumus a Deo* (evidenter ex mera gratia ipsius Dei) *quibus concrederetur munus hominibus indicandi viam ad salutem*. (*Grimm*). Ergo origo doctrinae et praedicationis Pauli est in Deo, qui Paulum dignum iudicavit et fecit istius muneris. Paulus autem ita functus est munere suo ut Deo placeret.

ita loquimur: sicut nobis commissum est,

non quasi hominibus placentes, sed Deo. Placere hominibus exclusive intelligitur, ita scil. ut simul Deo aliquis non placeat; sicut Dominus noster dixit: non potestis duobus dominis servire, i. e. totaliter (= exclusive) uni et alteri servire. In ep. ad Gal. I, 10 idem legitur: " An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem „. Ita pluries discipulos suos hortatur " ut ambuletis digne Deo per omnia placentes „ Col. I, 10; huic autem opponitur ἀνθρωπάρεσκοι: *hominibus placentes*, Col. III, 22, Eph. VI, 6. Hoc verbum compositum desumitur ex LXX, Ps. LII, 6; occurrit etiam apud *Ignatium, Rom.* 2 *Justinum Apol.* I, 2, (Lightfoot, *Col.* p. 226). Ita iam coram Synedrio Apostoli exclamarunt: Deo obedire oportet magis quam hominibus (Act. V, 29); atque coaetanei Isaiae et Jeremiae in vanum petierunt quae placebant, non quae Deus revelaverat severa. Is. XXX, 10; Jer. V. 31.

sed Deo, qui probat corda nostra: δοκιμάζοντι τὰς καρδίας, Jer. XI, 20, Ps. VII, 10, Rom. VIII, 27. Verbum δοκιμάζειν hic redit ad primum sensum: *examinare*. Habetur ergo elegans lusus in duplicem sensum huius verbi.

Cor, secundum conceptus ac terminologiam Semitarum, sedes est cogitationis ac voluntatis, quam nemo videt; est interior homo, quem Deus tantum scrutatur: cor est centrum vitae personalis et moralis. Cfr. *Westcott*, Hebrews[3], *p.* 117-118.

Ex hoc plurali: *corda nostra* concludit *Lightfoot*, quem sequuntur *Milligan*, *Findlay* et alii, Paulum plurali utentem cogitare de sociis suis, ac ideo non in plurali epistolari de se solo loqui: nam v. gr. nullus rex unquam loquetur de: *nostris coronis*, aut: *nostris calamis*. Sed, qui admittunt plurale epistolare, respondere possunt: α) Paulum

ἀρέσκοντες, ἀλλὰ[1] *θεῷ τῷ δοκιμάζοντι τὰς καρδίας ἡμῶν.* 5. *οὔτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακίας ἐγενήθημεν, καθὼς οἴδατε, οὔτε ἐν*[2] *προφάσει πλεονεξίας, θεὸς μάρτυς,* 6. *οὔτε ζητοῦντες ἐξ ἀνθρώ-*

[1] S † *τῷ inter par.* [2] S † *par.*

hic uti plurali, quia loquitur de omnibus hominibus; *β*). hic haberi citationem implicitam communis modi loquendi; ita Dobschütz p. 90. Respondet Lightfoot, ac iure, Paulum *corda nostra* hic referre ad se ac socios suos, pro quibus Dei iudicium invocat; cfr. etiam v. 8: *animas nostras*. Vid. notam ad I, 1; et accuratam lucidamque notam cl. *Lightfoot* ad h. l.

5. Animadvertendum est diligenter cum quanto vigore se defendat Apostolus, invocato iterum ac iterum lectorum testimonio, imo testimonio ipsius Dei.

Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: *ἐγενήθημεν:* facti sumus, inventi sumus. Genitiva: *adulationis* et *avaritiae* sumit *Lightfoot* pro genetivis subiectivis, i. e. sermo quo utitur blanditor, occasio seu praetextus quo utitur avarus; item *Dobschütz*, qui primum vocat *gen. characteris*. - *Κολακία*: *adulatio*, hic tantum occurrit in Nov. Test.

neque in occasione avaritiae: *πρόφασις* a *προφαίνω*, indicans rationem exteriorem, apparentem, ob quam aliquid fit, habitualiter quidem falsam seu praetextam, inde *praetextus*, Phil. I, 18. Avaritia a Paulo vocatur: *simulacrorum servitus*, Col. III, 5; melius tamen hic *πλεονεξία* verteretur: *cupiditas* vel *aviditas*, nullo respectu habito iuris aliorum; cfr. infra IV, 6.

Deus testis est: Dei testimonium invocat Ap., agitur enim de intentione seu ratione interna operis sui; dum vero pro verbis suis seu exteriori ratione agendi invocaverat testimonium ipsorum Thessalonicensium.

In hac iterata provocatione ad testimonium discipulorum, et ipsius Dei, qui scrutatur corda et renes, splendide fulget sinceritas conscientiae Apostoli; cfr. Rom. I, 9, II Cor. I, 23, Phil. I, 8. Jesus etiam invocat testimonium operum suorum et Patris sui, Joh. V, 31 sq.

Quanta nobis vis in Dei testimonio! Debiles et iniuste oppressi in immutabili aeterna Justitia, omnipotentem hauriunt virtutem ac pacem, quam nullus homo turbare potest.

6. *Nec quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis.* Reiecta suspicione aviditatis, reiicitur nunc suspicio inanis gloriae: Non nosmetipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum, II Cor. IV, 5. Ac Jesus de se testatur: Claritatem ab hominibus non accipio, Joh. V, 41.

Δόξα (a *δοκέω*, *opinor*, *puto*) in primo sensu, apud classicos frequentissimo: *opinio* vel *sententia*; deinde: *existimatio de aliquo bona vel mala*, in sacro codice semper *bona*

Deo, qui probat corda nostra. 5. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione avaritiae: Deus testis est: 6. nec quaerentes ab hominibus gloriam,

5. Loco *in occasione avaritiae*, lege: *praetextu cupiditatis.*
6. pro: *ab* hominibus, graece: *ex* hom.

indeque *laus, gloria* (v. 20); nam gloria est clara cum laude notitia.

Etiam adhibetur ut translatio hebraei *kabôd* (usu Graecis alieno) de: *splendore, fulgore*, v. gr., Act. XXII 11; infra v. 12, cfr. *notam ibi.*

Graece legitur: *ἐξ ἀνθρώπων*, deinde *ἀφ' ὑμῶν... ἀπ' ἄλλων*. In lingua graeca hellenistica saepe indiscriminatim *ἐξ* et *ἀπό* adhibentur (Milligan ad h. l.); si tamen attendatur strictus sensus utriusque particulae: *ἐξ* designaret fontem originalem = characterem generalem, *ἀπό* autem immediata media, quibus illa gloria humana quaeritur. Post generalia verba ergo: *humanam gloriam non quaesivimus*, in particulari cum emphasi adiungitur: *nec a vobis, nec a quibuscumque aliis.*

Hac differentia notata, optime scribit Estius: " Nec fuimus aliquando quaerentes gloriam, quae ex hominibus est: id est, expetentes gloriam humanam, neque a vobis, neque ab aliis quibuscumque. Oblique notat vitia pseudoapostolorum et carnalium verbi Dei ministrorum: quae sunt, hominibus placere et assentari, quaestum ex Evangelio venari, gloriam suam quaerere „.

His intime connectatur 7ª, relicta punctuatione Vulgatae, vid. *Knabenbauer*, p. 46.

7ª *cum possemus vobis oneri esse*: del. *vobis*, non legitur graece. *Ἐν βάρει* (Vulg.: *oneri*) duplici modo intelligi potest:

α) de sustentatione, quam evangelii praeco exigere potest, cfr. v. 9, II Th. III, 8. I Cor. IX, 11 sq. (v. 14: *Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*, idem Matt. X, 10, I Tim. V, 18) II Cor. XI, 7 sq., Gal. VI, 6; et quidem in pluribus ex istis textibus similis vox adhibetur pro *onere sustentationis*;

β) alii autem multi hoc intelligunt de onere auctoritatis et honoris: omnis honor onus... non sibi solum sed et aliis. Jamvero pro hac ultima sententia invocari potest immediata connexio cum: *non quaerentes ab hominibus gloriam.* Ita *Caietanus*: " Legendum est non oneri, sed in gravitate. Ab abstinentia siquidem auctoritatis qua uti potuissent, ut Christi apostoli, manifestant quod nec ab eis, nec ab aliis quaerunt gloriam, nam quaerentes gloriam, gerunt se in gravitate: hoc est in auctoritate. „ Ita *Bornemann, Dobschütz, Knabenbauer.*

Lightfoot autem prudentius aestimat utrumque sensum coniungendum esse: assertionem auctoritatis

πων δόξαν, οὔτε ἀφ' ὑμῶν οὔτε ἀπ' ἄλλων, 7. δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι ὡς Χριστοῦ ἀπόστολοι· ἀλλὰ ἐγενήθημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν, ὡς ἐὰν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα. 8. οὕτως ὁμειρόμενοι

et ius sustentationis, similiter *Milligan* qui in hoc sensu citat latinum proverbium : *honor propter onus*; item *Findlay*. Quibus respondet *Knabenbauer* : " hoc loco non quaeritur, quid per se et secundum amplitudinem notionis enuntiari possit; sed quid ex contextu colligatur „ hoc autem est : pondus auctoritatis et honoris.

sicut Christi apostoli. - Emphatice praeponitur *Christi*, ut statim appareat, apostolis sicut Christo ac pro Christo deberi honorem. In sensu latiori ergo vox : *apostolus* hic extenditur etiam ad Silvanum et Timotheum, ut saepe in antiqua litteratura christiana, cfr. AA. XIV, 4, 13 (graece 14) de Barnaba et Paulo, et alibi. *Dobschütz* autem praeoccupatus epistolari plurali admittit plurale : *apostoli* de solo Paulo intelligendum esse, vel potius de categoria Apostolorum, in qua est Paulus. Cfr. II Cor. II, 7 sq.

In epistolis ad Thessal. hic tantum vox *ἀπόστολος* occurrit. Praeter sensum etymologicum : *missi*, in inscriptionibus atticis et papyris significat *expeditionem navalem* seu *classem*, et in particulari *navem frumentariam*, cfr. *M. Mill.* In V. T. bis tantum legitur in sensu etymologico : III Reg. XIV, 6 (Aq.) et Is. XVIII, 2 (Sym.). In N. T. vero frequentissimi usus est (79 vicibus), praecipue apud Lucam (Ev. 6, Act. 28) et apud S. Paulum (34, ep. ad Heb. incl.). Cfr. *Ligthfoot* : *Galatians*, p. 92 ; *Batiffol* : R. B. 1906 p. 520 : *L' Apostolat.*

Non quaesierunt ergo Apostoli hominum favorem, gloriam vel honorem ; quomodo egerint, nunc declaratur per oppositionem ad ista.

7b. *Sed facti sumus parvuli in medio vestrum.* Dubia est lectio graeca : vel *νήπιοι* = *parvuli*, vel *ἤπιοι* = *placidi, lenes, mansueti*, et quidem praecipue de patribus, regibus, iudicibus erga pueros, subditos, accusatos.

Editiones criticae omnes (excep. Lachmann, Westcott-Hort) ferunt *ἤπιοι*, etsi Tischendorfio testante : potior a testibus auctoritas sine dubio sit lectioni *νήπιος* (apud Knab).

Exegetae similiter omnes, paucis exceptis, tenent lectionem *ἤπιοι*, et dicunt lectionem alteram natam esse ex dittographia, repetito scil. *ν* vocis praecedentis *ἐγενήθημεν*. Sed qui alteram hanc lectionem tenent, retorquent argumentum dicendo *ν* esse omissum per haplographiam, ita Westcott-Hort (apud Milligan).

ἤπιος ut virtus boni pastoris adhuc commendatur II Tim. II, 24 : Servum Domini non oporte litigare, sed *mansuetum* esse ad omnes.

Knabenbauer, qui etiam praefert lectionem *ἤπιος*, optime exposuit rationes pro sententia sua. Ostendit vocem : *νήπιος*, ubi occurrit apud S.

neque a vobis, neque ab aliis. 7. Cum possemus vobis oneri esse ut Christi Apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos. 8. Ita desiderantes

7 *a*. Suppresso puncto post 6, connectatur cum praeced.

7 *a*. *Vobis* non legitur graece. Loco: *oneri*, alii cum Clarom. legunt: *in gravitate* (= honore) *esse*.

7 *β*. Loco: *parvuli*, melius: *mansueti*, *placidi*. — Post: *in medium vestrum*, colon.

7 *γ*. 8. *Nutrix* = *mater*. Post: *filios suos* virgula minor, sequitur apodosis.

Paulum, semper sumi in mala parte. Similiter contextus favet lectioni ἤπιοι: " Iam si contextum consulimus, ita cl. auctor, quod sequitur: *tamquam si nutrix* (*mater*) *foveat filios suos*, id bene congruit ad declarandam significationem ἤπιος, lenem, placidum esse; minime vero ad νήπιος, sed debet statui repentinus transitus ab una imagine ad alteram plane diversam: parvulo se comparat et statim se ut tenerrimam matrem exhibet foventem suos parvulos. Habet hic transitus aliquid plane inopinati, duri... „.

Auctores autem, ut Lightfoot, qui lectionem νήπιοι = parvuli, cum Vulg., admittunt, respondent ac probare conantur talem inopinatum transitum ab una imagine ad alteram, imo inversam, non rarum esse apud S. Paulum. — Cfr. *Lightfoot*, *Notes*, p. 24; *Frame*, *Wohl*.

Quidquid sit, quum utraque lectio optimos habeat testes, quum utraque ergo critice ut aeque probabilis haberi possit, potius admittenda nobis videtur illa, cui favet correctio styli, contextus et sensus. Haec autem sine ullo dubio est lectio ἤπιοι = *lenes*, *mansueti*. Sensus ergo est: *non utentes auctoritate nostra*, *sed ut mater mansueti fuimus*... — Cfr. *Findlay*, p. 32-33.

in medio vestrum: ac si essemus ex vobis, in nihilo supra vos excellentes sed ut aequales, imo ut mater tenerrima. Eodem modo Dominus Iesus de se testatus est: Ego... in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. *Luc.* XXII, 27. - Post *vestrum* ponatur colon, cfr. seq.

7[3]. *Tamquam si nutrix foveat filios suos*. - Quum graece legatur: τὰ ἑαυτῆς τέκνα = *proprios suos filios*, intelligenda est vox: τροφός = *nutrix* (hap. leg. in N. T.) de matre nutriente, lactente filios suos; cfr. Gal. IV, 19. Haec verba 7[3]: *tamquam etc*... sunt protasis phraseos sequentis: *ita* etc..., quae est apodosis: ὡς = οὕτως. Ergo post *in medio vestrum* ponendum est colon; 7[3] autem intime coniungendum cum 8. Haec enim comparatio *matris* explicat ideam principalem totius pericopis: ἤπιοι = mansueti (*Bornemann*, p. 84).

Imago ista nunc in apodosi applicatur apostolis.

8. *Ita desiderantes vos*: ὁμειρόμενοι, in Bibliis hic tantum verbum

ὑμῶν εὐδοκοῦμεν[1] *μεταδοῦναι ὑμῖν οὐ μόνον τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ ἀλλὰ καὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχάς, διότι ἀγαπητοὶ ἡμῖν ἐγενήθητε.* 9. *μνημονεύετε γάρ, ἀδελφοί, τὸν κόπον ἡμῶν καὶ τὸν μόχθον·*

[1] N. ed. 2 *ηὐδοκ...*

istud occurrit et ut *lectio varia* apud Iob. III, 21 (LXX), Ps. LXII, 2 (Sym.). *Ὁμείρεσθαι* est Atticis incognitum, sed tum antiqui, tum moderni illud interpretantur ut synonymum cum *ἐπιθυμεῖν* = *desiderare*. Eius formatio autem diversimode explicatur. A plerisque consideratur ut derivatum ab *ἱμείρεσθαι*; mutatio autem *ἱ* in *ὁ* tribuenda esset euphonicae mutationi ex usu vulgari, cfr. *Dobschütz*, p. 95, nota 2[a].

cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, i. e. *vitas nostras* (cfr. Prat, op. cit. II, 107) :*καὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχάς*. — *Ἑαυτοῦ* est pronomen reflexivum 3[ae] personae, cuius plurale, absque determ. *ἡμῶν*, adhibetur hic pro prima pers. plurali, item II Th. III, 9, Rom. VIII, 23, I Cor. XI, 31; etiam pro 2[a] tum singulari tum plurali: Ioh. XVIII, 34, Rom. XIII, 9, etc.; ita saepe apud Graecos, si quidem orationi non infertur ambiguitas. Cfr. *Grimm*, ad *ἑαυτοῦ*. — Plurale: *animas nostras* evidenter probat plurale in ep. hac esse intelligendum non de solo Paulo, qui dixisset: *animam nostram* supposito usu pluralis epist., sed de Paulo et sociis eius Silvano et Timotheo, cfr. I, 2, II, 4, 6. " Sicut nutrix non solum verbum, sed etiam omnem sensum perfectionis suae in parvulum transfundere cupit, ut ei cito possit aequari: ita nos omnia fecimus per quae proficere poteratis. „ *Pelagius*; " anima nostra cupiebat quasi immeare in animam vestram. „ *Bengel*. — Cfr. *S. Joh. Chrysost.* de thesauro verae amicitiae: Fidelis amicus... est vitae medicamentum: fidelis amicus est validum tegumentum... (ad h. l.).

Ergo non solum voluerunt Apostoli dare id quod habent, sed etiam omne id quod sunt.

quoniam carissimi nobis facti estis. *Ἀγαπητός* = *carissimus* specialiter inservit ad designandum filium unicum ac praedilectum, v. gr. Filium verum et unicum Patris, Matt. III, 17; inde imago matris bene evolvitur. Hac tenera appellatione frequenter utitur Paulus in omnibus suis epistolis. Etiam S. Paulo ergo applicari potest pulcherrimum dictum *P. Lacordaire* de S. P. N. Dominico: *fort comme le diamant, plus tendre qu'une mère.*

Doctorem nihil oportet onerosum putare eorum quae tendunt ad salutem discipulorum (*S. Joh. Chrys.*).

9. *Memores enim estis* etc.: iterum ac iterum eorum experientiam invocat ut testimonium reddant de generosa eius devotione erga illos.

vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. 9. Memores enim estis fratres laboris nostri, et fatiga-

9. *in vobis*, graece: *in, ad vos.*

laboris nostri et fatigationis = *τὸν κόπον... καὶ τὸν μόχθον*, eadem verba simul occurrunt II Thess. III, 8, II, Cor. XI, 27; probabiliter ambo fere idem significant et quasi proverbialiter simul adhibentur propter assonantiam simul ac maiorem vim. Si quaedam differentia statui debeat, cum Lightfoot dicetur: *κόπος* = labor cum fatigatione et molestia coniunctus, sensum potius passivum habet; *μόχθος* = labor cum certamine ad superandas difficultates, sensum activum. — Cfr. ad I, 3.

nocte et die operantes: ad ampliorem emphasim haec adduntur ut magis explicentur labor ac fatigatio. Bene notandum colon ante *nocte et die operantes*, haec verba enim non referuntur ad praecedentia sed ad sequentia. Legitur primo: *nocte* deinde *die*, forte cum emphasi super vocem *nocte*. — S. Paulus et Lucas (in accus.) semper hunc ordinem servant (Luc. ordinem inversum habet *cum gen.* XVIII, 7 AA. IX, 24); Iohannes autem, cuius stylus est maxime characteristice hebraizans inter scripta N. T., semper scribit: *diei et noctis*. Ideo non est tribuendus ordo iste mori Iudaeorum — ac Atheniensium — incipientium diem ab occasu solis, ut putant Estius, Bornemann et alii. In ipso V. T. caeteroquin frequentius ordo inversus habetur. (Cfr. Dobschütz, p. 97, nota 1). — Romani demum, qui diem ab ortu solis incipiebant, indifferenter ordinem hunc vel illum sequebantur. Ideo si aliqua ratio aut vis tribuenda sit ordini huic vel illi, dici potest vocem: *nocte* cum emphasi primo poni. Nam quod aliquis laboret per diem, non est cur miremur; sed quod etiam per noctem operetur, et quidem in favorem aliorum, est summa assiduitas et devotio.

Quantum ad *casum*, Paulus semper adhibet *genitivum* temporis, excepto prob. II Th. III, 8 (Soden *acc.*), ita et Iohannes (5 in Apoc.) et Lucas (exc. quando habet alterum ordinem *noctis et diei*, tunc accus: Ev. II, 37, Act. XX, 31, XXVI, 7; Mc. in eodem ordine acc. IV, 27, gen. V, 5).

operantes: Corinthi, unde scribit ad Thessalonicenses, Paulus accessit ad Aquilam et Priscillam: " et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur: erat enim scenofactoriae artis „ A. A. XVIII, 3. Thessalonicae eamdem artem probabiliter exercuit. Scenofactoria ars erat nationalis in patria Sauli, scil. in Cilicia (unde vox *cilicium*), ob multitudinem caprarum, quarum pili inserviebant ad conficienda tela vel pannos (cfr. *Schürer* II⁴, p. 80, nota 219). Mos erat Rabbinorum artem manualem addiscere, ut doctrinam Legis ac Propheta-

νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐργαζόμενοι πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν ἐκηρύξαμεν εἰς ὑμᾶς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ. 10. *ὑμεῖς μάρτυρες καὶ ὁ θεός, ὡς ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν ἐγενήθημεν,* 11. *καθάπερ οἴδατε ὡς ἕνα ἕκαστον ὑμῶν*

rum gratis tradere possent (*ibid.* p. 379).

Videtur tamen Thessalonicae fructus laboris Pauli ad vitae sustentationem non suffecisse, nam semel et bis Philippenses ei subsidia miserunt (Phil. IV, 15); similiter quum esset Corinthi, e Macedonia recepit subsidia ad sublevandam propriam inopiam, II *Cor.* XI, 9. Prout subtile notat Estius: " Id autem hic non commemorat, ne Thessalonicenses pudore gravet. Nam sicut ea res pertinebat ad laudem Philippensium, ita vergebat nonnihil in vituperium Thessalonicensium „.

Pluries ita Paulus iure merito gloriatur de suo labore manuali. Recordandus est textus A. A. XX, 33-34 ad seniores Ephesinos: " Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, quae mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae. „ Cfr. I Cor. IX, 7-18; II Thess. III, 7 sq. *Ad. Deissmann*, Paulus, p. 36.

ne quem vestrum gravaremus. Idem dicit in II Thess. III, 8. Verbum hoc *ἐπιβαρεῖν* = *gravare*, similiter cum sensu translato legitur II Cor. II, 5; non alibi in N.T.

praedicavimus in vobis: *εἰς ὑμᾶς* = in vos, ad vos.

Evangelium Dei, cfr. II, 2. Gratis ideo Evangelium Dei tradidit, secundum illud: quod gratis accepistis, gratis date, Matth. X, 8.

10. Iterum cum emphasi et non sine nobili et sancta audacia invocat Thessalonicensium ac Dei testimonium pro irreprehensibili suo ministerio inter eos: ut pater egit, exhortans omnes ac singulos ut dignos sese gererent privilegiis suis

Vos testes estis et Deus, cfr. v. 5; et comp. I Sam. (Reg.) XII, 3-5.

quam sancte et iuste et sine querela: *ὡς ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως*. Secundum scriptores paganos, quos citat Lightfoot, *ὁσίως* respicit relationes hominum ad Deum, *δικαίως* relationes ad proximum. Haec distinctio tamen non est nimis premenda hoc loco, nam nec in graeco classico stricte semper attenditur. Haec verba ergo totam vitam Pauli apud Thessalonicenses ut sanctam et iustam describunt, in eius officiis erga Deum et homines, *positive* quidem; vox sequens autem *negative* scil. *ἀμέμπτως inculpate, irreprehensibiliter*.

Vox *ὁσίως* hic tantum occurrit in N. T.; *ἀμέμπτως* ter tantum et quidem in I ad Thess. II, 10, III, 13, V, 23; similiter adiectivum *ἄμεμπτος* apud Lucam (I, 6) et Paulum tantum (Phil. II, 15, III, 6, I Th. III, 13, Heb. VIII, 7). Forma adverbialis, quae est propria I *Ep. ad Thess.*, legitur in quibusdam inscriptioni-

tionis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, praedicavimus in vobis Evangelium Dei. 10. Vos testes estis, et Deus, quam sancte, et iuste, et sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus: 11. sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum

10. *sine querela* = *inculpate, irreprehensibiliter.*
— *qui credidistis* = *credentibus.*

bus sepulchralibus *Thessalonicae* inventis; cfr. *Milligan*, p. 79.

vobis qui credidistis, fuimus. Etiam erga non-credentes iuste et irreprehensibiliter se gesserunt, sed *credentes* maius ius habent in curam et amorem apostolorum, secundum illud: " operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei „, Gal. VI, 10; hic caeteroquim S. Paulus solos credentes considerat.

fuimus ἐγενήθημεν: facti sumus, nos praebuimus vel gessimus, cfr. I, 5.

11. *Sicut scitis, qualiter unumquem que vestrum* (*sicut pater filios suos*)-12-*deprecantes vos etc.* Mutilus est sermo, quum desit verbum finitum regens: *unumquemque vestrum* — (in Vulg. enim tertium verbum v. 12 *testificati sumus* etiam in participio legendum est: *testificantes seu obsecrantes*). Diversimode suppletur; sat multi, ut Estius, Bornemann verbum: *fuimus* (v. 10) repetendum putant cum omnibus participiis; alii, ut Dobschütz participia considerant ut locum tenentia verbi finiti, quod apud S. Paulum, et eiusdem temporis scriptores, non esset rarum. Alii demum, et melius, nostro iudicio, anacoluthon supplent per verbum finitum correspondens huic: *sicut pater filios suos*; hoc autem verbum finitum videtur omissum ob sat longam seriem participiorum interiectam. Tale verbum posset esse *ἐνουθετοῦμεν* = *monuimus*, ita v. gr. I Cor. IV, 44: ut filios carissimos *moneo*. Cfr. A. A. XX, 31, Rom. XV, 14, Col. I, 28, III, 16, I Thess. V, 12, 14, II Thess. III, 15 (Lightfoot, Milligan, Findlay, etc..)

Tales ellipses in impetuoso ac onerato stylo S. Pauli non sunt rarae; sub onere appositonum ac interiectarum idearum, quandoque Paulus videtur oblivisci ideae principalis.

Notaverunt exegetae omnes Magnum Apostolum se comparare *matri*, quando de suo tenero affectu erga discipulos suos loquitur (v. 7), *patri* vero, quando loquitur de instructione ac exhortatione. Ita pulcherrime Pelagius: " parvulos nutrix fovet: proficientes vero jam pater instituit. „

unumquemque vestrum: singulos monuimus, ut pater singulos filios suos. Quam energica emphasis teneri ac devoti amoris S. Pauli!.. Omnes et singulos carissimos suos bonus pater devoto amore amplectitur ac protegit: " In tanta multitudine neminem praetermisit, non parvum, non magnum, non divitem, nec pauperem „. *S. Joh. Chrysost.*

ὡς πατὴρ τέκνα ἑαυτοῦ, 12. *παρακαλοῦντες ὑμᾶς καὶ παραμυθούμενοι, καὶ μαρτυρόμενοι εἰς τὸ περιπατεῖν ὑμᾶς ἀξίως τοῦ θεοῦ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς εἰς τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν καὶ δόξαν.*

12. *Deprecantes vos, et consolantes: παρακαλοῦντες ὑμᾶς καὶ παραμυθούμενοι,* compositio similis legitur: I Cor. XIV, 3, Phil. II, 1. An debeat diversus sensus utrique verbo tribui, non apparet. Lightfoot proponit pro priori: *exhortari ad particularem vitae rationem;* pro altero: *excitare et sustinere ut in proposito perseverent.* Dobschütz pro priori: *monere* seu *exhortari*, pro altero: *consolari.* - *Παρακαλεῖν* et *παράκλησις* sunt verba praedilecta ac frequentia apud S. Paulum in omnibus ejus epistolis; sic in II Cor. non minus quam vicies occurrit, hic in I ad Thess. octies, aliquando in sensu *consolandi* cfr. III, 7, IV, 18, V, 11. — *Παραμυθέομαι* autem est rarum, hic tantum legitur et V, 14, (adhuc Joh. IX, 19, 31); substantivum derivatum *παραμυθία* I, Cor, XIV, 3; adjectivum etiam semel tantum Phil. II, 1 (*παραμύθεον*).

testificati sumus, pro: *contestantes* = *μαρτυρόμενοι* a *μαρτύρομαι:* testem sumo, invoco, contestor, per Deum sancte affirmo; non *μαρτυρούμενοι* a *μαρτυρέω* = *οὖμαι* (rarum in media voce, cum eodem sensu ac in voce activa): testis sum, testor me aliquid vel vidisse vel audivisse etc... Utraque lectio occurrit, sed omnes omnino admittunt hanc ultimam in nostro loco esse mendosam, ideo editiones criticae habent *μαρτυρόμενοι*, cui favet auctoritas testium, contextus et ordinaria terminologia S. Pauli, comp. Rom. III, 21 cum Gal. V, 3. — Cfr. Lightfoot ad. h. l. Cum Milligan notandum est tamen haec duo verba in posteriori lingua quandoque fuisse inter se confusa.

Hujus fervidae et paternae exhortationis objectum nunc indicatur:

ut ambularetis digne Deo: ambulare, ire, via etc. translate adhibentur a Semitis ad designandum servitium Dei, vel specialem rationem vitae seu morum. Usum metaphoricum *περιπατεῖν* praefert Paulus (32, Heb. 1), et Johannes (in Ev. 3, in Ep. 10); dum vero libentius adhibent *πορεύεσθαι* Lucas (Ev. I, 6, A. A. IX, 31, XIV, 16); Petrus et Judas (uterque 3). — Cfr. *Westcott:* The Epistles of S. John, p. 19.

In Actis Apost. expressio semitica: *ἡ ὁδός* = *via* frequenter adhibetur pro religione christiana, IX, 3, XIX, 9, 23, XXII, 4, XXIV, 14, 22, etiam in epistolis.

Deo qui vocavit vos: τοῦ καλοῦντος, Deo vocanti vos, vel qui vocat vos, agitur de vocatione efficaci, per acceptionem fidei, cfr. I, 4. In hoc sensu adhibetur nunc part. praesens ut hic, tunc part. aor. v. gr. Gal. I, 6 = V, 8; cum illa formali differentia tamen, quod *aoristum* considerat actum Dei per respectum ad jam vocatos et admissos, *praesens* au-

(sicut pater filios suos). 12. Deprecantes vos et consolantes, testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam.

12. Loco: *testificati sumus*, lege: *contestantes.*
In v. 11-12 subauditur verbum principale, suppl. *monuimus*, cfr. comm.
— Pro: *qui vocavit vos*, leg.: *qui vocat*, vel *vocanti vos.*

tem considerat Deum Ipsum in se, qui semper est *vocans*: ὁ καλῶν, Rom. IX, 12.

Milligan insuper explicat praesens, in nostro textu, per relationem ejus ad eschatologiam. Credentes *continue* vocantur ad hereditatem, in quam modo non plene ingressi sunt, sed cujus certam promissionem habent. Vocare hic dicitur in sensu *invitandi*, ut Matt. XXII, 3, sq. 8, sq., 14, (Luc. XIV, 16 sq., 24); cfr. *G. Dalman*: *Die Worte Jesu*, p. 97.

in suum regnum et gloriam: non sumantur haec duo verba ut endyadis, seu pro *regno glorioso.* Uterque conceptus enim distincte occurrit in evangelio pro bonis messianicis, et refertur ad Deum qui in tempore messianico se manifestabit hominibus tamquam regnantem et gloriosum. Hujus regni vocati membra erunt, hanc gloriam ipsi contemplabuntur.

Pro voce et conceptu *regni Dei* = *Messiae*, cfr. *Dalman*: Op. cit., p. 75 sq. — Regnum Dei heb. *malkuth Jahveh*, vel *regnum coelorum: malkuth shamaim* — (nomine *Jahveh* mutato in *shamaim: coelorum*, ob reverentiam pro nomine divino) — habet sensum activum: *regimen Dei.* Duplicem aspectum habet 1°, *terrestrem*, seu in animabus (internum) et in corpore fidelium i. e. Ecclesia visibili (externum), ac 2°, *coelestem* in superis, ubi Deus gloriam suam manifestabit.

Gloriam: graece δόξα, cfr. supra v. 6. — *Gloria Dei*, heb. *kabôd Jahveh* vel *Shekinah*, gloria quacum Deus se manifestabit hominibus in coelo et cujus etiam homines participes erunt. Haec est spes magna Christi fidelium. Rom. V, 2, VIII, 18, I Cor. XV, 43 sq.; cfr. optimam notam apud *Lemonnyer*, op. cit., I, p. 12-13; item *Dobschütz* ad h. l.; *Westcott*: Ephesians, p. 188-189.

Estius, Lightfoot et alii, admittunt Paulum hic vocationem considerare primo ad statum praesentem regni, i. e. ad gratiam, deinde ad alteram futuram, coelestem, gloriosam. Apud S. Paulum regnum Dei = Christi, absque dubio, designat aliquando periodum terrestrem, v. gr. Rom. XIV, 17, I, Cor. IV, 20, Col. I, 13, IV, 11 etc.

Attamen quia apud S. Paulum regnum praecipue est eschatologicum, et propter juxtapositionem regni cum gloria, quae certe futura est, alii auctores, plures numero, putant Paulum hic regnum ut futurum considerare, ad quod Deus fideles *vocat* (part. praesens). Huius voca-

13. *Καὶ* [1] *διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς εὐχαριστοῦμεν τῷ θεῷ ἀδιαλείπτως, ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ θεοῦ*

[1] S *inter par.*

tionis debemus *dignos nos gerere*, ut aliquando regni futuri ac stabilis membra efficiamur. Ita S. Joh. Chrysostomus, Bornemann, Milligan, Dobschütz; cfr. J. B. Frey: D. B. V. vol. V: *Royaume de Dieu*, col. 1253-1254: *Le royaume dans S. Paul.*

III. - *Gratiarum actio ob zelum Thessalonicensium in suscipiendo Evangelio*, II, 13-16.

Considerato successu Evangelii, iterum vividas gratias agunt Apostoli. Thessalonicenses enim susceperunt verbum eorum ut verbum Dei (13), ac non obstante persecutione remanserunt fideles (14); quum autem persecutio ista a Judaeis mota esset, in vehementem condemnationem Iudaeorum prorumpit Paulus (15-16).

13. *Ideo: καὶ διὰ τοῦτο = et propterea.* Quae sequuntur referuntur ergo ad praecedentia; sed non tantum ad ultima verba v. 12: *Deo qui vocavit vos*, ut vult inter alios *Lünemann*, neque ad solos v. 10-12, prout vult Bornem., sed ad totam pericopen a v. 1 ad 12. Apostoli scilicet meminerunt laboris sui inter Thessalonicenses; labor iste autem non fuit sine correspondentia a parte eorum, quapropter gratiae aguntur Deo. Ita *Estius*: " Quod initio capitis dixerat, introitum suum ad Thessalonicenses non inanem fuisse; id nunc post multa de suo erga eos officio interposita, declarat gratias agens Deo pro beneficio tam boni successus „.

et nos gratias agimus Deo sine intermissione. Comp. I, 2. *Et nos* cum emphasi, *quantum ad nos gratias agimus;* verba *et nos* opponuntur ad *vos*, supra 1, 11.: *Vos* testimonium redditis de labore *nostro* apostolico, *nos* gratias agimus Deo ob tam perfectam *vestram* correspondentiam praedicationi nostrae. — Ut bene notat *Lightfoot*, attentio avertitur a doctoribus ad auditores.

Pro *εὐχαριστέω* cfr. I, 2; pro usu adverbii *ἀδιαλείπτως = sine intermissione* (*Vg.*), apud S. Paulum tantum in N. T., cfr. supra I, 2.

quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud: παραλαβόντες... ἐδέξασθε — Vulg. bis idem verbum habet *accipere*; distinctio tamen verborum graecorum non est negligenda. Primum enim considerat ab extra receptionem (sensu quasi passivo); alterum interiorem et liberam susceptionem (sensu activo). Circumscribi posset: cum audieritis a nobis (factum objectivum), admisistis etc. (factum subjectivum). Haec distinctio sat clare apparet latine inter: *accipere* et *suscipere;* ideo optime *Ambrosiaster:* cum accepissetis... sus-

13. Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, ac-

13. Clarom.: *cum percepissetis... excepistis...*; Ambrost.: *cum accepissetis... suscepistis.*

cepistis. — *Clarom:* percepissetis... excepistis. — *Lightfoot:* outwardly received... inwardly welcomed.

verbum auditus Dei. — Non in vanum additur *auditus*, sed ut verbum praedicatum ac *tantum* auditum opponatur huic: suscepistis illud *corde...* et *quod operatur.* Non remansit ideo: *verbum* auditus (passive = *auditum*), sed illud corde amplexi estis; nec remansit sterile, sed operatum est, uti dicitur in parabola seminantis: qui super terram bonam seminaverunt *qui audiunt verbum et suscipiunt* (*παραδέχονται*) et *fructificant* (Mc. IV, 20). Oppositum legitur Heb. IV, 2: "etenim et nobis *nuntiatum est* quamadmodum et illi: sed *non profuit illis sermo auditus*, non admixtus fidei ex iis quae audierunt „ — Cfr. Rom. X, 16-17.

Graece legitur: *παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ'ὑμῶν τοῦ θεοῦ*: accipientes verbum *auditus a nobis Dei* " id est, scribit *Estius,* verbum Dei, quod *audieratis a nobis*, quod nos vobis praedicavimus... „ ita *Bornemann, Dobschütz.* — Constructio valde dura haec est.

Melius ideo cum vulgata, ac multis exegetis tum antiquis tum modernis: *a nobis* referetur ad: *accipientes* i. e. *cum acceperitis a nobis verbum Dei.* - Opponitur scil. fons verus: *Deus*, origini immediatae: *nobis* (Milligan, Lightfoot).

non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei. Graece non legitur *ut* = *ὡς*, sed absque ullo dubio supplendum est, ut apparet ex oppositione inter: *verbum hominum* et *(sed) verbum Dei.* Plurale *hominum* innuit Paulum plurali uti pro se et pro sociis suis (cfr. I, 2).

qui operatur in vobis. — *Ἐνεργεῖται*, secundum plerosque *vox media;* sec. *Milligan* vero, uti ipse probat ex recentiori lingua hellenistica, *passiva vox*, cum sensu: *in actionem poni vel duci.* — Refertur autem haec particula relativa: *ὅς* (vulg. *qui*) non ad Deum (vulg.), sed ad *verbum*, quod graece est masculini generis: *ὁ λόγος*. Paulus adhibet pro *agere* Dei vocem activam, I Cor. XII, 6, Gal. II, 8, III, 5, Eph. I, 11, Phil. II, 13.

Hic nexus autem cum *verbo* apparet ex ipsa contexta oratione: verbum non remansit tantum auditum, sed corde susceptum *fructifivavit...* Ita Ambros. et Clarom.: *quod operatur*, seu ut probat *Milligan*: quod ad actionem perducitur. Notatu autem dignissimum est clar. Estium iam hunc *sensum passivum* verbi *ἐνεργεῖσθαι* notasse — ante *Milligan!* —: " Rectius, ita *Estius quod operatur*, ideoque significatione passiva: nam in Graeco verbum est *ἐνεργεῖται*, quod numquam active sumitur. Itaque sensus est: Quod verbum agitur, exercetur, in-

ἐδέξασθε οὐ λόγον ἀνθρώπων ἀλλὰ καθὼς ἐστιν ἀληθῶς [1] *λόγον θεοῦ, ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν·* 14. *ὑμεῖς γὰρ*

[1] N. ed. 2. *transp.*

citatur (nimirum agente Deo) in vobis, qui credidistis: id est, qui illud velut semen quoddam fructiferum fide suscepistis: agitur autem ad omne genus piarum actionum. Loquitur Apostolus, ut saepe alibi, de verbo credito, id est, de fide ipsa: *nam fides per charitatem operatur* Gal. V, 6 „ - Cfr. *Arm. Robinson*, op. cit., p. 241 sq.: On *ἐνεργεῖν* and its cognates; *ibidem*, p. 245-246 discutitur sensus huius loci.

in vobis qui credidistis. - Graece part. praes.: *credentibus*, vel *qui creditis.* Iam supra I, 3 meminit auctor: *operis fidei vestrae;* ac pulchre etiam dicitur in textu supra citato Heb. IV, 2: non profuit illis sermo auditus, *non admixtus fidei.* Optime contra Lutherum, admittentem contradictionem inter S. Paulum et S. Iacobum circa *fidem salvificam,* notat Lightfoot, episcopus anglicanus: " Textus hic, ut ille Gal. V, 6 (valet... fides, quae per charitatem operatur) supplet annulum, quo connectitur doctrina Pauli de fide et operibus cum doctrina Iacobi. „ — (Cfr. *Prat* [4] I, 243 sq., *Jacquier* III, p. 213 sq., *Vig.-Brassac,* IV, 620 sq.) — Secundum Lutherum Paulus doceret fidem solam sufficere ac salvare; Iacobus autem doceret operibus salutem effici. — Hic autem videmus *fidem* esse sumendam cum *operibus* apud Paulum; sicut apud Iacobum opera sunt sumenda cum fide, seu fide inspirata. (Cfr. Iac. I, 21).

Fides sine operibus nihil valet (Iacobus).

Opera sine fide nihil prosunt (Paulus).

Fides operans salvat (Paulus).

Opera ex fide salvant (Iacobus).

Bornemann similiter bene notat: " non possunt haec verba: *ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν* explicari " ex eo tempore quo religionem suscepistis „ (tunc deberemus legere: *πιστεύσασιν*); nec " quum susceperitis „ vel " propterea quod habetis fidem „ (tunc non posset articulus legi) (p. 101). Sed ut idem auctor paulo ante scribit: verbum operatur in eis, quia illud corde receperunt, *fide* scil. animata charitate. Conf. etiam *Findlay*, p. 20.

14. *vos enim.* Huius vivae fidei ac operantis (v. 13) dedistis signum manifestum, in persecutione remanentes fideles.

imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quae sunt in Iudaea in Christo Iesu. - Paulus, Apostolus gentium, proponit ergo ecclesias iudaeo-christianas ut exemplaria; hinc omnino ruit theoria Tubingensium de oppositione inter Paulum, ac Petrum, Iudaeorum Apostolum. Caeteroquin ex ipsa vita ac modo agendi Pauli contrarium apparet, nam semper primo Iudaeis in Synagogis verbum salutis propo-

cepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. 14. Vos

13. Loco: *qui* operatur, leg.: *quod...*
— Pro: *credidistis,* leg.: *qui creditis,* vel *credentibus.*
14. Vg.: *a contribulibus*; Ambrost.: *concivibus.*

nit. Haec autem laus Iudaicarum Ecclesiarum, quae in scriptis S. Pauli non expectaretur, est manifestum argumentum pro authenticitate huius pericopes: tale quid enim dissonum a stylo ordinario Pauli, non fuisset a glossatore inventum nec Paulo impositum.

Iudaea hic stat pro tota Palaestina, uti saepe apud auctores huius temporis (Luc. I, 15; XXIII, 5, Act. II, 9, X, 37, etc. *Flav. Ios. Antiq.* I, 6, 2; I, 7, 2).

Ut optime notat Lightfoot, occasione vocis *ecclesiae*, a lingua graeca non sunt mutuati christiani voces technicas religiosas, nimis enim erant cum ideis polytheisticis concretae, sed potius acceperunt voces e vita civili; — ita etiam fuerunt cultui christiano dedicatae *basilicae.* Vox *ecclesia* dicebatur apud graecos de conventu a praecone convocato. Applicabatur autem etiam *Iudaeorum religiosis* conventibus (Act. VII, 38, et LXX Ps. XXII, 22, ubi vertit heb. *qohel*). Regimen theocraticum enim unam faciebat Iudaeorum vitam civilem et religiosam. Unde statim addit Paulus: (ecclesiarum), *quae sunt in Christo Iesu;* quo ut formaliter christianae designantur *istae ecclesiae Dei* (Gal. I, 22). — *Christus Iesus* apud Paulum bis, hic et V, 18, alibi numquam. (*Milligan* op. cit. p. 136).

quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Iudaeis. Cfr. AA. VIII, 1, Heb. X, 32 sq.

Συμφυλέτεις, prout vertit vulgata, illi sunt qui pertinent ed eamdem tribum (*contribules*); sed etiam extenditur vox ad illos qui sunt eiusdem civitatis, unde bene *Ambros: concivibus*, inter quos etiam computandi sunt illi Iudaei, qui iure civitatis romanae donati erant. Ex Act. Ap. quidem apparet Iudaeos etiam Thessalonicae fuisse primos atque principales Evangelii adversarios, sed nunc excitaverunt etiam paganos in eamdem persecutionem contra christianos. Ex textu nostro autem apparet Thessal. fideles a paganis praecipue passos esse, propter oppositionem quam ponit auctor inter *Iudaeos* (persecutores ecclesiae in Iudaea), et *contribules* (gentiles scil.) a quibus Thessalonicenses passi sunt.

Quales fuerint passiones Ecclesiarum Iudaeae nescimus, probabiliter sicut iam ante Pauli conversionem et tempore Christi: excommunicatio e synagoga, exclusio socialis (Luc. VI, 22; Ioh. IX, 22; XII, 42; XVI, 2) et persecutiones violentae (Act. Ap. IX, 1 sq.); cfr.

μιμηταὶ ἐγενήθητε, ἀδελφοί, τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ θεοῦ τῶν οὐσῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὅτι τὰ αὐτὰ ἐπάθετε καὶ ὑμεῖς ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν, καθὼς καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, 15. *τῶν καὶ τὸν κύριον ἀποκτεινάντων Ἰησοῦν καὶ τοὺς προφήτας, καὶ ἡμᾶς ἐκδιωξάντων, καὶ θεῷ μὴ ἀρεσκόντων, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίων,* 16. *κωλυόντων ἡμᾶς τοῖς ἔθνεσιν* [1] *λαλῆσαι*

[1] S — *ν*

Schürer II[4], p. 507-509. Ipse Paulus caeteroquin illa omnia a suis expertus erat. — Prout demonstrat *Ramsay*, usque ad a. 64 p. Chr. Iudaeochristiani extra Palaestinam in imperio romano degentes, qui iure civitatis non gaudebant, omnino iurisdictioni synedrii subiacebant; peior ergo erat eorum conditio quam pagano-christianorum. (*The Church in the Rom. Emp.*, chap. XV, ed. 1893, p. 349).

15-16. Huius pericopes tonus antiiudaicus visus est aliquibus tam discrepare a caeteris epistolis S. Pauli (v. gr. Rom. X, 1 sq.), ut authenticitas eius negata sit, ita v. gr. a *Schmiedel*. Alii autem ultimam tantum partem v. 16 reiiciunt, ut glossam additam post destructionem Templi. (Cfr. *Milligan*, p. LXXVI).

Sed notetur primo, in generali, discrepantiam a modo ordinario Pauli nobis potius videri argumentum in favorem authenticitatis. Non uno enim modo loqui debebat Paulus de Iudaeis. Ac praecipue, nonne glossator imitatus esset *authenticum* = *ordinarium*, ut ita Pauli sigillo glossa quasi firmaretur?

Deinde, in particulari, notandum est textum Phil. III, 2: "*videte canes, videte malos operarios*„ dictum de Iudaeis non valde tenerum esse! Si cogitetur quantum Paulus passus fuerat a Iudaeis in Macedonia, et quidem paulo antequam scriberet ad Thessalonicenses, intelligetur ratio vehementis toni adversus istos filios Israel.

Non mitius caeteroquin Iudaeos allocutus est S. Stephanus AA. VII, 51 seq.; et Dominus noster qui tam amanter populum suum invitabat, ut gallina pullos suos, non minus severe eum increpavit.

15. *qui et Dominum occiderunt Iesum, et prophetas, et nos persecuti sunt.* Habetur anticlimax; dubium autem est cum quonam coniungendum sit: *et prophetas*, an cum praeced., vel cum sequenti? Utrumque est possibile. Lightfoot, Dobschütz, Frame et alii putant, copulam emphaticam *et*, ante Dominum, requirere ut *et prophetas* primo verbo coniungatur. Quod revera est probabilius, et caeteroquin conforme factis, nam *prophetas occiderunt.* Matt. XXIII, 29 *et alibi*; comp. parabolam de perfidis vinitoribus, Matt. XXI, 33-46 et *loc. par.*; ita etiam Estius; contra Bornemann.

enim imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quae sunt in Iudaea in Christo Iesu: quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Iudaeis: 15. qui et Dominum occiderunt Iesum, et Prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur; 16. prohibentes nos Gentibus loqui ut salvae fiant, ut impleant pec-

16. Vg.: *pervenit;* Estius et alii: *praevenit.*

et nos persecuti sunt: ἐκδιωξάντων (hap. leg. in N. T.) = persecuti sunt et expulerunt; *Bengel:* persequendo expulerunt. Quamvis *generaliter* hoc dictum sit de persecutionibus contra Christi fideles vel potius (ut correspondens prophetis) contra apostolos omnes, tamen hic possumus suspicari allusionem ad Pauli eiectionem ex Thessalonica, et Beroea. (Act. Ap. XVII).

et Deo non placent: figura rhetorica *meiosis* dicta, qua oppositum significatum fortius exprimatur. Sat frequens est apud S. Paulum.

et omnibus hominibus adversantur. — *Tacitus* similiter scribit, paulo post Apostolum: "adversus omnes alios hostile genus. „ (Hist. V, 5); et *Iuvenalis*, Sat. XIV, 103-104:

Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti;
Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.

Valde ironice etiam *Philostratus* (Vita Apoll. Tyan. V, 33): ἀφεστᾶσιν οὐ μόνον Ῥωμαίων, ἀλλὰ καὶ πάντων ἀνθρώπων.. πλέον ἀφεστᾶσιν ἡμῶν ἥ Σοῦσα καὶ Βάκτρα καὶ οἱ ὑπὲρ ταῦτ' Ἰνδοί, cfr. *Reinach Th.: Textes d'auteurs grecs et romains rel. au Iud.*, p. 371: *Misoxénie.* — Hanc separationem socialem revera inculcabat lex mosaica ad puritatem religiosam servandam; sed sensu religioso decrescente, separatio ista degeneravit in superbum contemptum et odium gentium seu *Goïm.* Hoc praecipue observabatur, ubi Iudaei minores numero erant ac infimum stratum... invidiosum societatis constituebant.

16. *prohibentes nos Gentibus loqui ut salvae fiant.* — En quomodo ista oppositio sese manifestavit. Conscii privilegiorum populi sui, non permittebant Iudaei ut Paulus praedicaret gentibus Messiam-Regem, quem ipsi tamen ut pseudo-prophetam considerabant, aut contumaces agnoscere nolebant; ac ita impediebant salutem Gentium. A. A. XIII, 48 sq., pro Thessalonica XVII, 6-7. Messias pro Iudaeis tantum venturus foret, secundum praeiudicia Iudaeorum. Cfr. IV Esdr. VI, 55 sq.: "Haec autem omnia dixi coram te, Domine, quia propter *nos* (Iudaeos) *creasti saeculum.* 56. Residuas autem gentes ab Adam natas *dixisti eas nil esse, et quoniam salivae assimilatae sunt...* Et nunc, Domine, istae gentes... coeperunt dominari nostri... Nos autem, *populus tuus,*

ἵνα σωθῶσιν, εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας πάντοτε. ἔφθασεν δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος.

17. *Ἡμεῖς δέ, ἀδελφοί, ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν πρὸς και-*

quem vocasti primogenitum unigenitum aemulatorem tuum, traditi sumus in manibus eorum; 59. Et si propter nos creatum est saeculum, quare non hereditatem possidemus cum saeculo... etc.

ut impleant peccata sua semper: *εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι*, non causaliter, etsi theologice recte posset ita referri ad Dei permissionem, cfr. v. gr. Rom. I, 24; sed melius consecutive. Ita Estius: " quasi dicat (Paulus): Atque ita, dum peccare non desinunt, semper peccata peccatis accumulant, donec tandem impleant eorum mensuram usquè ad summum; quando iam non aliud eis restabit, quam terribile iudicium Dei „.

semper: ut olim ita et nunc accumulant peccata super peccata; Matt. XXIII, 31-32: filii estis eorum qui prophetas occiderunt, et vos implete mensuram patrum vestrorum.

pervenit enim ira Dei super illos in finem. — Aoristum *ἔφθασεν* in manuscriptis maiorem habet probabilitatem quam perfectum: *ἔφθακεν*. Hanc lectionem praeferunt etiam ed. criticae *Nestle*, *von Soden*, et commentatores plerique. Verbi *φθάνω* primitivus sensus est: *praevenio*, *anteverto;* includit ergo notionem vel anticipationis, vel inopinati, v. gr. I Thess. IV, 15; secundus sensus est: *pervenire*, *evenire*, et ita adhibetur ab Alexandrinis; perdidit scilicet formalem notionem praeveniendi sive tempus, sive expectationem animae. — Septies vox occurrit in N. T. Quinquies quasi certo in 2° sensu (Matt. XII, 28, Luc. XI, 20, Rom. IX, 31, II Cor. X, 14, Phil. III, 16); in textu citato I Thess. IV, 15 certus est primus sensus praeveniendi.

Hoc nostro loco etiam, notio inopinati optime quadrat, ita vertit *Grimm:* praeter opinionem ira (Dei poena) eos supervenit. *Estius* similiter et alii latini multi, quos citat: praevenit enim ira Dei; item *Bornemann*, *Lightfoot*.

ira Dei. — Cap. I, 10 dicebatur ira Dei veniens, futura; nunc in particulari punitione iam venit super Iudaeos contumaces, quia scilicet exclusi sunt e regno gratiae. (Eph. V, 6, Col. III, 6).

in finem: εἰς τέλος. Duplex explicatio est possibilis: 1. in finem, postremo, demum; v. gr. Matt. X, 22, XXIV, 13: " qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. „ Expressio haec ubique in N. T. sensum istum *temporalem* habet, etiam apud LXX ubi vertit hebr. *lanezach*, cfr. *Frame*. — 2. Cum multis tamen commentatoribus, ut Hofmann, Weiss, (quos citat Milligan), cum Lightfoot et aliis, melior videtur sensus *metaphoricus* seu mensurae i. e. usque ad completionem, heb. *lekalah*, II Paral. XII, 12: usque

cata sua semper: pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.

17. Nos autem fratres desolati a vobis ad tempus horae,

17. *Desolati a vobis*, leg.: *orbati vobis.* — *Festinavimus*, leg.: *studuimus*, *conati sumus.*
— *Abundantius* = *ardentius.*

ad internecionem. Lightfoot: to the uttermost; Hofm.: ganz und gar; Weiss: im höchsten Grade.

In quo consistit manifestatio seu punitio irae Dei, quae super Iudaeos venit? Aliqui putant, de destructione Templi hoc esse praedictum; et ideo verbum *venit* sumunt pro aoristo prophetico; ita Cajet., Bengel; recentius, dubitative, Toussaint, sed plena cum fiducia Dobschütz.

Quia autem foret dictum de destructione Templi (anno 70), concludit Baur haec verba esse glossam *post* destructionem Templi additam; corpus enim epistolae est a. 51-52.

Sed nonne melius ipsa reiectio populi Israel contumacis consideratur ut effectus seu punitio irae Dei? Haec autem reiectio est exclusio a beneficiis regni messianici praesentis, complenda reprobatione aeterna iam praevisa. Talis videtur sensus, quia considerat Paulus vindictam Dei ut *completam*, ac totus contextus requirit punitionem moralem.

IV. - *Subsequens relatio Apostolorum cum Thessalonicensibus.* II, 17-III, 10.

α) *Desiderium eorum redeundi Thessalonicam,* II, 17-20.

Post illam vehementem exprobrationem Iudaeorum, iterum considerant Apostoli Thessalonicenses a quibus vi avulsi fuerunt, et quos ardenti desiderio visitare cupiebant (17-18). Huius autem tenerrimi sui amoris rationem dant: Thessalonicenses enim sunt gloria eorum et gaudium (19-20).

17. *Nos autem fratres*, δέ pure consecutivum, sine formali oppositione sive ad Iudaeos adversarios, sive ad *vos* (v. 14); ita Bornemann, Dobschütz, contra Frame. - Ulterius ergo considerant Paulus ac eius socii quae fecerunt pro Thessalonicensibus: nos magis magisque vos desiderabamus videre. Non sine tenero amoris affectu repetitur: fratres, uti persaepe in hac epistola, cfr. I, 4.

desolati a vobis = ἀποροφανισθέντες (ὀρφανός), hap. leg. in N. T. " Orbati vobis, tamquam parentes filiis „ *Cai.;* " orbati vobis tamquam carissimis pignoribus „ *Estius*; cum allusione ad v. 11 ubi se dixit Apostolus *patrem*, ac. v. 7, *matrem* eorum. Ideo minus bene Theod. Mops. quem sequitur Lightfoot: *desolati a vobis ad instar orphanorum.* Verbum enim istud etiam adhibetur de *parentibus* orbatis filiis; ac violentum videtur, Apostolos nunc se dicere

ρὸν ὥρας προσώπῳ οὐ καρδίᾳ, περισσοτέρως ἐσπουδάσαμεν τὸ πρόσωπον ὑμῶν ἰδεῖν ἐν πολλῇ ἐπιθυμίᾳ. 18. *διότι ἠθελήσαμεν ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, ἐγὼ μὲν Παῦλος καὶ ἅπαξ καὶ δίς, καὶ ἐνέ-*

filios orphanos... respectu Thessalonicensium, parentum eorum!... (Dobschütz).

ad tempus horae: haec expressio fortior est his duabus aliis *ad tempus*, *ad horam*, quae alibi saepe occurrunt apud S. Paulum. Significat: *ad brevissimum tempus, horae momentum*; — cfr. exempla ex autor. lat. apud *Bornemann.* Expulsus scil. Thessalonica et paulo post Beroea, venerat Apostolus Athenas, et inde misit Timotheum non multo postquam Thessalonicenses reliquerat.

Vox *ὥρα*, ut notat Lightfoot, venit ab *ὅρος* et indicat proprie *limitatum* spatium temporis. Significatio unius horae, vicesimae quartae partis diei est relative posterioris aetatis, saec. 2i circiter.

aspectu, non corde - seu *facie, non corde.* (Ambrosiaster, Theod.). Amor ergo nos fecit semper *corde* praesentes inter vos; II Cor. V, 12. — Cfr. I, Cor. V, 3, Col. II, 5: etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum gaudens etc.

Audiatur *S. Ioh. Chrysost.* amorem vehementem describens Apostoli: "*Orbati*, hoc est filiorum patres quaerentium. Quid vero, illine erant orbati? Non inquit, sed nos... *ad tempus*, idque: *facie, non corde:* semper enim vos habemus in mente. Vide quanta sit dilectio: quamvis eos haberet perpetuo in corde, quaerebat tamen eorum in aspectu seu facie praesentiam... hoc plane est ardentis dilectionis, videre, et audire, et dicere. „

abundantius festinavimus: περισσοτέρως debet sensum suum comparativum retinere, ut ubique apud S. Paulum. Sed quisnam est alter terminus comparationis: quanto magis separati, tanto vehementius desideravimus (Lightfoot.); alii multi: quanto maiora fuerunt impedimenta revertendi ad vos, tanto ardentius studuimus, vel conati sumus redire ad vos. (Bornem., Wohlenberg, Milligan). Sed contra est: nondum de his difficultatibns locutus est Paulus. — Melius ergo cum *Dobschütz:* tanto ardentius desideravimus, quanto brevior videbatur fore nostra separatio, quanto propior videbatur nostra unio. Haec explicatio valde naturalis connectit verba haec cum immediate praecedentibus.

festinavimus: ἐσπουδάσαμεν = studuimus, operam dedimus...

cum multo desiderio. - *Ἐπιθυμία*, habitualiter in malo sensu haec vox a Paulo adhibetur. scil. de desiderio alicuius vetiti, seu ut vertit vulg.: de concupiscentia; hic autem in bono sensu vox sumitur, ac optime in vulg. translata est.

Sequitur desiderii probatio:

18. *quoniam* = *διότι* ut *διό: quapropter;*

voluimus = *ἠθελήσαμεν:* no-

aspectu, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio: 18. quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, et semel, et iterum, sed impedivit

18. *Quoniam:* quapropter. — *Sed,* graece: *et*

bis proposuimus pluries *venire ad vos*...

ego quidem Paulus, ego saltem, de Silvano et Timotheo non possum loqui, sed certe ego. Paulus ideo hic de se solo loquitur, ac statim singulari utitur; ita vult maiorem *suum* amorem et curam ostendere. De plurali epistolari apud S. Paulum, cfr. I, 2.

Uti patet, *ego Paulus* non est totale subiectum verbi in plurali: *voluimus*; hoc videtur absolute impossibile; ergo ubi plurale occurrit, de Paulo eiusque sociis intelligendum est. Cfr. Bornem. p. 125. — Attamem, per fas et nefas, hic etiam vult Dobschütz, plurale de solo Paulo intelligendum esse.

et semel et iterum: melius referuntur ad *ego quidem Paulus* tamquam amplior determinatio. (Chrysost., Bornem., Dobschütz); ergo non ad *voluimus venire ad vos*, ita ut *ego quidem Paulus* essent parenthesis. Eadem expressio: Phil. IV, 16. Aliqui de certo numero binario haec verba intelligunt; plerique de indefinito: aliquoties, iterata vice, plus quam semel, ergo pluries. Deut, IX, 13 (LXX), Neh., XIII, 20, I Macch. III, 30. Notant tamen optimi philologi, ut Grimm et Milligan, pro hoc ultimo sensu primum *καί* deesse, uti revera in omnibus locis citatis ex V. T.; secus, cum duplici *καί*, sensum esse determinatum de binario numero, ac ita est in utroque loco Epist. S. Pauli.

sed impedivit: ἐνέκοψεν. - *Ἐγκόπτω* proprie: incido, intercidendâ viâ cursum impedio, hinc universaliter: *impedio;* metaphora desumpta ab operationibus militaribus, cfr. Act. XXIV, 4, Rom. XV, 22, Gal. V, 7, I Petri III, 7. (Lightfoot: *Galatians* ad loc. cit.).

Satanas. - Apud Sept., I (III) Reg. XI, 14, 23: *σατάν* indecl. ab hebraeo. — In N. T. semper *σατανᾶς* ab aram.: *satana,* cum terminatione attica. Radix hebraica significat *adversari* ut graecum *διαβάλλω*, unde *διάβολος* = *adversarius*, cuius est tentare, unde *tentator*, vel *is qui tentat* = *πειράζων* (infra III, 5); aut antonomastice *malus* = *πονηρός*.

Cuiusnam naturae fuerint haec impedimenta, determinari certo nequit: vel oppositio Judaeorum, vel, non minus probabile, aegritudo physica, cf. Gal. IV, 13: *scitis... quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis*; haec verba autem, sicut evangelizatio Thessalonicae, referuntur ad secundum iter Pauli. — Lightfoot: *Galatians*, p. 186.

Ratio tantae sollicitudinis ac huius vehementis desiderii iterum eos vi-

κοψεν ἡμᾶς ὁ σατανᾶς. 19. *τίς γὰρ ἡμῶν ἐλπὶς ἢ χαρὰ ἢ στέφανος καυχήσεως — ἢ οὐχὶ καὶ ὑμεῖς — ἔμπροσθεν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ;* 20. *ὑμεῖς γάρ ἐστε ἡ δόξα ἡμῶν καὶ ἡ χαρά.*

dendi statim explicatur: sunt enim Thessalonicenses gloria et gaudium S. Pauli.

19. *Quae est enim spes nostra:* sicut filii dicuntur, more humano, spes parentum, in hoc mundo, ita discipuli sunt spes Apostolorum in adventum Domini.

aut gaudium, aut corona gloriae: iisdem verbis Paulus utitur alloquens hanc aliam ecclesiam Macedonicam, quam, tanto cum certamine, genuerat Christo, Philippensem scilicet: Phil. IV, 1.

Στέφανος καυχήσεως, corona gloriationis, de qua gloriatur Paulus, eius honor atque decus. Haec expressio desumitur ex LXX, Prov. XVI, 31, Ezech. XVI, 12, XXIII, 42.

Verbum *καυχᾶσθαι*, et eius derivata *καύχημα...*, *ήσις*, characteristica sunt in omnibus epist. paulinis, exceptis pastoralibus; alibi tantum apud S. Iac., I, 9, IV, 16.

Distinctio inter *στέφανος* et *διάδημα* bene apparet in textu Isaiae LXII, 3: "Et eris corona gloriae (*στέφανος κάλλους*) in manu Domini, et diadema regni (*διάδημα βασιλείας*) in manu Dei tui.„ Diadema, ita etiam latine, dicitur ergo et quidem exclusive de auctoritate regali aut sacerdotali, quasi sit signum regiminis atque auctoritatis. *Στέφανος* e contra latiorem sensum habet: est praemium victoriae, signum laetitiae; cf. v. gr. II Cor. I, 14, II, 16, II Tim. IV, 7-8: "Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi *corona iustitiae*, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.„ Talis sensus hic est applicandus. - Extenditur tamen etiam ad diadema regium designandum. Cfr. Stephani: Thesaurum.

Post *gloriae* supprimendum est in Vg. signum interrogationis, et aperiatur parenthesis; inter parentheses autem ponantur: *nonne et vos?* ac tunc pergit prima interrogatio, in qua verbum *estis* supprimendum est.

Nonne vos? Graece: = *ἢ οὐχὶ καὶ ὑμεῖς* = nonne et vos? cum sensu: *si non et vos?* expectatur enim affirmativa responsio. Etiam quidem alii, sed si vos non estis..., nullus! Haec interiecta quaestiuncula bene pingit characterem et stylum impetuosum Magni Apostoli.

Clausa parenthesi, pergit prima interrogatio, ac determinatur quomodo Paulus Thessalonicenses consideret ut suam spem, gloriationis coronam et gaudium, scil.:

ante Dominum nostrum Iesum Christum (estis, suppresso) *in adventu eius? ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ.* hic habetur prima explicita mentio *parousiae*, quae dominatur in utraque epistola ad Thessalonicenses.

Quantum ad usum et sensum

nos satanas. 19. Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in adventu eius? 20. Vos enim estis gloria nostra et gaudium.

19. Punctuatio Vg. mutanda seq. modo; inter parentheses legenda est appellatio: *nonne vos*, graece, *nonne et vos.* Signo interrogationis suppresso post: *gloriae*, pergit prima interrogatio ultra: *nonne et vos* Cfr. comm. — *Estis* supprim. — Leg.: *in adventum eius.*

20. Leg.: *certe vos*, seu *vos utique.*

vocis *παρουσία* sequentia iam notentur. Vox *παρουσία* (*παρών, οὖσα* a *πάρειμι*) apud Graecos (non in LXX) occurrit *primo* cum sensu etymol.: *praesentiae*, oppos. *ἀπουσία* = absentia (Phil. II, 12); *secundo* cum sensu huic connexo: *praesentiae advenientis* i.-e. *adventus* et *reditus.* In papyris autem occurrit ut *terminus technicus* ad designandum ingressum triumphalem regis aut gubernatoris, cui obviam veniunt incolae *coronam* et alia dona offerentes. Hic ultimus sensus est praecipue notandus (cfr. *Deissmann* Licht vom Osten[2], p. 278 sq.), quia huic affinis est usus eiusdem vocis in ep. paul. - Comp. *Joyeuse Entrée de Brabant.*

In N.T. vox *παρουσία* legitur: quater in oratione eschatologica Domini secundum Matth. XXIV, 3, 27, 37, 39; et Iac. V, 7, 8; II Petri I, 16, III, 4, 12; I Ioh. II, 28. Apud S. Paulum autem frequentius, α) in primo sensu: *praesentiae* ut. oppos. *absentiae* I Cor. XVI, 17, II Cor., VII, 6, 7, X, 10, Phil. I, 26, II, 12; - β) septies de *parousia* eschat. Domini I Th. II, 19, III, 13, IV, 15, V, 23, II Th. II, 1, 8, I, Cor. XV, 23; semel de Antichristo II Th. II, 9. Ex hoc frequenti usu clare etiam apparet character eschatologicus epistolarum ad Thessalonicenses.

Auctores autem ecclesiastici, ut *S. Ignatius*, praecipue *S. Iustinus M.*, distinguunt inter primam parousiam Incarnationis, et ultimam pro iudicio. Cfr. Milligan, p. 145-148.

Quaestio *parousiae* in appendice tractabitur, speciali respectu habito decreti Com. Biblicae, diei 18 iunii 1915.

Quaestioni autem vers. 19, et praecipue quaesticunculae interiectae, nunc felix et quasi tono triumphanti respondet Apostolus:

20. *vos enim estis gloria nostra et gaudium*; *γάρ* = Vg. enim; hic melius: utique, certe vos... (Cfr. Blass[2] p. 280.) Pelagius scribit optime: " Boni magistri omnem spem, et gaudium, et gloriam solent collocare in profectu discipulorum „. - Pro voce: gloria = *δόξα*, cfr. supra notam ad v. 6.

β. — Missio et reditus Timothei. III, 1-10.

Sed amor in verbis tantum, non est amor; amor debet factis comprobari. Amor Pauli comprobatur

III. 1. *Διὸ μηκέτι στέγοντες ηὐδοκήσαμεν*[1] *καταλειφθῆναι ἐν Ἀθήναις μόνοι,* 2. *καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον, τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν καὶ διάκονον τοῦ θεοῦ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ, εἰς τὸ στηρίξαι ὑμᾶς καὶ παρακαλέσαι ὑπὲρ τῆς πίστεως ὑμῶν,* 3. *τὸ*

[1] S *εὐδο...*

missione Timothei ad Thessalonicenses (1-5). Atque nunc reverso Timotheo bona nuntia ferente de eorum fide, charitate ac benevolentia, valde laetantur Apostoli, (6-8); quapropter gratias agunt Deo, orantes ut illos aliquando iterum videre possint et complere ea quae desunt fidei eorum (9-10).

1. *Propter quod non sustinentes amplius;* i-e. ob hunc tenerrimum amorem erga Thessalonicenses, non amplius sustinentes istud inexpletum desiderium eos iterum videndi. In Vg. optime redditur verbum graecum: *στέγοντες* = *sustinentes*, Ambrost. *tolerantes*. *Στέγω* in primo sensu enim significat: *tegendo tueor, servo, conservo*; deinde: silentio tego, reticeo, occulto (I Cor. XIII, 7?); demum: *tegendo arceo quod irruit, sustinere* etc. Ergo primo, rem protegere a periculo (1); inde ipsum periculum retinere, sustinere (3), inde sensus moralis in vulgata: sustinere, perferre, sufferre, tolerare. Hunc sensum habet idem verbum in caeteris locis ubi apud S. Paulum occurrit I Cor. IX, 12, XIII, 7 (?), I Thess. III, 1, 5. (Cfr. Grimm.).

placuit nobis remanere Athenis solis. - Hic breviter in memoriam revocanda sunt quae iam in introductione diximus. Thessalonica venerat Paulus Beroeam cum Sila (Act. XVII, 10) et forte cum Timotheo, — nisi hic aliquanto remanserit solus Thessalonicae ac paulo post illos Beroeam adierit. Advenientibus autem Judaeis, iterum fugere debuit Apostolus: " Silas autem et Timotheus, notant *Acta*, remanserunt ibi, i. e. Beroeae (XVII, 14). Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque Athenas, et accepto mandato ab eo ad Silam et Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum profecti sunt „ (15). - In Actis autem non dicitur an venerint; sed ex hoc nostro textu I ep. ad Thess. apparet manifeste eos Athenas venisse. Timotheus ideo Athenis mittitur Thessalonicam; etiam Silvanus mox mittendus est sive ad Philippenses, sive ad Beroenses. Scimus enim ex Actis XVIII, 5, Silam atque Timotheum apud Paulum Corinthum reversos esse.

placuit nobis remanere solis. Facilius — libenter concedimus — de solo Paulo hoc intelligitur, qui ideo saltem hic plurali epistolari uteretur (Estius, Bornemann, Dobschütz); attamen, contextu inspecto, melius intelligitur de Paulo et Sila simul, eo magis quod v. 5 Paulus, volens ad suum specialem amorem mentes Thessalonicensium advocare, in singulari repetit, quae hic

III, 1. Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis: 2. et misimus Timotheum fratrem nostrum, et ministrum Dei in Evangelio Christi ad confirmandos vos, et exhortandos pro fide vestra: 3. ut nemo moveatur in

2. Vg.: *et ministrum Dei*, alii: *adiutorem Dei;* cfr. comm.

in plurali, ergo etiam de alio quam seipso, dixit. Cfr. *Frame*, p. 126.

Ubi vg. habet: *remanere*, graece legitur: καταλειφθῆναι: relinqui post, seu derelinqui (Joh. VIII, 7, Act. XXV, 24).

Solis. Separari a Timotheo carissimo filio (I Cor. IV, 17, I Tim. I, 2, II, Tim. I, 2) erat iam sacrificium; sed ab eo saparati et derelicti Athenis: *idolatriae dedita civitate* (Act. XVII, 16), adhuc vividius sentiebant sacrificium.. vere erant soli; soli.. quia separati a Timotheo, quam tener affectus erga carissímum filium, caeterorum tenentem locum in corde ipsorum.

2. *Et misimus Timotheum fratrem nostrum.* Cfr. quae de Timotheo diximus I, 1. Eadem appellatio *fratris* II Cor. I, 1, Col. I, 1, Philem. 1, Heb. XIII, 23.

et ministrum Dei in Evangelio Christi, i. e. in Evangelio quod est a Christo, ut pluries dictum est. Graece habetur duplex lectio: 1) διάκονος, ita Vulg.: *minister*, Tischendorf, Westcott-Hort, Nestle, Von Soden, ergo editiones criticae maioris nominis; 2) συνεργός = *cooperator* seu *adiutor Dei* etc.., quam lectionem praefert Lightfoot, et etiam recentius Dobschütz. Ex unione duarum nata est tertia lectio. Cfr. diligentem ac instructivam notam Dobschütz p. 131, n. 2.

Omnibus locis, ubi vox συνεργός occurrit, attente examinatis, apparet apostolos vocari *Dei adiutores* I Cor. III, 9, ac Rom. XVI, 21; ipsum Timotheum vero dici *Pauli* adjutorem, ut alios alibi (v. gr. Urbanum, Rom. XVI, 9; Titum, II, Cor. VIII, 23 etc.). Dicunt autem Lightfoot et Dobschütz lectionem: *adiutor Dei* esse praeferendam, utpote difficiliorem atque talem ut in ea lectores potuerint offendi, unde correctio in benigniorem lectionem. - Findlay cum B supprimit: του θεου, et legit: Timotheus frater noster et minister, cfr. p. 62-63.

Juvenis autem Timotheus ita laudatur ut apud Thessalonicenses commendetur. Comp. Phil. II, 19 sq.

ad confirmandos vos: εἰς τὸ στηρίξαι, hoc verbum in sensu metaphorico et morali in posteriore graecitate tantum adhibetur; apud Paulum Rom I, 11, XVI, 25, et frequenter in ep. ad Thessal. I ep. III, 2, 13, II ep. II, 17, III, 3; etiam alibi in N. T.

et exhortandos pro fide vestra: ὑπέρ non tantum relate ad fidem vestram, sed, secundum vim propositionis, in utilitatem ac profectum fidei vestrae, scil.: 3, *ut nemo moveatur* etc.

3. *ut nemo moveatur in tribulationibus istis*: en obiectum et finis huius confirmationis et exhor-

μηδένα σαίνεσθαι ἐν ταῖς θλίψεσιν ταύταις. αὐτοὶ γὰρ οἴδατε ὅτι εἰς τοῦτο κείμεθα· 4. *καὶ γὰρ ὅτε πρὸς ὑμᾶς ἦμεν, προελέγομεν ὑμῖν ὅτι μέλλομεν θλίβεσθαι, καθὼς καὶ ἐγένετο καὶ οἴδατε.* 5. *διὰ*

tationis Timothei. Verbum graecum *σαίνεσθαι* optime vertitur in Vg.: *moveri*. Ita etiam Chrysost.: *θορυβεῖσθαι, ταράττεσθαι*, Bornemann, Dobschütz, cfr. p. 133-134 nota 3. *Σαίνειν* proprie dicitur de canibus caudam iactantibus, inde, metaphorice: blandiri. Multi auctores ergo etiam hic quaerunt hunc sensum: *blanditiis corrumpi* (cfr. v. gr. Caietanum). Melior et unicus in contextu acceptabilis sensus est: moveri, perturbari..

Sed quaenam sunt tribulationes istae? Aliqui ut Estius, Dobschütz putant hic agi de Pauli persecutionibus, ob quas discipuli possent scandalizari. Alii autem plerique ut Bornemann, et Frame, putant hic agi de tribulationibus ac persecutionibus ipsorum discipulorum. Haec ultima sententia videtur probabilior propter mox dicenda (v. 4) et propter iam dicta (II, 14). *S. Joh. Chrys.* utramque sententiam coniungit.

ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus, scil. *εἰς τὸ θλίβεσθαι* (3*a*-4) ad tribulationes sufferendas. (Cfr. I, 6). - *Κείμεθα* = positi sumus; pro eodem usu cfr. Luc. II, 34, Phil. I, 16.

Auctores, qui putant *tribulationes* ad solum Paulum restringi, similiter tenent hic de se solo Paulum in *plurali* loqui (Act. IX, 16). Melius autem hoc explicatur tamquam veritas generalis de omnibus christianis, quorum sors est pati pro Christi nomine. Ita Act. XIV, 21: quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei; II Tim. III 12: omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. - Pro exemplo Christi cfr. verba Jesu Luc. XXIV, 26: Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Pro doctrina Christi cfr. Matt. V, 10 sq., X, 17 sq., XVI, 24 sq., XXIV, 6 sq. Ergo necessitas tribulationis est lex Christi, haec est regia via ad regnum Eius. Cfr. eloquentem commentarium *S. Joh. Chrysostomi*, ad h. l. et *De Imit. Christi*, II, 12.

4. *Nam et cum apud vos essemus*: *πρός* cum accusat. post verbum respondens quaestioni *ubi*, quum sec. gram. atticae linguae oporteret legi *genitivum*; *accusativum* autem cum verbo motus, seu cum quaestione *quo*. Hoc accidit secundum usum communem Novi Test. *Theophylactus*: *πρὸς ὑμᾶς, ἀντὶ τοῦ παρ' ὑμῖν, μεθ' ὑμῶν* (ad II Th. III, 10). Prout Moulton diligenter notavit: in N. T. 679 acc., 6 dat., 1 gen. cum *πρός* habentur. Grimm tamen notat non quidem esse extinctam, sed plus minusve attenuatam directionis notionem praepositionis *πρός* post verba *manendi*, *habitandi*, quae scil. aliquem cogitari iubent semper conversum esse ad aliquem.

praedicebamus vobis: *προελέ-*

tribulationibus istis: ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. 4. Nam et cum apud vos essemus, praedicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut et factum est, et scitis. 5. Pro-

5. *is qui tentat*, leg.: *tentator*.

γομεν imperf. repetitionis: pluries praenuntiavit eis. Verbum *προλέγω, aperte, publice dico*, sed inde ab Aeschylo et Herod.: *praedico*, cfr. II Cor. XIII, 2, Gal. V, 21.

... saetta previsa vien più lenta!
(*Par. XVII, 27*).

Graece verba sequentia in oratione recta leguntur, introducta ope particulae recitativae: *ὅτι*.

passuros nos tribulationes: *μέλλομεν θλίβεσθαι* = debemus tribulari; statutum est a Christo ut etiam eius discipuli Crucem suam portent. Hoc ergo, sicut antea explicatum est, intelligitur generaliter de omnibus Christi fidelibus, et in particulari de Thessalonicensibus, cfr. v. 3, non de solo Paulo, ut Estius et alii.

Quia verba Pauli compendiose in *oratione recta* referuntur, ideo habetur praesens; secus, cum imperfecto *praedicebamus*, oportuisset haberi concordantiam temporum (Act. XV, 5 et alibi).

sicut et factum est, et scitis, propria scil. experientia; quia, secundum opinionem expositam, agitur de propriis Thessalonicensium tribulationibus. Estius autem — et alii quidam — etiam ad Paulum verba ista extendunt: " Quod enim ait: et *scitis*, intelligi potest, partim experientia, partim fama et relatu aliorum „. — Eph. III, 13 loquitur Apostolus explicite de tribulationibus *suis*.

5. *Propterea*: quia praedictae tribulationes super Thessalonicenses iam venerunt, quae potuissent periculum pro fide eorum esse.

et ego amplius non sustinens. Cfr. v. 1. Nunc ergo amore suo speciali pressus repetit, et quidem in prima persona, quae sollicitus fecit, II, 8. Non agitur de altera quadam missione, ut pauci volunt v. gr. Schmiedel, sed de ipsa eademque missione Timothei. Quae autem dixit circa eam, modo omnino naturali repetit mentione facta de tribulationibus istis; et quidem specialem suam sollicitudinem ac proprium affectum tradit, missionem Timothei sibi soli tribuendo. Hanc repetitionem in singulari, eodem modo explicat Caietanus, scil.: " ad explicandam magnitudinem affectus in seipso erga eos „, similiter Estius: " quo magis erga eos paternam animi sui sollicitudinem declaret „. Si de alia missione actum esset, eius naturam Paulus determinasset praecise ad amorem suum magis ac magis probandum. Ita etiam Bornemann, Milligan, Dobschütz.

misi ad cognoscendam fidem vestram, scil. Timotheum v. 2, nam, ut diximus, tribulationes ob Christi nomen inflictae possunt esse debilibus periculum pro fide.

τοῦτο κἀγὼ μηκέτι στέγων ἔπεμψα εἰς τὸ γνῶναι τὴν πίστιν ὑμῶν, μή πως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων καὶ εἰς κενὸν γένηται ὁ κόπος ἡμῶν. 6. *Ἄρτι δὲ ἐλθόντος Τιμοθέου πρὸς ἡμᾶς ἀφ' ὑμῶν καὶ εὐαγγελισαμένου ἡμῖν τὴν πίστιν καὶ τὴν ἀγάπην ὑμῶν, καὶ ὅτι ἔχετε μνείαν ἡμῶν ἀγαθὴν πάντοτε, ἐπιποθοῦντες ἡμᾶς ἰδεῖν καθάπερ καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς,* 7. *διὰ τοῦτο παρεκλήθημεν, ἀδελφοί, ἐφ' ὑμῖν ἐπὶ πάσῃ*

ne forte tentaverit etc.: *μή πως*, haec composita particula apud Paulum tantum occurrit. Hic cum sequenti indicativo *ἐπείρασεν* et subiunctivo: *γένηται*; 1um verbum indicat actionem praeteritam, causam timoris Pauli; alterum, aliquid possibile futurum (quod Deus avertat), obiectum scil. timoris Pauli. Cfr. Milligan. Ita etiam Grimm: *μή πως* in eodem enuntiato cum indicativo (de re fortasse jam facta, sed quam scriptor non factam esse optat) et coniunctivo aor. (de re futura et incerta, quam Deus avertat. - Findlay autem hic et Gal. II, 2 *interrogationem indirectam* videt: (quaerens) Nonne tentavit vos forte tentator, ac irritus factus esset labor noster? Cfr. Cambrigde Gr. Test. p. 69, quam hypothesim approbat Moulton.

is, qui tentat: *πειράζων*. — " Diabolum appellat eum qui tentat (*seu tentatorem*): quoniam proprium est eius officium tentare, non ad cognoscendum, sed ad inclinandum et ducendum ad malum.„ Cai. Cfr.: Matt. IV, 3; qui tentat I Cor. VII, 5 vocatur *ὁ Σατανᾶς*. Cfr. supra II, 18.

et inanis fiat labor noster, *εἰς κενόν* hebr. *leriq*: ne effectu suo frustretur, ne reddatur irritus. Cfr. II Cor. VI, 1, Gal. II, 2, Philipp. II, 15: " inter quos lucetis (Philippenses) sicut luminaria in mundo, 16: verbum vitae continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non *in vacuum* cucurri, neque *in vacuum* laboravi. „

6. *Nunc autem.* — A priori posset referri vel ad *reditum Timothei* vel ad *consolati sumus* (7), posita virgula post: *autem*. Dixit enim se timuisse pro fide eorum in his tribulationibus, *nunc autem consolationem experitur* ob bonum nuntium Timothei; ita Bornemann, Wolhenberg. Sed tantum distat verbum: *consolati sumus* (v. 7) a particulis: *nunc autem*, ut melius hae connectantur cum immediate sequenti: *veniente Timotheo*; " statim sub Timothei adventum, recenti gaudio, tenerrimo amore, haec scribit „ Apostolus, ita Bengel; similiter Lightfoot, Dobschütz, Milligan, Knabenbauer et alii.

veniente Timotheo ad nos a vobis. Haec ultima verba: *ad nos a vobis* = *πρὸς ἡμᾶς ἀφ' ὑμῶν*, videntur primo aspectu potius inutilia; revera tamen brevissime exprimunt scopum missionis Timothei esse obtentum: communicationem scil. directam inter discipulos et magistrum, ergo *ad nos* > *a vobis.*

et annunciante nobis. Translatio decolor; verbum graecum enim in Vulgata perdidit suum forma-

pterea et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tentaverit vos is, qui tentat, et inanis fiat labor noster. 6. Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, et annuntiante nobis fidem et charitatem vestram, et quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut et nos quoque vos: 7. ideo consolati sumus fra-

6. *quoque* non legitur graece.
7. *necessitate*, lege: *calamitate*.

lem sensum: afferendi faustum, laetum nuntium. *Chrysostomus*: " Vides magnam Pauli laetitiam? Non dixit: *ἀπαγγείλαντος*, id est nuntiante, sed *εὐαγγελισαμένου*, id est, fausta nuntiante; tantum existimabat bonum illorum firmitatem et caritatem„. - Hic tantum et Luc. I, 19 cum hoc sensu verbum istud occurrit; alibi semper adhibetur de bono nuntio antonomastice, i-e. messianico seu evangelio. Cfr. supra I, 5; *Prat* op. cit. II, p. 58.

fidem et caritatem vestram. Eadem compositio infra V, 8 et in epistolis pastoralibus octies; semper primo loco *fides*, exceptis Philem. 5, Apoc. II, 19; in hoc ultimo textu tamen Vulgata invertit ordinem textus graeci. - Fides enim per caritatem operatur Gal. V, 6; ac " si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum „ I Cor. XIII, 2. Ergo fides Thessalonicensium non est pure speculativa nec mortua, sed practica, vivens et operans per caritatem. Cfr. supra ad I, 3 et II, 13.

et quia memoriam nostri habetis bonam semper: *μνείαν ἡμῶν ἀγαθὴν* memoriam nostri *benevolam*, ut Matt. XX, 15, I Petri II, 18.

Post considerationem status obiectivi Ecclesiae Thessalonicensium in fide et caritate, nunc proprias suas relationes cum eadem Paulus considerat. Iamvero non obstantibus accusationibus contra Apostolum, eius tamen benevolam, amantem memoriam servarunt, sicut olim.

desiderantes nos videre, sicut et nos (*quoque*) *vos*; *ἐπιποθοῦντες* = Vulg. desiderantes. Particula *ἐπί*, directionem includens, vividius desiderium *versus* aliquem exprimit; in posteriori lingua hellenistica tamen, quae abundat verbis compositis, multa talia verba suum strictum valorem perdiderunt. Verbum *ἐπιποθέω* novies legitur in N. T., et quidem bis tantum extra epist. S. Pauli, scil.: Iac. IV, 5 et I Petri II, 2. Numquam autem verbum simplex *ποθέω* vel *πόθος* legitur.

7. *ideo*, scil. ob illa bona nuntia de vestra fide et caritate, de vestra benevola memoria nostri atque desiderio videndi nos...

consolati sumus fratres in vobis. Latine cum sensu passivo adhibetur verbum deponens: *consolari*, quod non raro accidit in Vg., ergo *consolationem accepimus*. Cfr. II Cor. VII, 7 idem de Corinthiis re-

τῇ ἀνάγκῃ καὶ θλίψει ἡμῶν διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως, 8. ὅτι νῦν ζῶμεν ἐὰν ὑμεῖς στήκετε ἐν κυρίῳ. 9. τίνα γὰρ εὐχαριστίαν δυνάμεθα τῷ θεῷ ἀνταποδοῦναι περὶ ὑμῶν ἐπὶ πάσῃ τῇ χαρᾷ ᾗ χαί-

verso Tito. — Pro verbo *παρακαλέω* cfr. II, 11 ubi in sensu *confortandi, exhortandi*, hic autem in sensu *consolandi* ut IV, 18, V, 11.

in omni necessitate et tribulatione nostra per fidem vestram. Ἀνάγκη primo significatur *necessitas* (Vg.) v. gr. Philem. 14 : *κατ' ἀνάγκην*: *coacte*; deinde usu apud Atticos raro, sed Hellenistis frequentissimo: *calamitas, angustiae.* In nostro loco hic sensus est intentus.

Θλῖψις a *θλίβω* : *pressio, compressio*, in biblico et ecclesiastico graeco : *oppressio, afflictio*, Vg. : *tribulatio*, cfr. not. II, Th. I, 4.

per fidem vestram. — En unde angustiae et tribulationes Apostolorum originem habebant; in eorum timore scil. ac sollicitudine pro fide discipulorum: ne aliquis eorum moveretur in tribulationibus...

8. *quoniam nunc vivimus :* tantum est gaudium Apostolorum ut se sentiant quasi alteram vitam vivere... post illam anxietatem : " Non solum est consolatio nostri, sed etiam vita nostra. Hyperbolicus est sermo humano more ad explicandam magnitudinem affectus ergà perseverantiam eorum „. *Caj.* - Cfr. I, Cor., XV, 31 : " Quotidie morior per vestram gloriam, fratres „.

si vos statis in Domino : *στήκετε*, Gal.V, 1, Phil. I, 27, IV, 1. Haec forma *στήκειν* est sat recens (a pfto *ἕστηκα* derivata) ac significat: *firmiter stare, persistere, perseverare*; ita Estius optime sensus reddit : *si vos in fide Christi Domini constantes permanetis.*

Ita senex patriarcha Iacob, cuius *revixit spiritus*, ut dicit S. Scriptura, audito nuntio vitae filii sui Ioseph, exclamavit : " Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus vivit „. Gen. XLV, 28.

Modus haesitans, *si vos statis:* bene explicatur considerato recente tempore conversionis eorum, ac brevi ministerio Apostolorum inter eos. Ideo ratio erat cur timeret Paulus ne inter tribulationes deficeret fides eorum adhuc insufficienter instructa (v. 10). Quanto autem maiores fuerant rationes timendi, tanto nunc maius est gaudium ac vividior gratiarum actio (v. 9).

Multis verbis probat aut probare conatur Bornemann in ultimis verbis pentametrum haberi citatum ex quadam primitivae ecclesiae poesi. Hoc inventum auctori proprium relinquatur: ius habeat proprietatis!.. Fortunae lusus, respondet Dobschütz.

9. *Quam enim gratiarum actionem : enim* = *γάρ*, mera particula transeundi, ut quandoque *οὖν* = *ergo*, IV, 1. — *Εὐχαριστία*, duodecies haec vox apud S. Paulum occurrit, sicut etiam verbum *εὐχαριστέω* (*τῷ θεῷ*) frequentissimum est in eius epistolis (I, 2). Substantivum *εὐχαριστία* extra Pauli epistolas occurrit tantum *Act.* XXIV, 3 :

tres in vobis in omni necessitate, et tribulatione nostra, per fidem vestram, 8. quoniam nunc vivimus si vos statis in Domino. 9. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos

9. *pro vobis,* Ambrost.: *de vobis.* — *in omni gaudio,* V. L.: *super omne gaudium.*

verba Pauli ad Felicem; et *Apoc.* IV, 9, VII, 12 in doxologiis. In Vet. Test.: Sap. XVI, 28, Ecclis. XXXVII, 13, II Macch. II, 28.

possumus Deo retribuere: ἀντ-αποδοῦναι; praepositio ἀντι, praefixa verbo: αποδοῦναι = *tradere, reddere,* formaliter exprimit ideam *aequalitatis* in retribuenda gratia accepta. Usurpatur in sensu bono Luc. XIV, 14, Rom. XI, 35; in sensu malo: de punitione et ultione Rom. XII, 19, Heb. X, 30; persaepe apud LXX et quidem cum utroque sensu. Ita etiam derivatum ἀνταπόδομα = *retributio,* in sensu bono, Luc. XIV, 12; in sensu malo Rom. XI, 9. Extra Lucam (Ev. XIV, 14) et Ep. Pauli (5, inclusa Ep. ad Heb.) non legitur in N. Test.

pro vobis = περὶ ὑμῶν: de vobis. Exprimitur impossibilitas condingae gratiarum actionis reddendae. Ita S. Thomas ad h. l. "Non sufficio, quod aliquam condignam gratiarum actionem agam Deo pro vobis„.

in omni gaudio: ἐπὶ πάσῃ τῇ χαρᾷ. Versio Vulgatae non est omnino accurata; exprimitur enim graece *obiectum* gratiarum actionis. Melius in Vet. Lat: *super omne gaudium,* i.-e. super totalitatem seu culmen gaudii, super summum gaudium.

quo gaudemus: ᾗ χαίρομεν, cum dativo ut Ioh. III, 29, Is. LXVI, 10; alibi, ut Matt. II, 10, cum accusativo; unde in nostro textu posset dativum explicari ob attractionem cum praecedenti χαρᾷ. Sed consideratis exemplis *dativi* citatis, haec ultima explicatio non est necessaria.

propter vos. Ut notat *Findlay:* decies, cum emphasi affectus, repetitur pronomen *vos* in vers. 6-10, sicut nomen: *fratres* saepissime occurrit in epistolis ad Thessal.: cfr. I, 4.

ante Deum nostrum. — En quomodo Apostolus gaudeat, successum operis sui considerando: ad Deum omnia refert, Ipsi soli gloria! Deoque gratias reddit auctori omnis boni. — Haec ergo verba connectenda sunt cum: *gaudemus,* non cum: *gratiarum actiones retribuere,* quia iam dictum est gratias *Deo* referri. Similiter illa quae sequuntur in V. 10 cum: *gaudemus* connectuntur.

Hic autem habetur typicum exemplum styli gravidi S. Pauli: complementum aliquod, scil.: *ante Deum,* novam ideam subsidiariam introducit: *orantes,* quae ipsa aliam

ρομεν δι' ὑμᾶς ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ ἡμῶν, 10. *νυκτὸς καὶ ἡμέρας ὑπερεκπερισσοῦ δεόμενοι εἰς τὸ ἰδεῖν ὑμῶν τὸ πρόσωπον καὶ καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν;* 11. *Αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν καὶ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς κατευθύναι τὴν ὁδὸν*

et iterum aliam elicit, ita ut phrasis terminetur cum idea, quae primo aspectu nihil commune habet cum obiecto principali.

Tres tamen ideae huius phraseos parallelae sunt et in uno obiecto connectuntur: orantes cum voto ad Deum (10), gaudentes coram Deo (9*b*), gratias agimus Deo (9*a*). - Thessalonicenses autem sunt obiectum: desiderii (10), gaudii (9*b*), gratiarum actionis (9*a*). (Bornemann).

10. *nocte et die,* cfr. supra II, 9.

orantes: connectitur cum: *gaudemus ante Deum.* Mentio enim Dei introduxit ideam orationis.

abundantius: *ὑπερεκπερισσοῦ*; *Vet. lat.:* superabundanter, *Ambrost.:* abundantissime. Iure scribit *Bornem.:* überschwänglicher hyperlolischer Gefühlsausbruch.

Hoc adverbium apud Paulum tantum occurrit (Eph. III, 20; I Th. III, 10, V, 13). S. Paulus, ut iam notarunt auctores, frequentissime utitur verbis compositis cum *ὑπέρ* augmentativo. In N. T. 28 verba composita cum *ὑπέρ* numeravimus, quorum 6 tantum apud Paulum numquam occurrunt. Ergo 22 leguntur apud Paulum, atque 20 quidem apud solum Paulum et 12 semel tantum. Globatim 59 vicibus haec composita adhibentur in toto N. T.; 14 vicibus tantum extra Paulum, 45 vicibus in eius epistolis; et quidem quasi semper in periodo maxime agitata vitae eius, scil. ante primam captivitatem. Tanta est vis styli paulini! Videor mihi non verba audire, sed tonitrua, notat S. Hier., ... quocumque respexeris fulmina sunt!

ut videamus faciem vestram, et compleamus ea, quae desunt fidei vestrae. - Haec minime cum 1ª idea principali *gratiarum actionis* expectarentur, ut diximus; gaudium ante Deum (propter quod gratias Deo agit) suggessit Apostoli menti et cordi: desiderium eos iterum videndi et complendi etc...

Καταρτίσαι (Vg.: *compleamus*) proprie: *componere* (vel factiones politicas, vel ossa disrupta, cfr. citationes apud Lightfoot ad h. l.), inde sensus moralis *corrigendi.* In N. T. verbum occurrit in sensu proprio et litterali: v. gr. Mc. I, 19: componentes retia; sed habitualiter, et quidem praecipue apud S. Paulum, metaphorice et ethice: de corrigendis moribus, de instruendis animis. In nostro textu uterque sensus habetur: *adimplendi*, scil., ea quae desunt, et *corrigendi* ea quae non recta sunt.

ea, quae desunt fidei vestrae, gr.: *τὰ ὑστερήματα.* Decies apud Paulum, semel extra epistolas eius apud Lucam XXI, 4 (contrarium est *περίσσευμα*, cfr. II, Cor. VIII, 13). Optime in nostra Vulgata: *quae desunt* fidei vestrae, sive theoretice, sive practice. Pro simili de-

ante Deum nostrum, 10. nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, et compleamus ea quae desunt fidei vestrae? 11. Ipse autem Deus, et Pater noster, et Dominus

10. *abundantius*, V. L.: *superabundanter*, Ambrost. *abundantissime*.
11. *Christus*, graece omittitur.
— *dirigat*, melius: *rectam faciat*.

siderio videndi Romanos: cfr. Rom. I, 11.

V. — *Oratio ad Deum*, III, 11-13.

Haec prior pars concluditur cum voto precatorio ad Deum; primo pro Apostolis, ut Deus scil. dirigat viam eorum ad Thessalonicenses (11); deinde pro discipulis, ut scil. crescant in caritate (12), et in adventu Domini irreprehensibiles inveniantur (13). — Altera pars epistolae eodem modo terminatur cum oratione ad Deum, V, 23-24. Utraque pericope incipit cum iisdem verbis: *ipse autem Deus*, et in utraque eminet idea parousiae Domini.

" Hoc est summae dilectionis, non solum apud se optare, sed etiam votum epistolae inserere: hoc est ferventis animi, et qui plane non potest cohiberi... „. *S. Ioh. Chrysost.*

11. *Ipse autem Deus: αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς* .. Cfr. not. infra V, 23. Propter particulam δέ non est quaerendus sensus stricte oppositus cum aliquo praeced.; est simpliciter finalis recursus ad Dei providentiam, fere ut: quidquid demum sit, Deus providebit ac provideat!...

Deus et pater noster, et Dominus noster Iesus Christus. - Vox *Christus* abundat, non legitur graece. Appositio ad *Deum* tituli: *Patris,* indicat sensum teneri amoris, quo Deus invocatur et amatur ut pater a filiis, simul ac plenam filialemque confidentiam, quacum filius nititur Patre amanti et misericordi, - sive *noster* referatur ad *Deus et Pater* (Bornem.), sive ad *Pater* tantum (Lünemann). Haec paternitas Dei in N. T. miris verbis a Iesu docetur.

Cfr. quae diximus I, 1 de aequalitate Dei et Iesu Christi. Eadem aequalitas hic affirmatur, quia in pari linea ponitur Deus qui est Pater noster, et Iesus qui est Dominus noster. Insuper Domino Iesu et Deo Patri nostro unitas actionis tribuitur et quidem actionis essentialiter divinae: directionis scil. actuum humanorum, et largitionis gratiae supernaturalis. Textus II Thess. II, 16-17 adhuc fortior et explicitior est, praeponitur enim ibi: Dominus noster Iesus Christus. Notandum est autem haec de divinitate et potestate divina Iesu legi in primis epistolis S. Pauli, quae sunt prima scripta Novi Testamenti.

Iesus Christus vocatur *Dominus noster* inquantum gloriosus suscitatus regnat cum Patre (Act. II, 36). Nomen *Iesus* autem designat Verbum incarnatum in munere suo messianico et salvifico; est Eius nomen terrestre ab Angelo impositum (Matt. I, 21). Frequentissime Apos-

ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς· 12. ὑμᾶς δὲ ὁ κύριος πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι τῇ ἀγάπῃ εἰς ἀλλήλους καὶ εἰς πάντας, καθάπερ καὶ ἡμεῖς εἰς ὑμᾶς, 13. εἰς τὸ στηρίξαι ὑμῶν τὰς καρδίας ἀμέμπτους ἐν ἁγιωσύνῃ

tolus scribit nomen *Iesu*, in Epist. ad Thess. 30 vicibus: " Hoc autem patiebatur Paulus de nimio amore Christi, ut eum semper quem diligebat, etiam superflue et extraordinarie nominaret. Quod potest absque nobis in omnibus Epistolis eius lector diligens invenire. „ - *S. Hier.* (*ad Eph.* I, 13).

dirigat. Notandum est singulare, attributum *Dei Patris nostri* et *Domini Iesu.* Haec unitas actionis supponit unitatem naturae, ideo Iesus est Deus. De mente divi Pauli qui dubitat caecus est.

Graece: *κατευθύναι = rectam faciat*, ut oppositum ad II, 18 *ἐνέκοψεν = impedivit;* intelligitur ergo de remotione obstaculorum. Cfr. II Thess. III, 5. Luc. I, 79, semper metaphorice.

Exauditane est oratio Pauli? Hoc supponi licet ex iis quae narrantur Act. XX de secundo itinere in Macedoniam.

12. *Vos autem.* - Sive veniamus, sive non veniamus, vos autem Dominus multiplicet etc.

Dominus, potest intelligi de Deo (*ὁ κύριος* apud LXX, versio nominis Dei: *Jahveh*); sed inspecto generali usu S. Pauli, praecipue in versu immediate praecedenti, melius intelligetur de Iesu. Notarunt autem nomen Dei (*ὁ κύριος* LXX pro *Jahveh*), applicatum Iesu Christo ab auctoribus N. T., Eiusdem divinitatem clare manifestare.

multiplicet et abundare faciat etc...: Largitio supernaturalis gratiae, propria Deo, hic tribuitur Domino Iesu, cfr. v. 11. - Pro *multiplicet* leg. *augere vel increscere faciat. Πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι:* posterius verbum plus dicit quam prius, indicat plus quam augmentum i. e. excessum. Utrumque simul posset verti seq. modo: *augeat* (vel increscere faciat) *usque ad abundantiam. S. Ioh. Chrisost.*: " Quasi dixeris, ex superabundantia quodammodo desiderat ab eis diligi „. Notandum demum est utrumque verbum hic adhiberi *transitive.* Alibi apud S. Paulum *πλεονάζω* semper, septies scilicet, intransitive (in V. T. transitive), *περισσεύω* autem apud Paulum cum accusativo rei occurrit. (Cfr. Grimm.).

caritatem vestram, graece dativum: (*in*) *caritate.* — Pro *ἀγάπη* cfr. I, 3.

in invicem, idem quod: *φιλαδελφία* IV, 9, Rom. XII, 10, Heb. XIII, 1, I Petri I, 22, cfr. II Petri I, 7, quod Vg. vertit: *amor fraternitatis.*

Hic autem utitur Paulus generali termino, quia vult ut caritas extendatur etiam ad illos qui non sunt fratres. Addit enim:

et in omnes. — Pro eadem idea cfr. V, 15, Rom. XII, 16 sq., Gal. VI, 10, 1 Petri II, 17. Hoc praeceptum universalis caritatis, quod in his calamitosis temporibus tam

noster Iesus Christus, dirigat viam nostram ad vos. 12. Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat charitatem vestram in invicem, et in omnes, quemadmodum et nos in vobis. 13. ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate,

12. *multiplicet*, i. e. *augeat* vel *increscere faciat.*
Pro: *in vobis*, leg.: *in vos.*
13. *sine querela*, verte: (ita ut sint) irreprehensibilia.
— *Christi* graece non legitur. — Del.: *Amen.*

obscuratum est, etiam miris verbis docetur a Salvatore, in cuius pretioso-divino sanguine sumus omnes fratres! Optima paraphrasis apud cl. *Estium:* " Precor, ut vos Christus Dominus abundare et exuberare faciat mutua inter vos caritate: nec solum inter vos, sed erga omnes homines, etiam infideles et vestrae salutis inimicos „.

quemadmodum et nos in vobis, leg. *in vos.* - En exemplum " in cordibus nostris estis ad commoriendum, et ad convivendum! „ II Cor. VII, 3. Non est ergo votum, sed propositio exempli: *sicut et nos in vos sumus animati, vel affecti, vel caritatem habentes.*

Explicationem de voto etiam reiicit Estius, et addit: " rectius est, ut cum Graecis commentatoribus exponamus in hunc sensum: quemadmodum ego caritate abundo erga vos omnes, ut qui etiam mori paratus sim pro vestra salute. Convenit haec expositio cum aliis locis, in quibus Apostolus se proponit imitandum illis, ad quos scribit, dicens: *Imitatores mei estote*, etc... „.

13. *ad confirmanda corda vestra:* *εἰς τὸ στηρίξαι*, refertur ad actionem et gratiam Domini (12) cfr. II Thess. II, 17; non ad actionem hominum ut Iac. V, 8: confirmate corda vestra. Non sufficit ergo perfectio exteriorum relationum in caritate, sed interior requiritur in cordibus coram oculis Domini. Caritas vero erga omnes ducet ad hanc internam perfectionem, est enim *vinculum perfectionis*, anima omnium virtutum, et caritas Dei haberi nequit sine caritate erga homines: " Si diligamus invicem, Deus in nobis manet „ I Ioh. IV, 12.

sine querela = *ἀμέμπτους*, cfr. II, 10: (ita ut sint) *irreprehensibilia in sanctitate* = *ἐν ἁγιωσύνῃ*; *Ambrost. in sanctimonia.* - Haec vox script. profanis est ignota; in V. T de attributis Dei tantum, hic autem de sanctitate morum, seu sanctimonia. Notanda est distinctio inter *ἁγιότης* (II Cor. I, 12, Heb. XII, 10), *ἁγιασμός* (cfr. infra IV, 3) et *ἁγιωσύνη* (Rom. I, 4, II Cor. VII, 1 et hic).

In *ἁγιότης* magis eminet notio abstracta *sanctitatis*, quae, per vitam sanctam seu processum *sanctificationis* = *ἁγιασμός*, exprimitur in moribus nostris; hic status sanctitatis seu sanctitudo graece exprimitur verbo *ἁγιωσύνη*. Ergo *ἁγιότης* = sanctitas, *ἁγιασμός* = sanctifica-

ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ μετὰ πάντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ [1].

[1] S † *ἀμήν. inter par.*

tio, *ἁγιωσύνη* = sanctitudo vel sanctimonia. (Cfr. etiam *Lightfoot* ad h. l.).

Aliqui auctores, ut Theodor., Ambrost., Flatt, Hofmann, Wohlenberg, quos citat Dobschütz, ultima verba: *cum omnibus sanctis* retulerunt ad: irreprehensibiles in *sanctitate;* ita *omnes sancti* designarent *omnes credentes*, vocatos sanctos, sive iam mortui sint, sive adhuc vivant. Sed hoc sustineri nequit, quum verba: *cum omnibus sanctis* certe connectenda sint cum: *adventu Domini nostri Iesu.* (Cfr. etiam *Bornem.*, *Findlay*).

Votum istud: *ut sint irreprehensibiles in sanctitate,* duplici conditione vel circumstantia determinatur:

α) *ante Deum et Patrem nostrum; Ambrost.:* coram Deo et Patre nostro, in conspectu eius. Deus enim est summum exemplar, ultimus finis et verax iudex cordium. " Deum vocat propter terrorem maiestatis eius: Patrem vero propter benignitatem, qua dignatur credentes sibi adoptare in filios „. *Ambrost.*, cfr. v. 11.

β) *in adventu Domini nostri Iesu Christi.* - Abundat (vox *Christi.*

Simili modo caput I et caput II terminantur cum idea parousiae Domini Iesu (cfr. ibi). Optat ideo Paulus ut Thessalonicenses irreprehensibiles inveniantur *in adventu Domini,* tunc enim iudicium definitivum pronuntiabitur de vita nostra, ille ergo est finis ad quem semper respicere debemus, et cuius consideratio semper redit in hac epistola.

cum omnibus sanctis eius. Haec verba ergo non sunt iungenda cum: *in sanctitate*, ut diximus, sed cum: *in adventu D. I.;* habetur enim manifesta allusio ad Zach. XIV, 5: *et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo,* ubi sancti designant *angelos,* ut alibi in V. T.: Deut XXXIII, 3 (?), Iob. V, 1, XV, 15, Ps. LXXXIX, 6, 8. (Cfr. *Gesenii:* Thesaurum p. 1197-*b*). Textus Zachariae in oratione eschatologica Domini similiter citatur, *Matt.* XXV, 31, cum explicita mentione *angelorum.* - Cfr etiam Matt. XVI, 27, II Thess. I, 7 (Matt. XIII, 41, 49, XXIV, 31 etc.). Angeli ergo, qui vocantur sancti, semper apparent ut comites Messiae gloriose venientis pro iudicio.

Sed quaestio ponitur: utrum hoc nomine *sanctorum* designentur hic soli angeli beati, an etiam beati homines.

Findlay opinatur, hic tantum agi de hominibus defunctis sanctis. Sed hoc videtur a priori reiiciendum, nam e comitatu Messiae gloriose venientis, minime *excludi* possunt angeli; quaestio tantum esse potest an *includi* cum angelis debeant defuncti homines beati.

Opinionem Flatt, Hofmann, Woh-

ante Deum et Patrem nostrum, in adventu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius. Amen.

lenberg, de fidelibus viventibus, vocatis sanctis, iam reiecimus.

Duplex ergo opinio in considerationem venit: 1) *designantur soli angeli*; 2) *comprehenduntur cum angelis etiam homines defuncti beati.* Hanc ultimam opinionem tenent Lightfoot et Milligan; prima tenetur fere ab omnibus, v. gr. a Bornemann, Dobschütz, Knabenbauer..., ut principales inter modernos tantum nominemus.

En igitur facta, quae pro solvenda quaestione sunt consideranda:

α) Apud S. Paulum vox *sancti* semper restringitur ad fideles sive viventes, sive defunctos in Domino, v. gr. Thess. I, 10, I Cor. I, 2 etc...

β) et quidem fideles, defuncti in Domino, dicuntur iudicaturi hunc mundum: Matt. XIX, 28, XX, 21, Apoc. II, 26 sq., XX, 4 (Sap. III, 8), I Thess. IV, 14, I Cor. VI, 2.

γ) In Vet. Test. (uti antea diximus ad verba: *cum omnibus sanctis eius*) et in libris apocryphis (Ps. Salom XVII, 49, Henoch I, 9 = Iud., 14) vox *ἅγιοι* = *sancti* designat angelos; atque apud LXX accurate distinguuntur: *ὅσιοι* = pii et *ἅγιοι* = angeli (Bornem.).

δ) In Novo Testamento demum comites Messiae gloriose venientis dicuntur: *ἄγγελοι*, vel *ἄγγελοι ἅγιοι* (Marc. VIII, 38, Luc. IX, 26); numquam vero nec *ἄγγελοι καὶ ἅγιοι*, nec simplex *ἅγιοι* (certe intelligendum de hominibus) vel *ὅσιοι* (ut dicunt LXX de piis).

Conclusio: Ergo omnes descriptiones eschatologicae, tum in Vet. Test., tum in libris apocryphis, tum in N. Test., angelos et angelos solos ut comites Messiae gloriose venientis describunt, numquam vero explicite homines defunctos beatos; imo hi defuncti beati excluduntur a comitatu glorioso Messiae, I Thess. IV, 16: Quoniam ipse Dominus... descendet de coelo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.

Attamen nonnulli textus N. T. citantur, e quibus sequitur homines sanctos iudicaturos esse mundum (cfr. β); hoc est principale argumentum pro includendis hominibus beatis, secundum opinionem Lightfoot et Milligan. *Respondetur:* utique homines sancti, ut apostoli, iudicaturi sunt mundum hunc iniquum, sed non confundatur hoc iudicium cum praevio glorioso adventu Messiae. Iamvero huius gloriosi adventus numquam *homines* dicuntur comites, sed *angeli* tantum, vel angeli beati (cfr. δ). Quod autem vox *ἅγιοι* numquam a S. Paulo usurpata sit pro *angelis* (cfr. α), hoc simpliciter tribui potest casui (Bornem., Dobschütz), et forte melius eius tam frequenti usui pluralis: *sancti* de fidelibus.

Ideo sicut explicatio de solis fidelibus viventibus *vocatis* sanctis, est nimis restricta et serviliter litteralis; ita extensio vocis *sancti* ad angelos *et* homines (ut volunt Lightf. et Milligan) est nimis larga, quia ultra

IV, 1. *Λοιπὸν οὖν, ἀδελφοί, ἐρωτῶμεν ὑμᾶς καὶ παρακαλοῦμεν ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ, ἵνα*[1] *καθὼς παρελάβετε παρ' ἡμῶν τὸ πῶς*

[1] S † *par.*

debitos limites extendit doctrinam Christi de iudicio mundi per sanctos homines. — *Ad hominem* notamus contra hanc ultimam opinionem: Si vox *ἅγιοι* extenditur *etiam* ad homines in hac Pauli pericope eschatologica, secundum rigorem styli paulini ad *solos* homines deberet restringi (cf. α). Sed hoc est manifeste contra omnes descriptiones eschatologicas tum V. tum N. Testamenti (γ et δ). - Cf. *Dobschütz* p. 152-153 et *Knabenbauer* p. 72.

Amen i-e. firmum seu *ita sit.* Critice non est certae authenticitatis; in manuscriptis enim aliis legitur, in aliis omittitur. Eius additio sicut eius suppressio aeque posset explicari: vel est additum hoc verbum sub influxu usus liturgici, quia sequitur pars omnino differens; - vel est suppressum, quia hic in media epistola offendebat. Quidquid sit, cum Dobschütz concludendum est (p. 153, nota 2): certitudo hic haberi nequit, melior tamen attestatio est pro *amen.*

PARS POSTERIOR:

DIDACTICA ET MORALIS

IV, 1 - V, 24.

I. - *Regulae morum pro individuis: de castitate, caritate erga fratres et vitanda pigritia,* IV, 1-12.

Haec monita specialia introducuntur exhortatione generali (1-2): ut scil. Thessalonicenses observent omnia, quae ab Apostolis mandata sunt (1), cognoscunt enim mandata eorum (2).

1. *De caetero ergo*: *λοιπὸν οὖν.* - *Λοιπόν* ut *τὸ λοιπόν* vel *τοῦ λοιποῦ*: *quod superest, temporis scilicet,* ergo *abhinc, iam;* et missa temporis notione: *caeterum, de caetero,* ut transitum faciat ad alia, ad quae auditor vel lector attendere iubeatur, Eph. VI, 10, Phil. III, 1, IV, 8 etc.... Cfr. *Grimm.* Exceptis I Cor. I, 16, IV, 2, semper ad finem epistolae: "locutio est properantis ad finem„ *Grotius.* - Particula *οὖν* similiter transitum orationis tantum facit, et saepe a S. Paulo pro transitu ad paraenesim usurpatur; non est ergo quaerendus nexus cum aliquo praecedentium (contra Bornem.), de facto cum *λοιπόν* est synonyma; (cfr. Milligan pro usu in papyris). Compositio ex his duabus particulis hic tantum occurrit.

rogamus vos: ἐρωτῶμεν ὑμᾶς. - Notandum est verbum *ἐρωτάω* in lingua classica adhiberi tantum in sensu *interrogandi*; in N. T. autem saepe in sensu *rogandi*; apud Paulum cfr. Phil. IV, 3, I Thess. IV, 1, V, 12, II Thess. II, 1. Hunc sensum bene attestatur lingua alexandrina, ut probat Milligan.

Cum emphasi adiungitur: *et obsecramus*; auctoritas autem et vis huius exhortationis est: *in Domino Iesu*: Hic, et II Th. III, 12: *παρακ... ἐν*; alibi *διά*, Rom. XII, 1, XV, 30 etc.... - Ideo *per* Iesu nomen et

IV, 1. De caetero ergo, fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Iesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo

1. Post *ut*, si retinetur cum aliquot ms., ponatur colon; cfr. comm. — Loco: *sic et ambuletis*, graece et W. W.: *sicut et ambulatis.*

in Eius nomine exhortantur Apostoli. - *Ἐρωτῶμεν* et *παρακαλοῦμεν* idem sunt, eiusdemque potestatis. (Oecum., Dobschütz).

ut quemadmodum accepistis a nobis. - Post particulam *ἵνα* = *ut*, si retinetur, utpote probabilior lectio, ponenda est virgula; ac cum *quemadmodum...* incipit protasis, cuius correspondens apodosis deest. Ad finem autem phraseos, ob longiorem parenthesim, *ἵνα* = *ut* repetitur: *ut* abundetis magis. (Cfr. sequentia).

accepistis: *παρελάβετε*, cfr. II, 13, in utroque loco non tam modum, quam nudum factum et obiectum receptionis indicat. *Bornem. Milligan.*

quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo; *τὸ πῶς* etc... Articulus in neutro hic duplex officium habet, 1° praefigitur *interrogationi indirectae*; talis usus extra scripta lucana rarus est: Luc. I, 62, XIX, 48, IX, 46, Act. IV, 21, XXII, 30; apud S. Paulum praeter I Thess. IV, 1, habetur exemplum huius usus Rom. VIII, 26 (*Blass*[2], p. 160, § 47, n. 5); 2° simul, secundum usum omnino classicum, *τό* iungit omnia membra huius indirectae interrogationis in unum obiectum dependens a *παρελάβετε* (*Blass*[2], p. 238, § 71). Cfr. *Milligan.*

Notetur duo haec infinitiva: *ambulare et placere* intime connectenda esse, ita ut posterius indicet necessarium effectum prioris: *quomodo ambulare et (ita) placere...* vel *ut placeatis Deo.*

Pro *ambulare*, expressione hebraica, cfr. II, 12.

sic et ambuletis. - Haec versio latina omnino corrigenda est secundum textum graecum et multos codices latinos (cfr. Wordsworth-White): *sicut et ambulatis*, ita etiam Ambrost. Apodosis exspectata mutatur in laudem meritam, ad vitandum monitum nimis generale et ideo nimis duram; talis laus est omnino secundum stylum S. Pauli, cfr. Col. I, 6. Sed inde phrasis irregularis fit duplici sub respectu: 1° non habetur apodosis respondens protasi: *quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo*; sed apodosis, quae fuisset *exhortatio ad ita ambulandum*, modo positivo enuntiatur ut factum iam completum... et ita habetur laus: *sicut et ambulatis*; 2ª irregularitas: id tamen quod ut *apodosis* adiungitur: *ut abundetis magis*, non respondet protasi, sed aliquid superaddit desideratae apodosi. Sequenti modo phrasis debuisset construi: *ἵνα καθὼς παρελάβετε... περιπατεῖν, οὕτως καὶ περιπατῆτε, ut quemadmodum recepistis... ambulare, ita et ambuletis etc...*

Ut patet textus latinus noster hanc

δεῖ ὑμᾶς περιπατεῖν καὶ ἀρέσκειν θεῷ, καθὼς καὶ περιπατεῖτε, ἵνα περισσεύητε μᾶλλον. 2. οἴδατε γὰρ τίνας παραγγελίας ἐδώκαμεν ὑμῖν διὰ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. 3. Τοῦτο γάρ ἐστιν θέλημα

particularitatem vividi styli Pauli omnino perdidit, vice sua, laudem mutando in votum desideratum.

ut abundetis magis. - En quae locum tenent desideratae apodoseos; in exprimendo autem tali voto: *de continuo profectu, ac semper maiori perfectione*, apparet mitis ac delicata anima S. Pauli...

Ἵνα περισσεύητε μᾶλλον. - Pro περισσεύω cfr. supra III, 12; - μᾶλλον intensivum hic quasi pleonastice adhibetur, ut non raro in scriptis paulinis cum hoc verbo, v. gr. infra v. 10; II Cor. III, 9, Phil. I, 9; cfr. etiam Matt. V, 20 (πλεῖον); Mc. VII, 36, II Cor. VII, 13, Phil. I, 23. - Non agitur *stricte* de operibus adimplendis supra praescriptis, uti exponit S. Ioh. Chrysostomus, et Theophylactus (cuius commentarius plerumque a praeced. dependet); attamen talis abundans perfectio non excluditur, e contra. Audiatur ergo *Chrysostomus*: "Hoc enim est profectus, etiam exsuperare mandata et praecepta... Sicut enim terram non solum oportet ferre iacta sementa: sic etiam animam oportet non usque ad ea subsistere quae sunt sparsa, sed etiam exsuperare „.

2. *Scitis enim quae praecepta dederim vobis per Dominum Iesum.* - Corrig. sec. graecum et ms. lat.: *dederimus* (Wordsworth-White). Verba: διὰ τοῦ κυρίου (in v. 1: ἐν κυρίῳ, expressiones synonymae) indicant fontem, unde Apostolus auctoritatem habet, et ideo nomen in quo auctoritative docet. Huius dependentiae sui a Iesu Christo semper Paulus sibi intime conscius est: auctoritatem tantum habet in Domino Iesu, sed tantam habet quia Iesu nuntius, ita I Cor. VII, 10: praecipio non ego, sed Dominus. - Παραγγελία: *praeceptum* maxime in re militari; bis in I Tim.: I, 5, 18 de tota disciplina Christi; hic de particularibus praeceptis e quibus haec disciplina efformatur. Cfr. Act. V, 28, XVI, 24.

α) *De Castitate*, v. 3-8.

Post hanc considerationem generalem, commendatur castitas, charitas erga fratres, vita quieta et laboriosa.

Monitum de castitate introducitur praecepto generali de sanctificatione (3*a*); deinde commendatur haec virtus sub triplici forma: fornicatio vitanda (3*b*), sanctificandum matrimonium (4-5), adulterium fugiendum (6*a*). - Horum autem observatio praecipitur ob triplicem rationem: Deus vindex est (6*b*), ad sanctificationem sumus vocati (7-8*a*), Spiritus Sanctus habitat in nobis (8*b*).

3. *Haec est enim*: τοῦτο, subiectum, refertur ad: *sanctificatio vestra*, tamquam ad appositionem, et ulterius ad omnia sequentia verba in infinitivo, quae in Vg. in subiunctivo leguntur: ἀπέχεσθαι, Vg.

oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis. 2. Scitis enim quae praecepta dederim vobis per Dominum Iesum. 3. Haec est enim voluntas Dei, sancti-

2. Loco: *dederim* leg. *dederimus*, sec. text. graec. et W. W.

ut abstineatis; εἰδέναι... κτᾶσθαι, Vg. *ut sciat... possidere; τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν*, Vg. *ne quis supergrediatur, neque circumveniat...* In istis verbis enim, praecepta particularia exprimentibus, determinatur sanctificatio haec, quae est voluntas Dei.

voluntas Dei: *θέλημα*, vox mere biblica et ecclesiastica. *Θέλημα* non est facultas neque actus voluntatis: *θέλησις*, Heb. II, 4; sed potius id quod Deus vult, praescriptum voluntatis Dei. - Vox *θέλημα* legitur absque articulo, non indicatur ergo universale obiectum voluntatis Dei, sed *particulare,* quod est: *sanctificatio nostra.*

sanctificatio vestra: *ἁγιασμός*, ut dictum est III, 13, distinguitur ab *ἁγιότης* quae est abstracta qualitas sanctitatis, ab *ἁγιωσύνη* quae est sanctimonia, seu sanctitatis status. *Ἁγιασμός* est inter utrumque, ut via ad statum; est scil., prout in Vg. optime vertitur, *sanctificatio activa*, quam, volente et adiuvante Deo, semper prosequi debemus. - Est vox mere biblica et ecclesiastica, quae novies apud S. Paulum (inclusa ep. ad Hebr.) legitur, extra Paulum in N. T. semel tantum: I Petri, I, 2.

Haec sanctificatio consistit in vitanda inordinata libidine; opponitur immunditiae carnali, v. 7: *ἀκαθαρσία*; - tantum locum obtinet puritas in sanctificatione animae!...

ut abstineatis vos a fornicatione: ἀπέχεσθαι. Hoc verbum apud LXX construitur vel cum genitivo solo, vel cum *ἀπό* et genit.; v. gr. utraque constructio simul habetur in *Sap. II, 16.* Lingua classica praefert priorem usum; S. Paulus bis cum *ἀπό* (hic et V, 22), semel sine *ἀπό* (I Tim. IV, 3), ut Act. XV, 20, 29 et I Petri II, 11. Ergo frequentior est usus classicus, sine *ἀπό*, in N. T.; nam praeter hos locos non occurrit media vox huius verbi, cuius *activa vox* (bis apud Paulum Phil. IV, 18 et Philem. 15) frequens est in Synopt., et significat: *possidere*. - Pro usu et sensu in papyris cfr. *Milligan.*

Hic et in seq. habentur graece formae infinitivae, quae, ut dictum est, determinant in quo consistat haec sanctificatio. - Quam necessarium erat primos christianos, e gentilitate oriundos, contra vitium fornicationis praemunire, apparet iam ex concilio Hierosolymitano, Act. XV, 20; cfr. supra II, 3. Sub umbra ipsorum sacrorum vitium istud apud paganos tegebatur. Et ipse Cicero - non loquamur de Terentio nec de Horatio; - ipse legum romanarum vindex, Cicero, non veretur ita perorare: "Verum si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdic-

τοῦ θεοῦ, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν, ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας,
4. εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ

tum iuventuti putet, est ille quidem valde severus: negare non possum; sed abhorret non modo ab huius saeculi licentia, verum etiam a maiorum consuetudine atque concessis. Quando enim hoc factum non est? quando reprehensum? quando non permissum? quando denique fuit ut quod licet non liceret? „ (*Or. pro Coelio*, 20). Cfr. *Knabenbauer*, Act. Ap., p. 266. - *Coppieters*, R. B., 1907: " Le décret des Apôtres „, p. 34, 218.

4. *ut sciat uniusquisque*, graece infinitivum *εἰδέναι* parallelum cum praeced. et explicans *sanctificationem*. " Adnotant Graeci Apostolum dicere: *ut sciat*, ad insinuandum, quod castitas et continentia opus habeant exercitio et disciplina „. Ita *Estius* post Theophylactum.

vas suum possidere: σκεῦος κτᾶσθαι. - Quid intelligitur hac voce: *σκεῦος*? Secundum alios *uxor*; secundum alios *proprium corpus*. - Utraque autem opinio patronos habet magni nominis.

Pro priori sententia *de uxore* citantur: *Augustinus* (passim), *Theod. Mops.*, *Thomas*, *Estius*, *Wetstenius*, *Le Camus*, *Findlay*, *Wohlenberg*, *Dobschütz*, *Knabenb*, *Frame*.

In favorem huius sententiae allegantur sequentia argumenta:

α) in libris rabbinicis eadem figura *vasis* de uxore adhibetur; v. gr. *Megilla Esther* I, 11: " In convivio illius impii aliqui dicebant: Mulieres Medicae sunt pulchriores; alii vero: Persicae sunt pulchriores. Dixit ad eos Achasverus: Vas meum, quo ego utor, neque Medicum neque Persicum est, sed Chaldaicum, vultisne illud videre? „ Comp. *Sohar Levit.*, fol. 38, col. 152, apud Chr. Schöttgen: *Hor. hebr.*, p. 827, et Wetstein ad h. l.

β) Similes locutiones in Scriptura Sacra inveniuntur. Prov. V, 15 circa uxorem commendatur viro: bibe aquas de vasis tuis = *ἀπὸ σῶν ἀγγείων*. Innuitur usu I Petri III, 7: quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem. - Attamen in hoc textu consideratur mulier, non ut bonum viri, sed ut instrumentum et templum Spiritus Sancti.

γ) Etiam verbum *κτᾶσθαι* in V. T. adhibetur de ducenda uxore, ita Ruth IV, 10, Eccles. XXXVI, 29 (*Swete*, vol. II, p. 718). - Similiter secundum *Xenophontem* (Conviv. II, 10: *ταύτην κέκτημαι*) dicit Socrates de Xantippe uxore.

Quum autem sensus verbi *κτᾶσθαι* sit *possîdere* (non possidêre = *κέκτημαι*) seu *acquirere*; tunc expressio esset intelligenda de: *ducenda uxore*. - Hic autem sensus optime, ut concedit Lightfoot, cum contextu congruit, et quidem solus est admittendus, prout mox videbimus.

Idem cl. Lightfoot tamen et praecipue Milligan scandalizantur hac explicatione, utpote diminuente conditionem mulieris et uxoris, dum vero textu isto vult Apostolus et docet, matrimonium esse sanctifican-

ficatio vestra: ut abstineatis vos a fornicatione. 4. ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et

4. *Possidere*, i. e. *acquirere*, cfr. comm.

dum. Ipse autem Lightfoot cogetur fateri hunc sensum non esse parum decentem, quum statim addatur: *in sanctificatione et honore*. - Caeteroquin, ut notat Dobschütz contra istud leve scandalum: *quod convenit aut non convenit nostro sensui* (Gefühl), *non est criterium exegeticum*. - Ergo quum explicatio haec de *ducenda uxore* innuatur usu simili aliunde certo, et contextu immediato - ut nobis videtur certum - est omnino admittenda. - Cfr. infra, post v. 6α, connexionem rerum a v. 3 ad 6; et comm. v. 7.

Alii tamen putant *vas* dici de *proprio carpore;* ita iam *Tertullianus* (De resurrect. carnis 16: Caro... vas vocatur apud Apostolum, quam iubet in honore tractari; comp. adv. Marcionem, V, 15). Similiter *S. Ioh. Chrysostomus*, quem sequuntur more suo, *Graeci* plerique, ut: *Theodoretus, Ioh. Damascenus, Œcumenius, Theophyl.*; *Ambrosiaster* etiam et *Pelagius, Caiet, Bengel*; inter modernos vero pauci inter quos recenter *Milligan*.

Imago haec *vasis de corpore proprio,* dicunt isti, non habet difficultatem, est enim a priori possibilis, atque pro usu simili allegantur sequentia exempla:

α) Ex ipsis epist. *S. Pauli*, II Cor. IV, 7: "habemus thesaurum istum (scil. gratiam apostolatus) in vasis fictilibus„; ubi utique est quaestio de corpore, non tamen de continentiae dono, sed de dono apostolatus.

β) *Barn.* ep. c. 7 et c. 11: *τὸ σκεῦος τοῦ πνεύματος αὐτοῦ*; *Philo, quod deter. pot. ins.* 186 A: *τὸ τῆς τῆς ψυχῆς ἀγγεῖον τὸ σῶμα*; et *de migr. Abrah* 418 E; similiter apud *Platonem* Soph. 219 A; apud *Lucretium*, III, 441; *Cicero* item pulcherrime in *disputt. Tusc.*, I, 22: corpus quidem quasi vas est aut aliquod animi receptaculum. - (Per transennam notetur, corpus eodem fere modo sed verius *ergastulum* animae vocari).

Hanc opinionem bene refutat Bornemann, cfr. p. 168. Utique *corpus* quandoque dicitur vas, sed semper determinatur imago adiunctione: *spiritus vel animae*; in hac opinione *ἑαυτοῦ* ante *σκεῦος* redundat, et vim significationis suae perdunt voces *ἐν πάθει ἐπιθυμίας*. Principalis autem difficultas contra hanc opinionem est significatio verbi *κτᾶσθαι*, quae non est *possidêre*, uti exigitur in hac opinione, sed *acquirere*. Milligan tamen, doctissimus in lingua alexandrina, hunc sensum conatus est deducere ex papyris, et concedendum est egregium commentatorem graecum, S. Ioh. Chryst., hunc sensum *possidendi* verbo *κτᾶσθαι* tribuisse.

Tamen prior sententia remanet, n. i., probabilior in se, et in contextu;

καὶ τιμῇ, 5. μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας καθάπερ καὶ τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν θεόν, 6. τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγ-

rationes vero contra alteram non sufficienter solvuntur.

in sanctificatione et honore: cfr. I Petri III, 7, I Cor. VI, 15 sq. et quae dicenda sunt ad v. 8^{b} de Spiritu Sancto in corporibus nostris habitante. Bene illustratur hoc monitum exemplo Tobiae VIII, 4, sq. - Pro *ἐν ἁγιασμῷ*, cfr. III, 13, IV, 3: ergo matrimonium non sit in laqueum animae, sed ad gloriam Dei, et adiutorium virtutis. - *Καὶ τιμῇ*: pulcherrime illustratur ex I Cor. XII, 22 sq.

5. *non in passione desiderii*: *μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας*; cfr. Rom. VI, 12: " non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius: *ἐπιθυμίαις* „; ideo *ἐπιθυμία* seu *concupiscentia* ut activum principium potest considerari respectu ad *passiones*: *πάθη* corporis; seu ut fomes concupiscentiae, ex quo ebulliunt passiones malae. - Cfr. Gal. V, 24: " Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis „; similiter Col. III, 5. - Fere synonyme *πάθος* et *ἐπιθυμία* adhibentur, unde Grimm putat hic haberi genitivum appositionis.

sicut et gentes, quae ignorant Deum, II Thess. I, 8, Gal. IV, 8. Gentes ergo: *ἔθνη* = hebr. *goïm*, sunt ignorantes (cum art.) verum (art.) Deum: haec ignorantia est earum nota characteristica (Ier. X, 25, Ps. LXXIX, 6, XCIV, 2); non quod non noverint Deum, sed quod noluerint Eum agnoscere, nolentes vivere secundum legem Dei scriptam in cordibus suis, Rom. I, 19 sq., II, 14 sq. - Cfr. IV, 13.

Ergo ignorantia veri Dei est origo omnis immunditiae (Rom. I, 19 sq.); et vice versa, fons puritatis est cognitio Dei quae transit in amorem. Ita Bengel: " Ignorantia (Dei) impudicitiae origo. Coeli serenitatem adspice: impuritatis taedium te capiet „. - Matt. V, 8 cognitio Dei ut praemium promittitur puritatis animae: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Demum non possumus non citare hunc pulcherrimum textum *S. Ioh. Chrysostomi* ad III, 13 " Non est, non est ullum peccatum, quod non tamquam ignis consumat vis caritatis et dilectionis. Facilius enim resistit vile sarmentum magno ignis rogo, quam natura peccati potestati caritatis „

Versus 4 et 5 *Bornemann* modo singulari explicat. Separat scilicet: *κτᾶσθαι* a praeced., posita virgula post *σκεῦος*. Versum 4^{a}, usque ad *σκεῦος*, intelligit quidem de puritate matrimonii, ergo *σκεῦος* de uxore; sed cum *κτᾶσθαι* incipit loqui de alia materia, seu de iustitia: possidere secundum iustitiam... non in furto et dolo, quod in v. 6 magis determinaretur (cfr. p. 171).

Primo reiici potest ista novitas hac generali consideratione; nullibi agitur in tota hac pericope de iustitia, sed de sola castitate, uti apparet ex conclusione (v. 7 comp.

honore: 5. non in passione desiderii, sicut et Gentes, quae ignorant Deum: 6. et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus

6. *Et* abundat.

cum v. 2; - cfr. infra de successione idearum in toto contextu). Deinde verba *ἐν πάθει ἐπιθυμίας*, intellecta de re iustitiae, omnino perdunt suum valorem. Cfr. *Dobschütz*, p. 162.

6. *Et ne quis supergrediatur*: (*et* abundat in Vg.) *τὸ μὴ ὑπερβαίνειν*, notandus est articulus (deest cum verbis praeced.), quo verbum *ὑπερβαίνειν* cum tota sequenti sententia in unum obiectum connectitur (cfr. v. 1), et quidem ut amplior determinatio praecedentium. Ut parallelum considerandum est cum duobus praeced. verbis explicantibus: *ὁ ἁγιασμός*.

Quisnam est autem sensus verbi: *ὑπερβαίνειν* (hap. leg. in N. T.)?

α) Sumi potest *intransitive et absolute*: super - vel transgredi, scil. limites liciti, et tunc est synonymum cum peccare; apud Hom. et Plat. cum *ἁμαρτάνειν* revera connectitur; natura transgressionis tunc determinaretur altero verbo: *καὶ πλεονεκτεῖν* etc. Ita Milligan; etiam Lightfoot qui citat S. Hieronymum (Eph. V, 3) " transgredi concessos fines nuptiarum „.

β) Sed etiam posset sumi *transitive* et ut regens *τὸν ἀδελφόν* = *praetergredi iura alterius, negligere.*

Melior est prior sensus, quia *ὑπερβαίνειν* cum accusativo personae dicitur potius de *eminere supra alterum.* Ergo agitur de passu extra limites matrimonii liciti; hic passus determinatur... scil. ad alterius uxorem.

neque circumveniat: *καὶ πλεονεκτεῖν*, cfr. II, 3. Transitive usurpatum hoc verbum habet sensum: *praevertendi* aliquem commodo aut lucro; quod propter contextum aliquando licet intelligi de *actu impudicitiae*, quando scil. talis actus simul est iniustitia, prout in adulterio accidit. Eph. IV, 19. Cfr. accuratam notam *Lightfoot* ad *Col.* III, 5.

in negotio. Haec vox latina innuit hic potius agi de simplici iniustitia in commercio, ita Grimm: *negotium mercantium*; quam explicationem multi tum antiqui tum moderni tenuerunt ac tenent, inter quos: *Pelagius, Anselmus, Thomas*; plerique quidem latini, abducti forsitan latina versione. Item *Lutherus, Bornem., Dobschütz, Knabenbauer, Wohlenberg.*

Alii autem, inter antiquos plerique Graeci cum *S. Ioh. Chrysostomo*; item *S. Hieronymus, Caiet., Estius,* et inter modernos *Le Camus, Findlay, Frame, Lightfoot, Milligan* putant hic agi de adulterio.

En rationes pro hac altera sententia:

α) vox *πρᾶγμα* numquam in singulari habet significationem negotii mercantium; caeteroquin de iustitia hic non agitur (cfr. infra).

β) e contra de commercio sexuali

ματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, διότι ἔκδικος κύριος περὶ πάντων τούτων, καθὼς καὶ προείπαμεν ὑμῖν καὶ διεμαρτυράμεθα. 7. οὐ γὰρ ἐκάλεσεν ἡμᾶς ὁ θεὸς ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ ἀλλ' ἐν ἁγιασμῷ. 8. τοιγαρ-

agitur in toto contextu, ergo etiam hic. Hunc sensum patitur vox *πρᾶγμα*, cuius significatio est generalis: *factum*, *res*; Matt. XVIII, 19, Luc. I, 1, Act. V, 4 etc. Etiam Rom. XVI, 2 et I Cor. VI, 1 sensus est: *res*.. *indeterminata*, non negotium mercantium (contra *Dobschütz*.

γ) similis lucutio occurrit II Cor. VII, 11 (ad finem): *in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio* = *τῷ πράγματι*, ubi agitur de castitate. Usus est ergo S. Paulus modo loquendi velato de peccatis " quae nec nominentur in nobis, sicut decet sanctos „ Eph. V, 3.

— Talis est ergo *connexio rerum* a v. 3 ad 6: Sanctificatio vestra est voluntas Dei (3). Haec voluntas autem est de *castitate*: nam Deus vocavit nos non in immunditiam, sed in sanctificationem (7). *Ergo inter v. 3 et 7 monita habentur circa castitatem:* 1° ut fornicatio vitetur, 2° uxor in sanctitate ducatur, 3° alterius uxor a nemine concupiscatur. Ita perfecta habetur evolutio in materia castitatis: cum libera seu meretrice numquam; cum propria in sanctificatione; nec alterius concupiscant.

fratrem suum, hunc tantum considerat Paulus, non exclusis noncredentibus; aut vox *fratris* in largo sensu adhibetur de *proximo*: *πλησίον* (Luc. X, 29 sq.). Melius tamen dicetur Paulum hic considerare tantum communitatem fidelium: " auxit criminationem, ostendens fratrem esse qui iniuria afficitur „ Theod.

Prout notat *Caietanus*: *Tres rationes affert ex parte Dei adversus haec omnia*: *α*) Deus vindex est (6*a*), *β*) vocavit nos ad sanctificationem (7-8*a*), *γ*) dedit nobis Spiritum Sanctum (8*b*).

6*b*. *quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Timor Domini retineat vos ab his malis, Lev. XIX, 14 sq. *et alibi.* Etiam Iesus timorem Dei allegat ut frenum inclinationis ad peccatum, Matt. X, 28, XVIII, 35, Mc. IX, 42; sicut et Paulus, Phil. II, 12 sq., Col. III, 6, Eph. V, 6.

Coniunctio *quoniam* introducit citationem ex V. T. scil. Ps. XCIV (Vg. XCIII) 1: *Deus ultionum Dominus* etc.... Loco autem *ἐκδικήσεων* ut apud LXX, legitur hic vox graecitatis posterioris pro *vindice* = *ἔκδικος*.

Ἔκδικος ergo in 1° sensu: *expers iuris et iustitiae* (sicut lat. *exlex*), *iniustus*; in 2° sensu: *ultor*, *vindex;* ita in Sap. XII, 12, Ecclus. XXX, 6, etiam in papyris, cfr. Milligan. In N. T. praeter locum nostrum, tantum Rom. XIII, 4. - Attice: *ἐκδικητής*, Ps. VIII, 3. - Cfr. *Grimm.*

sicut praediximus vobis. - Hic non ad futurum sed ad praeteritum refertur hoc verbum; idem est ac: *sicut antea iam diximus* seu *docuimus.*

et testificati sumus: διεμαρτυράμεθα, fortius quam simplex *μαρ-*

de his omnibus, sicut praediximus vobis, et testificati sumus. 7. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 8. Itaque qui haec spernit, non hominem spernit,

8. *dedit S. S. in nobis*, melius forte: *dat S. S. in vos...*

τυρόμενοι (II, 12), διά addit sensum obtestationis *per...*, et quidem hic per Deum vel Iesum Christum, ut alibi apud S. Paulum v. gr. I Tim. V, 21; II Tim. II, 14, IV, 1: ἐνώπιον τοῦ θεοῦ καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ.

7. *non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* - Eu ratio quare Deus sit *vindex*: γάρ... Hunc nexum v. 7 cum 6α negat Dobschütz, contra Lünem. Lightfoot et plerosque. Simul est secunda ratio quare ab illis omnibus abstinere debeamus; et quidem modo speciali respicit consideratio ista fideles = *vocatos a Deo*, seu *sanctos*.

Graece: ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ ἀλλ' ἐν ἁγιασμῷ. Differentia praepositionum non est negligenda, sequenti modo possent verti: non vocavit nos Deus *pro* immunditia, (cfr. Gal. V, 13, Eph. II, 10) sed (*ut simus*) *in* sanctificatione (I Cor. VII, 15, Gal. I, 6, V, 13, Eph. IV, 4).

Hic ergo ἁγιασμός (comp. 3 = 7) ponitur contra ἀκαθαρσία, quae certe et exclusive significat: *moralem immunditiam carnis* (cfr. II, 3) in novem textibus S. Pauli: Rom. I, 24, VI, 19, II Cor. XII, 21, Gal. V, 19, Eph. IV, 19, V, 3, Col. III, 5, I Th. II, 3 et IV, 7. - Extra Paulum semel tantum in N. T., et quidem *de immundis rebus*, ergo in sensu materiali, minime morali, *Matt.* XXIII, 27. Haec contra Dobschütz, qui huic voci sensum generalem, fere *iniquitatis*, vult tribuere, ut sub ea etiam *iniustitia* comprehendatur, quam intelligit in v. 6α.

Ex hoc textu manifestum fit in tota nostra pericope (3-6α) de *castitate tantum* agi, non autem de *iustitia*.

8α. *Ergo qui haec spernit, non hominem spernit, sed Deum.* - Hoc concluditur ex vocatione nostra divina ad sanctificationem.

Graece *ergo* dicitur τοιγαροῦν, vox rarissima, hic et Heb. XII, 1, tantum in N. T.; bis in V. T.: Iob. XXII, 10, XXIV, 2; particula cum speciali vi et solemnitate concludentis.

qui spernit: ὁ ἀθετῶν = *contemptor*. Ἀθετέω vox primum apud LXX et Polyb. et quidem frequentissime, non autem apud Atticos recepta; synonyma est cum καταφρονεῖν; et construitur potius cum accusativo rei; - hic vero cum acc. personae sicut Mc. VI, 26. - Notat demum Milligan hoc verbum ἀθετεῖν non minus quam septemdecim verba hebraica originalia apud LXX vertere.

Graece articulus abest ante *hominem*, adest ante *Deum*; unde sensus est: non aliquem hominem spernit, sed ipsum Deum unum atque verum; comp. Gal. I, 10, ubi scribit Bengel exprimendo optime

οὖν ὁ ἀθετῶν οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ ἀλλὰ τὸν θεὸν τὸν διδόντα [1] *τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον εἰς ὑμᾶς. 9. Περὶ δὲ τῆς φιλαδελφίας οὐ χρείαν ἔχετε γράφειν ὑμῖν· αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί*

[1] S *καὶ δόντα*. — N. ed. 2 *τὸν καὶ δ...*

sensum graecum: Dei solius ratio est habenda. - Similitudo verborum innuit hic citationem haberi verbi Domini, quod legitur apud Luc. X, 16; comp. Act. V, 4.

8*b*. *qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* En tertia ratio ad illa peccata impura vitanda, cfr. v. 4; I Cor. III, 16-17: " Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos „; comp. etiam I Cor. VI, 18-20, et infra notam ad V, 11.

Graeca lectio non est certa: Nestle: *τὸν καὶ διδόντα*; sine *καὶ* apud West.-Hort: *τὸν διδόντα*; alii demum ut von Soden: *τὸν καὶ δόντα*, ita in Vg.: *qui etiam dedit.* Haec ultima lectio cum aor. forte nata est ex simili textu II Cor. I, 22, V, 5. - Part. praesens autem explicatur vel de continuo influxu Spiritus in corda nostra, vel ut substantive adhibitum i. e. largitor Spiritus sui sancti (Milligan). - *Καί* cum emphasi convenientissime additur: *qui vocavit... et* qui *insuper* dedit...

Spiritum suum sanctum. - Graece: *τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον*, quod fortius est quam *πνεῦμα ἅγιον* vel *τὸ ἅγιον πνεῦμα*; emphasis scilicet habetur in *sanctitatem* Spiritus, quapropter debemus *in sanctitate* (7) vivere. Haec idea sanctitatis, ut oppositae immunditiae, pervadit totam hanc pericopen (a v. 3 ad v. 8).

in nobis. - Exegetice et critice legitur melius: *εἰς ὑμᾶς* seu *in vos.* Omnia enim consilia praecedentia ad Thessalonicenses diriguntur, ergo etiam hic de ipsis agitur. Accusativum autem cum participio praesenti, optime exprimit continuam missionem Spiritus sancti in nos, atque eius incessantem actionem in corda nostra; Col. IV, 6: " quoniam estis filii, *misit Deus* Spiritum Filii sui *in corda nostra*, clamantem: Abba, Pater.

Unde, concludit *Caietanus, et contra Deum iudicantem, et contra Deum vocantem, et contra Deum habitantem peccat tam fornicutor quam adulter.*

— En schematica divisio huius pericopes.

Post exhortationem generalem (1-2):

Primo tractat de *castitate, triplici* sub forma:

α) fornicatio vitanda (2);

β) matrimonium sanctificandum (4-5);

γ) adulterium vitandum (6*a*).

— Quae sunt observanda *triplicem* ob rationem:

α) quoniam Deus vindex est (6*b*);

β) quoniam Deus nos vocavit (7);

sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis. 9. De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invi-

9. Vg. *habemus;* probabilius: *habetis*, cfr. comm.

γ) quia Spir. habitat in nobis (8).

Secundo tractat de *caritate*:

β) *De caritate in fratres*, 9-10*a*).

9. *De caritate autem fraternitatis.* - Per particulam δέ = *autem* merus transitus ad aliam materiam exprimitur (*Bornem.*); vel oppositio ad praecedentia, in hoc sensu scil.: si de castitate debuimus vos monere, de caritate autem necesse non habetis ut scribatur vobis. - Ex hoc modo loquendi concludit *Frame*, Thessalonicenses consilium a Paulo petiisse circa modum agendi erga inquietos otiosos. An revera consilium istud petitum sit, vel potius abusus irrequietorum a Timotheo relatus sit Apostolo, nescimus. Verba autem haec de caritate, quibus laudantur boni, introducunt praeceptum laborandi, quo otiosi subobscure increpantur. Cfr. v. 10*b*.

Φιλαδελφία cfr. III, 12. - Apud paganos sicut in V. T. dicebatur de amore inter fratres coniunctos sanguine; in N. T. autem (*sexies:* Rom. XII, 10, I Th. IV, 9, Heb. XIII, 1, I Petri I, 22, II P. I, 7 *bis*) de amore inter fratres coniunctos fide Christi, cuius sanguine per baptismum renati sumus ad novam vitam: ut filii Dei nominemur et simus, I Ioh. III, 1; cfr. Rom. VIII, 14-17. - Praecipue hic notandus est textus II Petri, I, 7, ex quo appareat quam spontanee *φιλαδελφία* transeat in *ἀγάπην*, seu amor in fratres... se extendat ad omnes homines: "*ἐν δὲ τῇ εὐσεβείᾳ τὴν φιλαδελφίαν, ἐν δὲ τῇ φιλαδελφίᾳ τὴν ἀγάπην* = in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem i. e. erga omnes„. Cfr. etiam supra III, 12.

non necesse habemus scribere vobis. Attestatio facti, ut statim probabitur v. 10*a*, et merita laus, cfr. IV, 1. - Lectio graeca critice certior et authentica differt a *Vulg.*; loco *habemus*, legendum est: *habetis*; ita: *οὐ χρείαν ἔχετε γράφειν ὑμῖν*; quae lectio continet irregularitatem, nam si legitur inf. act. *γράφειν* se referens ad Paulum ac socios, tunc sec. grammaticam scribendum erat *ἔχομεν: habemus*; cum *ἔχετε: habete* autem grammatica exigebat inf. medium: *γράφεσθαι* ut cap. V, 1. - Lectio irregularis (cuius introductio explicari non posset) fuit correcta in regularem; ideo irregularis forma, prout diximus, critice est certior et authentica. - Vulgata correxit textum irregularem, vel saltem facilem lectionem secuta est, nam etiam quaedam MS. graeca ut B. hanc faciliorem praebent. Cfr. *Dobschütz*, p. 176.

ipsi enim vos: αὐτοὶ γάρ, iam supra II, 1 notavimus in hac epistola saepe (quinquies) cum his verbis phrases incipere propter emphasim.

ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους· 10. καὶ γὰρ ποιεῖτε αὐτὸ εἰς πάντας τοὺς ἀδελφοὺς ἐν ὅλῃ τῇ Μακεδονίᾳ. Παρακαλοῦμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, περισσεύειν μᾶλλον, 11. καὶ φιλοτιμεῖσθαι ἡσυχάζειν καὶ

a Deo didicistis = θεοδίδακτο instructi, docti a Deo. Adiectivum istud praeter hunc locum, tantum occurrit apud auctores ecclesiasticos (*Barn. Ep.*, XXI, 6, Tat. *Orat.*, c. 29, Athenag. *Leg.* § 11, Theoph. *ad Autol.*, II, 9); comp. Ioh. VI, 45: *διδακτοὶ* (*τοῦ*) *θεοῦ*, secundum prophetiam Is. LIV, 13; Matt. XXIII, 8: unus... est magister vester (*διδάσκαλος*) omnes autem vos fratres estis. - Non est allusio ad aliquod logion particulare Iesu, nec ad Eius doctrinam et exemplum de caritate, sed ad formationem seu instructionem constantem fidelium a Deo corda nostra inhabitante; cfr. Ier. XXXI, 33 (LXX, XXXVIII, 34). Unde pulchre scribit *cl. Westcott*: Phrasis haec non designat tantum unam (transeuntem) divinam communicationem, sed divinam (permanentem) relationem. Fideles per totam vitam suam discipuli sunt in schola Dei: *Believers are lifelong pupils in the school of God.* (*S. John*, VI, 45).

Demum notetur utrumque elementum adiectivi compositi *θεοδίδακτοι* specialem vim hic habere; nam *prius* seu *θεο* - opponitur ad Apostolos, quorum speciali doctrina non indigent Thessal., quia, ut dicit *Cai.*: " ab interno doctore docti non egetis externo praeceptore „; *posterius* autem seu - *διδακτοι* plenum sensum habet in sequenti: etenim illud *facitis*.

ut diligatis invicem. - En scopus instructionis Dei: doctrinae divinae vis confluit in amorem (Bengel), sicut divina vita et actio est amor, sicut doctrina evangelica est doctrina amoris manifestati in divino exemplo Salvatoris-Dei morientis pro peccatoribus.

Verbum *ἀγαπᾶν* significat *amore ex aestimatione, vel libera electione*; distinguendum a *φιλεῖν* quod naturale et spontaneum est. *Ἀγαπᾶν*, in Vg. semper *diligere* (excipe II Petri II, 15 *amare*), dicitur in N. T. de amore supernaturali erga Deum, proximum, et ipsos inimicos (Matt. V, 44, Luc. VI, 27). Verbum est frequentissimum in omnibus scriptis N. T. (exceptis Actibus); et dum vox *ἀγάπη* bis tantum legitur in Synopticis, verbum *ἀγαπᾶν* etiam ibi est frequens; atque iure supponitur vocem *ἀγάπην* tam frequentem in caeteris scriptis esse, quia verbum *ἀγαπᾶν* et praeceptum dilectionis tam frequenter secundum Synopticos ex ore Salvatoris auditum est. Cfr. notam ad I, 3.

10. *Etenim* etc.: non solum ergo illud didicistis, *sed etiam illud facitis*, scil. amorem probatis erga fratres; secundum dictum enim Gregorii: *Probatio* dilectionis, exhibitio est operis.

in omnes fratres in universa Macedonia. - Cfr. I, 4, 7 sq. - Si legitur cum *von Soden τοὺς* inter *fratres* et *in universa* etc., tunc evi-

cem. 10. Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos fratres ut abundetis magis, 11. et operam detis ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis,

denter haec verba simul sunt iungenda: sunt fratres Macedones; si vero non legitur articulus ut apud *W-H.*, et *Nestle*, tunc *in Macedonia* melius refertur ad *facitis*: caritatem probatis in universa Macedonia erga fratres.

γ) *De otiositate inquieta* 10*b*-12.

10*b*. *Rogamus autem vos fratres ut abundetis magis:* περισσεύειν *μᾶλλον*, IV, 1, III, 12. Oppositio et connexio cum praecedenti intelligi potest sequenti modo: proficiant in caritate, quapropter vitam ducere debent tranquillam et activam. Quomodo istud cum caritate connectitur! Aliqui respondent: hospitalitate notoria Thessalonicensium aliqui abusi sunt, ex eleemosynis vivendo et nihil agendo (*Thom.*) Sed haec ratio non videtur sufficere. - Melius ergo haec otiositas inquieta in relatione ponitur cum exspectatione imminentis adventus Domini. Certum enim est, v. gr. ex II Th. II, 1, hac exspectatione nonnullos turbatos fuisse, ac mox explicandus versus 15 etiam ostendit, Thessalonicenses hunc diem supposuisse proximum. Quapropter inutile credebant adhuc thesaurizare pro hac terra, ac omnem laborem relinquebant, huc illucque per domos errabant verbis eschatologicis animos aliorum turbantes II Th. III, 11. Erant ergo otiosi qui sub colore devotionis ex eleemosynis divitum vivebant; ita vero erant extraneis in scandalum, ac fratribus suis in onus et dedecus. Ut scribit *S. Ioh. Chrysost.*: "Est enim caritatis in proximos, non ab illis accipere, sed illis praebere „. - Cfr. circa rationem huius otiosae inquietudinis vel inquietae otiositatis, *Lightfoot*: *Notes...*, p. 60; *Dobschütz*, *op. cit.*, p. 182-183.

11. *Et operam detis, ut quieti sitis:* φιλοτιμεῖσθαι ἡσυχάζειν est oxymoron, in verbis apparet oppositio vel paradoxon. - Ἡσυχάζειν enim significat *quiescere, tacere,* hic *vitam quietam agere;* fideles ergo se teneant domi negotiis suis intentos, et non huc illuc discursitent; (huic opponitur, II Th. III, 11: ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes). Alterum verbum autem: φιλοτιμεῖσθαι (Rom. XV, 20, II Cor. V, 9) significat: *ambire honorem, honorem in aliquo ponere...* Ideo Apostoli hortantur Thessalonicenses ut: honorem suum ponant, gloriam suam quaerant, in vita tranquilla et abscondita. (Cfr. *Wetst.*: p. 304[a]). - Videtur tamen verbum φιλοτιμεῖσθαι aliquando perdere sensum *honoris* quaerendi, ac conservare tantum sensum: *quaerendi, appetendi* summo cum conatu, - ita evanescit oxymoron, unde Beza habet: *contendatis quieti esse.* (*Milligan.*).

et ut vestrum negotium agatis: καὶ πράσσειν τὰ ἴδια, facere propria, propriis rebus sint intenti.

et operemini manibus vestris.

πράσσειν τὰ ἴδια καὶ ἐργάζεσθαι ταῖς χερσὶν ὑμῶν, καθὼς ὑμῖν παρηγγείλαμεν, 12. ἵνα περιπατῆτε εὐσχημόνως πρὸς τοὺς ἔξω καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε.

Inde licet concludi, plerosque fideles Thessalonicae operarios ac forte servos et pauperes fuisse. Cfr. ad II, 9.

sicut praecipimus vobis. - Παραγγέλλω vox Lucae praedilecta, in Ev. quater, in Act. undecies; similiter Paulo apud quem duodecies, praecipue in II ep. ad Thess. (quater), et I ad Tim., (ubi quinquies), extra S. Paulum et Lucam bis tantum in Matt., et bis in Marco. - Verbum est auctoritatis, apud auctores classicos praecipue de praeceptis militaribus; cfr. IV, 2, et comm. ad II Th. III, 4.

Comp. II Th. III, 10: " nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus (praecipiebamus) vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet „. Huius activae vitae ipse Paulus dedit exemplum, ut vidimus II, 9; et in II Th. III, 7-8: " non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, et in fatigatione, nocte et die operantes, ne quem gravaremus „.

Ligtfoot hic citat, tamquam vere characteristicum, Lutheri commentarium qui nihil aliud est quam vilis calumnia erga *mendicantes monachos*; hi gyrovagis aequiparantur, et inutiles homines vocantur, onus insuper fidelium et scandalum infidelium. - Ab apostata Luthero non melius exspectatur, sed Ligtfoot habitualiter melius nomini suo ac veritati parcit... Cfr. Estium contra apostatam praecitatum.

S. Hieronymus circa caritatem et otiositatem inquietam Macedonum sequentia scribit: " Haec ex parte usque hodie permanere, non potest dubitare, qui Achaiam viderit. Macedones in caritate laudantur, et hospitalitate et susceptione fratrum... Sed reprehenduntur quod otiosi domos circumeant: et alienum exspectantes cibum, dum singulis placere desiderant et huc illucque discurrant; quid apud singulos agatur, enuntient. „ (*ad Gal.* cap. II, Lib. II, prologus). Per transennam: otiositas ergo gignit vanam curiositatem...

Ita ergo operantes primo vitam ducent honorabilem ad extraneos, secundo nullius indigebunt auxilio; seu extraneis non erunt in scandalum, et fratribus non in onus.

12. *Et ut honeste ambuletis.* - *Et* abundat; non commendatur enim aliquid differens a vita quieta et industriosa, sed operis tranquilli indicatur finis vel effectus.

Εὐσχημόνως, Vg. *honeste, cum decore, honorabile*, Rom. XIII, 13, I Cor. XIV, 40. - Pro *ambulare* de modo speciali vivendi vel Deum colendi cfr. II, 12.

Ad eos qui foris sunt: πρὸς τοὺς ἔξω (Mc. IV, 11: Luc. VIII, 10; I Cor. V, 12, 13, II Cor. IV, 16, Col. IV, 5; I Tim. III, 7: οἱ ἔξωθεν ut apud Fl. Ioseph. *Antiq.*, XV, 9, 2), correspondet expressioni hebraicae

et operemini manibus vestris, sicut praecepimus vobis: 12. et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt: et nullius aliquid desideretis.

12. Primum *et* abundat. Vg.: *et nullius al. etc...*, melius: *et nullius indigeatis.*

paganos designanti: *hachizonim.* Apud S. Paulum designat omnes, qui fidem christianam non amplexi sunt: sive Gentiles sint sive Iudaei; huic opponitur expressio: *οἱ ἔσω* (I Cor. IV, 12). Cfr. *I. Weiss:* Der erste Korintherbrief (1910), p. 144. Hi ergo extranei curiosi simul et invidi observabant fideles, quorum etiam minimus defectus illis causa erat pharisaici scandali et obiectum calumniae. Quod bene notat S. Ioh. Chrys.: "si ii qui sunt apud nos, his offenduntur (vita otiosa ex eleemosynis) multo magis externi, invenientes mille accusandi et reprehendendi ansas, quando vident hominem sanum, et qui sibi potest sufficere, mendicare et aliis opus habere. Et ideo nos appellant *Χριστεμπόρους*, hoc est *Christi-mercatores...* „. Secundum principium suum: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos (I Cor. IX, 22), semper S. Paulus oculum habet apertum versus extraneos, ne male possent iudicare Evangelium propter defectus fidelium, sic v. gr. I Tim. III, 7; eamdem ob rationem tum pro se, tum pro aliis indulgebat quandoque observantiis legalibus Iudaeorum ut Iudaeos Christo lucrifaceret; cfr. I Petri, II, 12.

et nullius aliquid desideretis, καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε = et nullius indigeatis. - Sive *μηδενός* sit genit. neutrum seu rei, sive mascul. seu personae, ad idem redit sensus; dicitur enim in utroque casu *de auxilio* seu *eleemosynis.* In N. T. autem adhibetur nunc cum gen. rei tunc cum gen. personae (sic apud Matt. VI, 8, XXI, 3, gen. rei, sed IX, 12, XXVI, 65 gen. personae, idem apud Mc. et alibi). - Laborantes ergo independentes erunt ut Apostolus, qui de hac sua sufficientia (Vg.) seu melius independentia gloriatur (*αὐτάρκεια* II Cor. IX, 8, I Tim. VI, 6 *αὐτάρκης* Phil. IV, 11).

Huic dependentiae ab aliis, propter pigritiam, opponatur istud S. Pauli *ad Rom.* XIII, 8: "*Nemini quidquam debeatis: nisi ut invicem diligatis* (*εἰ μὴ τὸ ἀλλήλους ἀγαπᾶν*): *qui enim diligit proximum, legem implevit!* „.

II. - *Doctrina de secundo adventu Domini.*

α. De mortuis ante adventum Domini, IV, 13-18.

Post haec monita *moralia* respicientia communitatis membra, solvuntur duae quaestiones *dogmaticae*: IV, 13-18; V, 1-11. - Prior, de fidelibus qui ante Domini adventum mortui sunt, IV, 13-18. - Posterior,

13. *Οὐ θέλομεν δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, περὶ τῶν κοιμωμένων, ἵνα μὴ λυπῆσθε καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλ-*

de tempore huius adventus, V, 1-11. - His quaestionibus dogmaticis solutis, iterum *moralia* monita dantur pro tota communitate. Prout bene notat *Dobschütz,* dogmatica problemata ideo ethicis includuntur, si ita loqui fas est.

Hae duae sectiones dogmaticae, modo omnino parallelo evolvuntur: utraque incipit cum *themate,* seu propositione obiecti tractandi (IV, 13 = V, 1), cuius sequitur explanatio vel *probatio* (IV, 14-17 = V, 2-10); et utraque similiter practica *exhortatione* concluditur (IV, 18 = V, 11).

Hae sectiones considerandae sunt ut responsa quaestionibus vel difficultatibus Thessalonicensium, de quibus Paulus certior factus est per reversum Timotheum. - Cum cap. II alterius ep. ad Thessal. constituunt doctrinam characteristicam seu, eschatologicam harum epistolarum.

— Innumera sunt studia moderna circa doctrinam eschatologicam S. Pauli, et inter omnes textus, hanc doctrinam respicientes, praecipue haec pericope est notanda. - Cfr. enumerata studia moderna auctorum heterodoxorum apud v. *Dobschütz*, p. 183. - Catholicos auctores modernos citabimus in appendice.

Quantum ad Patres, praeter commentatores quos semper citamus, (cfr. introd., p. 43 sq.), notandi sunt sequentes: *S. Augustinus*, Serm. 172 et 173 (circa haec verba Apostoli) M. P. L. 38, p. 935-939; - eadem verba citantur ab Hipponensi in *De civ. Dei*, XX, 20 (P. L. 41); - *S. Iohannes Chrysost.*, M. P. G., 48, p. 1017-1026; - duo sermones latini *de consolatione mortis*, vol. 54, p. 293-306; et *pseudo-Chrysost.*, vol. 60, 723-730. Etiam ut Epistola cantatur pericope haec, ad consolationem fidelium, in Missa *de Requiem.*

— *De dormientibus ante Domini adventum* nolite turbari, ac si non futuri essent participes felicitati gloriosae parousiae Christi (v. 13). Resurgent enim, sicut et Christus resurrexit (14). Viventes autem mortuos non praevenient (15), sed mortui, veniente Domino, prius resurgent (16), deinde viventes simul cum illis rapientur obviam Christo, et sic semper cum Domino erimus (17). - Haec ergo sit consolatio vestra! (18).

Thema.

13. *Nolumus autem vos ignorare, fratres.* - Sexies apud S. Paulum similis litotes adhibetur ad introducendam rem discussam et gravem, ad quam instanter vult ut omnium convertantur animi; Rom. I, 13, XI, 25; I Cor. X, 1, XII, 1; II Cor. I, 8: saepe cum particula *γάρ* = *enim*, quo sequens pericope connectitur sive cum praecedenti, sive cum quadam supposita quaestione; particula *δέ* = *autem,* non tam oppositionem quam consecutionem includit, evolutionem scil. praecedentium sub alio respectu.

In plerisque epistolis papyraceis,

13. Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut et caeteri, qui spem non habent.

post salutationem et verbulum de bona salute scribentis et destinatorum, habetur similis expressio ad introducendam materiam epistolae: *Γινώσκειν σέ θέλω = scire te volo,* comp. Phil. I, 12; vel *θέλω δὲ(γὰρ) ὑμᾶς εἰδέναι,* I Cor. XI, 3, Col. II, 1. - Cfr. *A. Robinson*, op. cit., p. 282-283.

— Quomodo ergo haec quaestio de mortuis ante Christi adventum cum praecedenti monito de vita quieta et activa connectitur? Hoc monitum datum est fratribus irrequietis et pigris, qui omnem laborem dereliquerant, ac sermonibus suis eschatologicis animos perturbabant, supposita imminente parousia Domini (cfr. II Th. II, 1). Prout scribit *Lightfoot*: " Anticipatio ergo adventus Christi, est annulus connectens praesens subiectum cum praecedenti „. - Non agebatur ideo in praec. de *pigritia vulgari* apud illos tam laudatos Thessalonicenses, sed de quodam excessu spiritualis quietismi. Nam sicut Paulus hic ab illa otiositate transit ad parousiae quaestionem; ita et mox a parousia transibit ad *inordinatos* seu *irrequietos*, cap. V, *v.* 15. - Cfr. *Dobschütz*, p. 182-183: *Die Unordnung in der Gemeinde.*

de dormientibus: *περὶ τῶν κοιμωμένων.* Hoc *part. praesens* legunt West.-Hort, Nestle, von Soden cum *Sin.* et *Vat.*, ita etiam in Vulgata. Lightfoot bene probat hanc lectionem esse probabiliorem, utpote etiam ideam futurae resurrectionis seu evigilationis includens post praesentem dormitionem; quae idea non includeretur in praeterito: *qui dormierunt.* - Altera autem lectio cum part. perfecto: *κεκοιμημένων*, forte derivatur ex locis analogis: Matth. XXVII, 52, I Cor. XV, 20, ubi pro *defunctis* praecise part. perfectum adhibetur.

Iamvero semper supposuerunt exegetae imaginem hanc *dormitionis* pro *morte*, fuisse inspiratam dogmate resurrectionis, ita *S. Augustinus* Sermo 172, cap. I: " Ideo et dormientes eos appellat scripturae veracissima consuetudo, ut cum dormientes audimus, evigilaturos minime desperemus „. - Ac per transennam sit dictum, ab eadem imagine derivari vocem: *coemeterii* i. e. dormitorii, pro loco christianae sepulturae. - Cfr. S. Ioh. Chrysost.: *In coemeterii appellationem*; M. P. G., 49, col. 393 sq.

Non tamen nimis premenda videtur haec consideratio, ut bene notat et probat *Milligan* h. l. - Nam in N. T. est quidem frequens haec locutio; praeter epistolas ad Thess. cfr. Matth. XXVII, 52; Ioh. XI, 11; Act. VII, 60, XIII, 36, I Cor. VII, 39, XI, 30, XV, 6, 18, 20, 51 (*graece*), II Petri, III, 4; sed etiam iam occurrit frequenter in V. T.: Is. XIV, 8, XLIII, 17, III Reg. II, 10, XI, 43, II Macch. XII, 45; et apud ipsos poetas paganos: *Hom.* Il. XI, 240, *Soph.* El. 509. - Cfr. *Grimm*, *Dobschütz*, p. 186, nota 4.

Gratis affirmat Dobschütz, secun-

πίδα. 14. *εἰ γὰρ πιστεύομεν ὅτι Ἰησοῦς ἀπέθανεν καὶ ἀνέστη, οὕτως καὶ ὁ θεὸς τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ ἄξει σὺν αὐτῷ.*

dum ideas apocalypticas apocryphorum, *dormire* sese ad totum hominem, i. e. ad corpus et animam extendere; et animas defunctorum ideo intelligendas esse inclusas in cellulis Sheol, ubi expectant evigilationem = resurrectionem in glorificato corpore. Hic status intermedius vocaretur *dormitio*.

Sed non solum est gratuita haec affirmatio, sed aperte contradicit II Cor. V, 6-8, unde apparet *peregrinari a corpore* (seu *mortuum esse*) equivalere huic: *praesentes esse ad Dominum*. Cfr. Phil. I, 23-24. *Magnien* R. B., 1907, p. 358-359.

ut non contristemini. - Verba haec sunt absoluta, non excluditur tamen moderatus dolor. S. Paulus hoc supponit, ac lector intelligens supplet; ita Paulus ipse de se scribit ad Phil. II, 27: *ne tristitiam super tristitiam haberem* - ob mortem eventualem Epaphroditi. Ideo Theodoretus: " Non prohibet omnino dolorem, sed expellit *immoderationem, et spe resurrectionis consolatur*. Qui enim hanc non habent, excusationem habent immoderati doloris „.

Rationes lugendi super mortuos *Doctor Angelicus* pulcherrime exponit (eo melius aliquis cor humanum intelligit quo propior est cordi Dei!..): " Quod enim aliquis tristetur, scil. de mortuis, habet pietatem. Primo, propter defectum corporis deficientis. Debemus enim eos diligere, et corpus... Secundo propter discessum et separationem, quae dolorosa est amicis... Tertio quia per mortem fit commemoratio peccati... Quarto quia fit commemoratio mortis nostrae .. Sic ergo tristandum, sed moderate „. (ad. h. l.).

" Permittantur itaque pia corda de carorum suorum mortibus contristari dolore sanabili, et consolabiles lacrymas fundant conditione mortali; quas cito reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles, quando moriuntur, paululum a nobis abire, et ad meliora transire. „ (*S. Aug.*, l. c.).

sicut et caeteri, *καθὼς καὶ οἱ λοιποί*. - Cfr. supra comm. ad v. 12: *οἱ ἔξω*. Sicut ibi, hic illi designantur qui non sunt e numero credentium, seu melius: *pagani*, qui spem non habent resurrectionis. Comp. v. 5, V, 6; Eph. II, 3; Luc. VIII, 10 = Mc. IV, 11; Luc. XVIII, 9, 11. Etiam Sadducaei negabant resurrectionem (*Ios.* Antiq. XIII, 1, 4, *Bell. Iud.*, II, 8, 14); sed hic non considerantur *Iudaei*, qui caeteroquin ex revelatione spem resurrectionis habebant, prout tenebant Pharisaei, saltem pro iustis, sed considerantur *pagani*. - Cfr. *Magnien*, l. c., p. 350.

qui spem non habent. - Oppositio inter desperationem paganorum et triumphalem spem Christianorum nullibi clarius refulget quam in inscriptionibus sepulcralibus. Saepe iam haec oppositio notata est, v. gr. in Via Appia publica et subterranea. Ex una parte, luctus desperationis,

14. Si enim credimus quod Iesus mortuus est, et resurrexit: ita et Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.

14. Vg. *quia nos, qui vivimus* etc. Ambrost. *quia nos viventes subrelicti in adv. D.* item in v. 17.

cuius effectus augetur per vanam pompam exterioris splendoris... Ex altera parte exultans hymnus spei eloquentius clamans ex male scriptis et humilibus memoriis inter has tenebrosas cavernas subterraneas... Haec est melior illustratio quam quaevis citationes, quae ex litteris paganis afferri possent. - Lightfoot, p. 63.

Ex inscriptionibus *christianis* sequentes notentur, secundum Scaglia: *1 " novissimi „ nei monumenti primitivi della Chiesa:*

Vivas in Deo. - Vivas in Domino, - in Spiritu Sancto, - in pace, - in aeternum (p. 12). - Semper in Deo vivas dulcis anima. - *Μνησθης Ιησους ο κυριος τεκνον* (memento Iesu Domine, pueri), p. 14. - *Φηλεικλα ειρηνη σοι εν Κῶ* (Pheliclea pax tibi in Domino), p. 19, etc. - Cfr. eiusdem auctoris praecl. opus: *Notiones archaeologicae christ. disciplinis theol. coordinatae*, vol. II, parte 1, p. 93 sq.; et parte 2, p. 3 et sq.

— Huic sublimi spei opponantur scriptores *pagani*:

Citatur v. gr. *Catullus*, V, 4 sq.

Soles occidere et redire possunt
Nobis, cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Lucretius, III, 942 sq.

Nec quisquam expergitus exstat,
Frigida quem semel est vitae pausa secuta.

In textibus graecis vivide exprimitur desperatio mortuorum, vel de mortuis, et spei resurrectionis absentia: Aesch. *Eum.* 618 *ἅπαξ θανόντος, οὔτις ἐστ' ἀνάστασις*, Theocr. *Idyll.*, IV, 42 *ἐλπιδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.*

Huius desperationis Paulus rationem non affert, sed invenienda est in paganorum ignorantia de revelatione (Eph. II, 12), per oppositionem scilicet ad fideles ex fide haurientes spem aeternam. - Spes ideo nostra est in Deo; et spes quidem resurrectionis, vel melius - secundum ideam generalem totius epistolae - spes nostri occursus obviam Christo ac ingressus nostri cum eo in gloriam, haec spes nostra nititur morte et resurrectione Christi, prout egregie exprimit *Manzoni:*

Nel Signor chi si confida
Col Signor risorgerà!

Probatio.

14. *Si enim credimus quod Iesus mortuus est et resurrexit.* - Conditionali utitur Apostolus, cuius antecedens tamquam notorium constat, ut indubitatum reddat consequens. *Cai.* - Ideo, prout notat Estius: " Coniunctio *si* non dubitantis est, sed praesupponentis; adfert enim, quod dicit, pro firmissimo fundamento cer-

15. *Τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγομεν ἐν λόγῳ κυρίου, ὅτι ἡμεῖς οἱ ζῶν-*

tissimoque argumento eius, quod sequitur „.

Iesus mortuus est: ἀπέθανεν. De Iesu ergo verbum *moriendi* adhibetur, dum vero fideles dicuntur: *dormire;* ac si Paulus significare vellet morte, morte vera Christi, mortem discipulorum factam esse somnum ex quo surrecturi sunt; ita *S. Ioh. Chrysost.*: In coem. appel. l. cit.

et resurrexit: *καὶ ἀνέστη.* - Hic tantum, v. 16 et figurate Eph. V, 14, adhibetur verbum *ἀνίστημι* pro *surgere e mortuis*; substantivum autem inde derivatum, *ἀνάστασις*, undecies (ep. ad Heb. inclusa, ubi ter). Alibi semper usurpatur, in hunc sensum, verbum *ἐγείρω*, ter et vicies scil.; in N. T. semel substantivum derivatum *ἔγερσις* scil. Matt. XXVII, 53.

ita et Deus... adducet etc. - Apodosis correspondens praecedenti protasi debuisset ita sonare: ita et *credere* oportet etc....; sed ad augendam vim et certitudinem doctrinae, exprimitur ut factum, istud dogma credendum.

Ὁ θεός cum art. scil. *verus* Deus, ille qui suscitavit Iesum, cfr. I Cor. VI, 14, II Cor. IV, 14, et supra v. 5.

eos qui dormierunt per Iesum: ergo Deus, qui suscitavit Iesum, etiam illos suscitabit, qui in fide Iesu dormiunt. Fide unum corpus efficiunt fideles cum Iesu; inde *unitas sortis, unitas resurrectionis a Deo.*

Verba *per Iesum*: *διὰ τοῦ Ἰησοῦ* non sunt ideo connectenda cum sequentibus, sed cum praecedentibus, uti v. 16, I Cor. XV, 18.

Connexio cum seq. est quidem possibilis, ut commentatores Graeci fatentur post Ioh. Chrys., sed est dura: *per Iesum adducet cum eo = Iesu;* insuper manifeste contradicit parallelismo:

> Mortuus Iesus resurrexit
> Mortui per Iesum resurgent
> Cum *Iesu, mortui* erunt in gloria.

Ita plerique: Estius, Bengel, Lightf, Millig., Knabent., Dobschütz, Frame. Contra paucos modernos inter quos, Bornem., Wohlenb., Magnien. PP. autem graeci utramque proponunt lectionem.

adducet cum eo: i. e. Deus dormientes suscitatos adducet, sicut vivos, cum Iesu in gloriam, in eamdem hereditatem, Rom. VIII, 17. Explicantur haec verba in v. 16-17. - Hic iam habetur concisa affirmatio: 1) resurrectionis dormientium, 2) paritatis sortis omnium. - Cfr. I Cor. XV, 20 sq. " Christus resurrexit primitiae dormientium... ita in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine, primitiae Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu eius crediderunt „. - Cfr. S. Th. ad h. l. et III, q. LVI, art. 1.

Resurrectio nostra ergo nititur morte et resurrectione Christi. Ita apud S. Paulum frequenter, ac praecipue in I Cor. XV.

Hoc argumentum paulinum pro nostra resurrectione sequenti modo concipiendum est: Mors hominis est sequela peccati, sec. theologiam V. T., inde etiam sequitur absoluta universalitas mortis secundum eas-

15. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui

dem ideas revelatas V. T. Iamvero morte sua Salvator peccatum vicit, ergo et mortem. Primitiae dormientium ideo est suscitatus Christus, et ita nos etiam a morte surgemus, sicut iam surreximus a peccato per Christum, cui sit honor et gloria in saecula! " Qui caput resuscitavit, etiam caetera membra suscitaturum se promisit „. Pelagius - Circa hanc S. Pauli doctrinam de resurrectione, cfr. *La Ciencia Tomista*, 1917, p. 33 sq.

15. *Hoc enim dicimus in verbo Domini: ἐν λόγῳ Κυρίου.* - Invocatne S. Paulus testimonium Domini expressum in aliquo verbo *scripto* (v. gr.: Matt. XXIV, 31 sq. et l. par.; XVI, 27, Ioh. VI, 39 sq.), vel *tradito*, non-scripto, agrapho, uti aiunt, prout Act. XX, 35? Hoc ultimum tenent plerique moderni.

Utrumque iam Patres supposuerunt, sed neutrum probari potest, quia pro agrapho non habetur positivum argumentum, nec cum ullo verbo scripto sufficiens similitudo. - Unde alii recurrunt ad revelationes personales S. Pauli (I Cor. II, 10, II Cor. XII, 1 sq. Gal. I, 12, II, 2). Probabilius vero invocat Paulus charisma apostolatus: quo misericordiam Christi consecutus est ut sit fidelis; cfr. I Cor. VII, 10, 12, 25. Unde *Chrysost.*: *in verbo Domini*, hoc est, non a nobis ipsis, sed a Christo edocti dicimus; et optime *Ambrost.*: *Sensu Domini* loqui se profitetur...

Invocatio expressa *verbi Domini* adiungit apostolico verbo divinam auctoritatem in re tam gravi, tamque difficili; I Cor. VII, 10.

quia nos, qui vivimus, qui residui sumus... ὅτι ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ Κυρίου = quia nos viventes, subrelicti (Ambrosiast.) *in adventum Domini.* Idem repetitur v. 17. Hi viventes superstites tempore parousiae, opponuntur dormientibus fratribus.

Usus primae pers. plur. est mirus, et verba haec sola spectata ingererent suspicionem Paulum *se suosque coaetaneos* adnumerare inter testes *imminentis adventus* Domini...

Attamen talis conclusio contradicit explicitae affirmationi Apostoli in cap. sequenti: " *quia dies Domini, sicut fur in nocte,* (ergo *insciis hominibus*), *ita veniet* „ (c. V, 2); ac praecipue contradicit doctrinae essentiali alterius epistolae de *signis praeambulis* parousiae (cap. II).

Haec doctrina caeteroquin de ignorantia diei Domini est explicita, pluries repetita doctrina Iesu Christi (Mc. XIII, 32-33, Act. I, 6-7), cui non solum Apostolus remanet modeste fidelis, sed quam habitualiter *verbotenus* citat, hic et in posteriori epistola. - Atque affirmatio vel etiam suppositio *imminentis* reditus Domini fuisset et contra expressam doctrinam Christi, et contra veritatem obiectivam factorum. Talis vero infidelitas, talis error non congruit cum dogmate christiano missionis apostolicae et inspirationis biblicae. (Cfr. appendicem I).

Verba explicanda, obiective nunc

τες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου οὐ μὴ φθά-

considerata, certe non sunt *explicita* affirmatio imminentis adventus Domini; neque, ob supradictas rationes, *supponunt* apud Apostolum erroneam opinionem. Apostolus nescivit... *prout Dominus voluit et prout Ipse nescivit,* i. e. non missus est ad nobis revelandum.

Quomodo ergo explicandus est ille usus 1ae pers. plur.? - Omnes omnino Patres tum graeci tum latini invocant figuram rhetoricae, quam vocant: *enallagen personarum.*

S. Ioh. Chrysost.: Illud autem *Nos* non de seipso dicit: non enim erat mansurus usque ad resurrectionem, sed dicit *fideles.*

Theodoretus: Illud enim, *nos qui vivimus,* non de sua ipsius persona posuit, sed de iis qui erunt illo tempore superstites.

S. Augustinus: Illorum, quos hic viventes inventurus est Christus, quorum personam in se atque illos, qui tunc vivebant, transfigurabat Apostolus. (*De civ. Dei*, XX, 20).

S. Thomas, subtilis commentator super omnes, praeveniens difficultatem, ac connexionem prioris epist. ad Thess. cum altera indicans, egregie notat: *Nos qui vivimus.* Ex quo videtur non intelligentibus (*sic!!*) quod Apostolus hic dicat, quod adhuc Apostolo vivente hoc fieret, et hoc etiam Thessalonicensibus videbatur. Et ideo scribit eis aliam epistolam, in qua dicit: *Non moveamini a vestro sensu.* Sed non loquitur ex persona sua, et tunc existentium, sed eorum qui tunc vivi reperientur. - Eodem modo optimus Estius. (Cfr. appendicem I).

Ergo omnem errorem ex scriptis S. Pauli excludunt Patres et Doctores relate ad tempus Parousiae. - Quae explicatio "*ab ipsis quoque novatoribus saeculi XVI retenta*„ est. Grotius vero inter eos primus admisit errorem apud Apostolum "Paulus omnino putavit fieri posse ut ipse viveret iudicii generalis tempore... etc.... *Κοινωσις* (seu *enallage personae*) hic locum habere non potest„. - Ita omnes exegetae protestantes moderni, qui errorem ad Ipsum Dominum extendunt. - Nec inerrantia Apostoli, nec divinitate Magistri praeoccupantur!

Haec interpretatio, *inerrantiam Pauli salvans*, iure vocatur a *Com. Bibl.* "in scholis catholicis traditionalis„. Attamen inde a medio saeculo xix multi exegetae catholici eam dereliquerunt, prout videbimus in appendice prima.

— Rationem vero quare Paulus hac forma primae pers. plur. usus sit, non quaesierunt S. Patres. Plures auctores cathotici hodierni (Schäfer, Cornely, Gutiahr...) optimam indicant: Thessalonicenses dividebant discipulos credentes in duplicem categoriam; distinguebant scilicet inter iam mortuos (defraudatos, uti putabant, spectaculo et benedictione gloriosae parousiae) et nos viventes... feliciores.

Ergo, non absque ratione, nec mera aut vana figura rhetoricae, Apostolus hac forma plurali *nos*

vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeve-

usus est, sed propter opinionem erroneam Thessalonicensium, quam ipse corrigere vult *docendo paritatem inter hanc duplicem categoriam*... Utitur Paulus modo loquendi eorum distinguentium 1) *inter iam mortuos*, 2) *et nos viventes*, uti dicebant, *in adventum imminentem Domini*. "Nos viventes utique felices testes erimus gloriosae parousiae Messiae, sed mortui... erunt ergo fraudati benedictione plena et finali regni messianici „. - Hanc ideam corrigit Apostolus, *paritatem* docendo tempore parousiae *inter mortuos et vivos relictos;* - nullo verbo dicto de imminentia vel non imminentia huius secundi adventus. Mox repetet verba Magistri de ignorantia huius diei, quae supponit bene nota: *Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet* (V, 2). - Utitur ergo verbis Thessalonicensium distinguentium inter *mortuos et nos viventes relictos in parousiam Domini*. Haec verba, prout iacent, Apostolo erant imposita hypothesi ipsa, quam impugnabat: paritas enim, quam docet, supponit categoriam illam duplicem; - sed subiacentem errorem de proximitate parousiae praetermittit, alio errore, causa tristitiae, occupatus, prout vidimus.

Ex hoc modo autem loquendi aliqui turbulenti inter Thessal. novum argumentum desumpserunt pro imminentia. Huic errori *ex professo* respondet in *altera epistola* ostendendo, *signa praecursoria parousiae*, praedicta a Iesu, nondum videri. En ratio alterius epistolae, prout optime et primus iam notavit S. Hieronymus, et connexio eiusdem epistolae cum priori. (Cfr appendicem primam).

Paucis verbis: Secundum expressam doctrinam Domini, incertum habens diem Domini, ac nihil circa hanc quaestionem docere intendens, loquitur Paulus in hypothesi Thessalonicensium: duplici categoria inter fideles *iam mortuos* et *nunc viventes* facta, ut doceat inter utramque tempore Parousiae perfectam paritatem. - Quando autem expresse de momento Parousiae loquitur, simpliciter repetet verba Christi: *sicut fur in morte ita veniet* (cap. V, 2).

non praeveniemus eos, qui dormierunt: οὐ μή. Duplex negatio graece non destruit sed auget negationem: *certe non...*; cfr. V, 3, I Cor. VIII, 13, Gal. V, 16. - Verbum φθάνειν hoc loco habet suum primitivum sensum *praeveniendi* in tempore, cfr. supra II, 16.

En ergo PUNCTUM FORMALE totius huius pericopes de mortuis ante adventum Domini. Timebant enim ac lugebant Thessalonicenses ob sortem fratrum suorum defunctorum, qui quidem fidem receperant et baptisma in Christo; atque ita primis beneficiis messianicis participes fuerant, non autem visuri essent consummationem huius Regni messianici in glorioso adventu Domini. Mox venturus erat Messias, atque Eum viderent quidem vivi relicti; - sed quid

σωμεν τοὺς κοιμηθέντας· 16. ὅτι αὐτὸς ὁ κύριος ἐν κελεύσματι, ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου καὶ ἐν σάλπιγγι θεοῦ, καταβήσεται ἀπ' οὐ-

de fratribus defunctis? Erantne in peiori conditione quam superstites?... Hoc timebant Thessalonicenses. Quam falsam ideam corrigit Apostolus: " *non praeveniemus eos qui dormierunt* „. PARITAS SORTIS ergo vivorum et mortuorum, seu potius OMNIUM CHRISTIFIDELIUM IN PAROUSIA CHRISTI est punctum formale huius pericopes. Statim probabit hanc suam affirmationem describendo processum adventus Domini et resurrectionis mortuorum raptusque simultanei omnium coram Christo in gloriam (16-17). Ita etiam R. P. B. *Allo*, R. B., 1915, p. 435: " La question (de l'imminence ou non-imminence de la consommation) était étrangère au débat et l'attention de Paul ne s'est pas portée sur elle, absorbée qu'elle était tout entière par celle de *la parité des morts et des vivants en face du jugement du Christ* „.

De sorte iam-mortuorum etiam inquiritur IV Esd. V, 41 sq.: Et dixi: Sed ecce, Domine, tu prope es his qui in finem sunt; et quid facient qui ante me fuerunt, aut nos, aut hi qui post nos? Et dixit ad me: Coronae assimilabo iudicium meum Sicut non novissimorum tarditas, sic nec priorum velocitas, etc.

Secundum ideas apocalypticas Iudaeorum revera quaedam felicitas specialis promittebatur his, qui permansuri erant usque ad adventum Domini, *Ps. Salom. XVII, 50*, et praecipue *IV Esd. XIII, 24:* Scito ergo quoniam magis beatificati sunt qui derelicti, super eos qui mortui sunt. Item in eodem libro, VII, 28 sq.

Atque haec quaestio videtur etiam postea turbasse christifideles; *Clem. Recognit* I, 52. " Si Christi regno fruentur hi, quos iustos invenerit eius adventus, ergo qui ante adventum eius defuncti sunt, regno penitus carebunt? „ (P. G. I, col. 1236).

16. *Quoniam: ὅτι.* - Secundum plerosque exegetas particula explicativa huius: *non praeveniemus eos qui dormierunt.* Ergo, quod in v. 15 generali affirmatione fuit positum, nunc in particulari evolvitur expositis diversis momentis parousiae. Ideo haec particula *ὅτι* non est referenda ad nimis distans: *λέγομεν*, v. 15, sicut in eodem v. 15: *ὅτι ἡμεῖς* etc.... contra *Lemonnyer*, et paucos alios; cfr. *Magnien*, l. cit., p. 369.

ipse Dominus: αὐτὸς ὁ κύριος, solemnis affirmatio praefixo cum emphasi pronomine demonstrativo. *Dominus*, ut habitualiter apud S. Paulum, designat *Iesum*, cfr. infra. - Ergo Ipse gloriosus Messias:

descendet de coelo. - Verbum *καταβαίνειν* etiam alibi pro adventu Domini adhibetur; Apoc. III, 12, XXI, 2, 10: nova, sancta Ierusalem descendens de coelo. - Mich. I, 3. - Notandus numerus singularis *de coelo*, comp. I, 10.

Prout ergo Christus ascendit visibilis, contemplantibus Apostolis, ita et descendet visibilis gloria re-

niemus eos, qui dormierunt. 16. Quoniam ipse Dominus in iussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo:

16. *resurgent primi*, leg. *primo*.

fulgens, prout Angeli Apostolis, postquam Iesus ascenderat, promiserunt, dicentes: " Viri Galilaei quid statis adspicientes in coelum? hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum „. Act. I, 11. - *Estius: descendet.* ... in sua persona atque in suo corpore, cum quo ascendit in coelum. Cfr. *S. Thomam* III[a], q. LVII, art. VI ad 3. - Sicut ergo Dominus Iesus venit visibilis pro *inaugurando* regno messianico, scil. in *Incarnatione;* ita et in *Parousia* visibilis venturus est pro opere suo *perficiendo;* sed ibi humilis et passurus, hic gloriosus et in aeternum a redemptis glorificandus... Ipsi omnis gloria in coelo et in terra!...

in iussu: ἐν κελεύσματι. - Praepositio *in* nec causam (*S. Thomas* in comm.) nec tempus parousiae indicat, sed comitantia phaenomena, ita *Knab.*: " *ἐν* explicat sub quibus conditionibus ac phaenomenis comitantibus Dominus de coelo descensurus sit „.

Κελεύσμα hap. leg. in N. T.; in V. T. etiam semel tantum Prov. XXX, 27. Haec vox designat *iussum*, speciatim *clamorem excitatorium*, vel quo animalia excitantur instiganturque ab hominibus, ut equi ab aurigis, canes a venatoribus, vel quo signum datur hominibus, velut remigibus a gubernatore navis, militibus a duce; et in hoc sensu classico hic: *clamor exitatorius* ad dormientes-mortuos suscitandos. (Cfr. *Grimm.*). In parabola eschatologica decem virginum clamor excitatorius hic est: Ecce sponsus! Exite obviam ei! *Matth.* XXV, 6.

Quis proferet mandatum hoc, seu ad quodnam subiectum referendum est *in iussu?* Probabilius ad *Dominum*, subiectum et actorem principalem in tota hac descriptione. Ioh. V, 28 " venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, *audient vocem Filii Dei* „.

Absque articulo legitur *ἐν κελεύσματι*, quapropter sequentia intelligenda sunt non ut realiter distincta a mandato, sed ut eius manifestatio vel explicatio. Mandatum hoc Domini scil. nuntiabitur: voce *Archangeli et tuba Dei.* Caeteroquin unicuique evidens debet esse, haec omnia figurate esse dicta, descriptionemque totam coloratam esse terminologia eschatologica Iudaeorum, et praecipue sermonis eschatologici Iesu, Matth. XXIV, 30-31. Ita iam absque ulla haesitatione S. Thomas in *Supplem.* q. LXXVI, art. 2: " Secundum hoc (testimonium *Gregorii*) *ipsa apparitio* Filii Dei *vox* eius dicitur, quia ei apparenti obediet tota natura ad corporum humanorum reparationem, sicut imperanti... Et sic eius apparitio, inquantum habet vim cuiusdam *imperii*

ρανοῦ, καὶ οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ ἀναστήσονται πρῶτον, 17. *ἔπειτα ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι ἅμα σὺν αὐτοῖς ἁρπαγησόμεθα ἐν νεφέλαις εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου εἰς ἀέρα· καὶ οὕτως πάν-*

vox eius dicitur: et haec vox, quaecumque sit, quandoque dicitur *clamor*... quandoque autem dicitur *sonus tubae* „.

in voce Archangeli. - Angeli ubique elementum essentiale sunt in descriptionibus eschatologicis, cfr. supra III, 13. - Haec verba, ut diximus, tamquam determinativa vel explicativa huius " *in iussu* „ sunt sumenda.

Vox *ἀρχαγγέλου* hic tantùm, et *Iud.* 9 ubi de Michaële, quapropter et hic Michaëlem subaudiunt; cfr. Dan. X, 13, 21, XII, 1. Apoc. XII, 7. - Item in apocryphis, cfr. *J. B. Frey*: L'angélologie juive au temps de J. Ch. - *Revue des sc. phil. et théol.*, 1911, p. 95-96. - Neque obstat quod graece desit articulus: *ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου = in voce alicuius archangeli,* vel *in voce archangelica,* quia aliunde scimus hunc archangelum esse Michaëlem, secundum doctrinam eschatologicam temporis J. Chr.

Similiter absque articulo legitur: *ἐν σάλπιγγι Θεοῦ = in tuba divina.* Optime notat *Caietanus:* " *tubae... officium convocare est. Et quia non humanitus, sed divinitus erit convocatio ideo dicitur Dei* „. - Alibi etiam de archangelis Raphaële et Gabriële mentio fit.

in tuba Dei: ἐν σάλπιγγι θεοῦ, cfr. Matth. XXIV, 31: et mittet (*Filius hominis*) Angelos suos cum tuba [, et voce] magna; I Cor., XV, 52: in novissima tuba, canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti... - *Haec tuba,* notat *Cai., est illa vox Filii Dei; Ioh V. 28.* Etiam alibi in sono tubae se revelat Deus: Ex. XIX, 16, Is. XXVII, 13, Zach. IX, 14, Ps. Salom. XI, 1, IV Esd. VI, 23: " et tuba canet cum sono; quam cum omnes audierint, subito expavescent „.

In eodem sensu notanda sunt verba cl. *Knab.*, citantis *Corn. a Lapide.* Supra ergo diximus, verba *in iussu* determinari per: *in voce Archangeli* et *in tuba Dei.* Iamvero haec duo etiam a pluribus ut unum sumuntur (S. Thomas in suppl. *cfr. supra*); " et merito dixeris cum *Lap.* celeuma (*iussum*), vocem, tubam indicare unum illud potentissimum imperium et signum pro resurrectione „. *Knab.*, p. 93; - cfr. etiam *Findlay*, p. 100.

et mortui, qui in Christo sunt: οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ. - Non dicitur: qui defuncti sunt in Christo, sed " *mortui in Christo* „ i. e. qui in *statu* mortis, a Christo et in Christo habent principium resurrectionis futurae ac vitae; non in perpetuum derelicti sunt... corruptioni, sed inter manus Christi vitam exspectant. Cfr. V, p. 9-10.

Hi *mortui Christi* constituunt alteram categoriam Christifidelium, oppositam *nobis: qui vivimus, qui relinquimur*...

resurgent primi. - Graece: *πρῶ-*

et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. 17. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis

17. *simul* = *unâ*; — *obviam Christo*, W. W.: *coram Chr.*

τον i. e *primo* vel *prius* resurgent mortui, qui ideo, utpote *redivivi*, non inferiores erunt vivis relictis. Non agitur ergo de prima quadam resurrectione, ac si diversa momenta futura essent in resurrectione. Πρῶτον referendum est ad sequens: ἔπειτα = *deinde* (v. 17), ut notat S. Thomas.

Resurgentne ergo tantum iusti, seu *mortui in Domino*, ut etiam in *Didache* XVI, 6-7, videtur supponi, et in aliis textibus S. Pauli v. gr. I Cor. XV?

Respondetur, S. Paulum tantum de fratribus mortuis loqui; caeteros autem non considerat. Ita iam Œcumenius. In Act. XXIV, 15 enim manifeste docet idem Apostolus universalem fore resurrectionem hominum.

Attamen unio mystica cum Christo est nobis pignus futurae resurrectionis gloriosae, et in hoc sensu aliquando apud S. Paulum et Sanctos Patres resurrectio *vera* videtur tantum intelligenda de gloriosa seu beata. Cfr. Ioh. V, 29, XI, 25: Ego sum resurrectio et vita. - *Caeteri*, i. e. impii relinquuntur in terra... damnati. (*S. Thomas* ad h. l.).

Inter inscriptiones antiquas christianas habetur haec imprecatio contra sepulcri violatorem. "... *insepultus iaceat, non resurgat*„. *Scaglia, Notiones Arch.*, II, 1, p. 147.

Cfr. etiam *Magnien*, l, cit, p. 349-350, 374, *Knab.*, p. 90., *Dobschütz*, p. 200. Non erat ratio cur Paulus loqueretur de *universali* resurrectione, quum Thessalonicensium dubium esset tantum de *fratribus* defunctis.

17. *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur.* - En alterum momentum in parousia, non in resurrectione mortuorum, ut patet, nam hic agitur de *vivis relictis*. - Cum emphasi haec repetuntur ex v. 15, et opponuntur ad iam mortuos... prius suscitandos, v. 16.

simul rapiemur cum illis. - Particula *simul*, melius *una*, referenda est ad: *cum illis*; non habet sensum temporalem sed exprimit coniunctionem omnium in unum: omnium *simultaneus* seu *unus* raptus erit in coelum. - ERIT ERGO AEQUALIS SORS MORTUORUM AC VIVORUM. Notanda emphasis: ἅμα σὺν αὐτοῖς = *simul cum eis*...

Ex hoc textu et aliis similibus aliqui exegetae concludunt, non generalem futuram esse hominum mortem. Secundum hanc opinionem, - cui moderni catholici nimis favent, - qui vivi erunt tempore parousiae non morientur, sed transformati rapientur in gloriam... Latius hos !... Ex hoc textu enim conclusio ista certe non sequitur... Quid formaliter in hac pericope docetur? *Paritas* omnium fidelium tempore Parousiae gloriosae Christi. - Quaenam est

τοτε σὺν κυρίῳ ἐσόμεθα. 18. *Ὥστε παρακαλεῖτε ἀλλήλους ἐν τοῖς λόγοις τούτοις.*

occasio huius doctrinae S. Pauli? *Distinctio* facta a Thessalonicensibus inter *iam mortuos,* et quos *vivos futuros supponebant Thessalonicenses* in adventu Domini. - Relative ad has determinatas circumstantias, cum verbis et in hypothesi Thessalonicensium loquitur Apostolus; - ob eamdem rationem non loquitur de generali resurrectione, - ob eamdem rationem distinguit inter *mortuos* et *nos vivos* etc... Nihil autem nec docet, nec ipse supponit de generalitate vel relativitate mortis. - Qui plura hic quaerunt, cum *Corluy* (Spicil. I, 332, sq.) *Cornely* (I, Cor. XV), *Knabenbauer* et plerisque modernis post *Caietanum* (in commentario ad h. l.) et paucos antiquos, - illi exegetae, inquam, non Pauli textum exponunt sumptum in circumstantiis suis; atque manifeste contradicunt doctrinis theologicis, seu revelatis, Veteris Testamenti, secundum quas *mors* est debitum peccati; quum autem generale sit peccatum in hominibus, ita et generalis futura est mors. - Atque etiam apud S. Paulum hae doctrinae theologicae seu revelatae V. T. constantes sunt, (v. gr. Rom. V, 12 sq.; VI, 23, VIII, 10; - praecipue I Cor. XV), ideo et ipse supponit universalitatem mortis. Textus ergo, qui huic dogmati constanti videntur contrarii, explicandi sunt.

Audiatur Angelicus Doctor ad h. l.: " Ideo videtur... dicendum, quod *omnes morientur et omnes resurgent,* et quod simul. Nec Apostolus dicit hic quod illi prius resurgent, quam isti occurrant. *Apostolus enim non ponit ordinem resurrectionis ad resurrectionem, sed ordinem ad raptum, vel ad occurrentiam.* Nam *primo* veniente Domino morientur qui invenientur vivi, et *tunc* statim cum illis, qui prius mortui fuerant, resurgentes rapientur in nubibus... „. - Fusius de hac quaestione disserendum erit occasione I Cor. XV; cfr. *Ambrost.* ad h. l.

in nubibus: in Dei vehiculo, *Oecum.*; tamquam in curru triumphali, *Grotius;* vel, ut alii, nubibus circumdatus. Cogitamus sponte Eliae curru igneo per turbinem transvecto in coelum, II Reg. II, 11. Ita Christus ascendens " elevatus est: et *nubes* suscepit eum ab oculis eorum „. - Nubes semper sunt elementum theophaniae, Ex. XIX, 16, Ps. CIX, 3, Nah. I. 3; praecipue Dan. VII, 13 a quo textu videntur dependere similes expressiones sermonis eschatologici Domini, Matth. XXIV, 30, XXVI, 64 et *loc. par.*; cfr. etiam Apoc. I, 7, XI, 12.

obviam Christo in aera: - leg.: *obviam* vel *coram Domino* (W. W.) = *εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου.* Eadem expressio cum genitivo legitur apud Matth. XXV, 1 et, in D. XXVII, 32; probabiliter non est semitismus: *liqrath* (LXX), quum inventa sit eadem expressio in pa-

in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. 18. Itaque consolamini invicem in verbis istis.

pyro quodam; cfr. *M. Millig.* - Eadem vox adhibetur *absolute*: Matth. XXV, 6, *cum dat.*: Act. XXVIII, 15.

Nomen analogum *ὑπάντησις* legitur Ioh. XII, 13 (ac Matth. VIII, 34, XXV, 1 ?), quod potius includit expectationem alicuius venturi, dum *ἀπάντησις* significat mudum factum occursus, forte, coram novo magistratu, hic coram Christo veniente ut Rege (cfr. Magnien, l. cit.).

An fideles suscitati mansuri sint in aëre, non dicitur sed negari potest a priori contra *von Soden.* An descensuri sint cum Christo pro generali iudicio, vel ascensuri ad coelum in gloriam, non dicit Paulus, nec dicere debuit, quum responderet speciali difficultati Thessalonicensium, quam iam cognoscimus. (Cfr. *Magnien*, l. cit., p. 377.)

Ita res concipi potest: electi sedentes vel obvoluti in nubibus rapientur in aërem (medium inter terram coelumque) obviam Christo descendenti, - et tunc cum ipso ascendent in coelum seu in gloriam, secundum verba sequentia:

et sic semper cum Domino erimus. - Cfr. Phil. I, 23, Col. III, 4, I Cor. I, 9 etc... " Non sic accipiendum est, notat *S. Augustinus*, tamquam in aëre nos dixerit semper cum Domino esse mansuros; quia nec Ipse utique ibi manebit, quia veniens transiturus est. *Venienti quippe ibitur obviam, non manenti* „. *De civ. Dei*, XX, 20, 2.

Exhortatio.

18. *Itaque consolamini invicem.* - En conclusio perfecte correspondens introductioni v. 13: de deponenda omni tristitia circa dormientes. - *Παρακαλεῖτε*, cfr. supra III, 7, hic ergo in sensu consolandi; alibi in sensu confortandi, exhortandi v. gr. II, 12, III, 2 etc.

S. Aug. " Pereat contristatio, ubi tanta est consolatio... fides expellat dolorem. In tanta spe non decet esse triste templum Dei. Ibi habitat bonus consolator... „ *Sermo* CLXXIII, 3; et S. Paulus, *Rom.* VIII, 18: " Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis „.

Mira il ciel, com'è bello, e mira il sole,
Ch'a se par che n'inviti, e ne console...
(*Ger. lib.*, C. II, 36).

in verbis istis, seu *cum verbis istis.* *Ἐν instrumentale* non est habraismus, ut aliqui opinati sunt, et adhuc facilius admittunt; talis enim usus praepositionis *ἐν* non erat ignotus auctoribus classicis, et adhuc magis extensus apparet in posteriori lingua graeca, Luc. XXII, 49, I Cor. IV, 21, etiam in *Koinè* cfr. *Milligan*, contra Grimm, p. 146α, Blass², p. 132.

— Huic sublimi rationi sperandi in luctu christiano, opponatur epistola, vacua omni alta idea et sincero, ut apparet, affectu, Ciceronis

V, 1. *Περὶ δὲ τῶν χρόνων καὶ τῶν καιρῶν, ἀδελφοί, οὐ χρείαν ἔχετε ὑμῖν γράφεσθαι· 2. αὐτοὶ γὰρ ἀκριβῶς οἴδατε ὅτι* [1]

[1] S † ἡ *inter par*

ad Fam. XIV, 2, quae Thessalonica missa est; vel illa quae habetur inter Pap. Oxyr. 115 (saec. II post Chr.) quae his verbis concludit: " *sed contra illa nullus aliquid facere potest; ergo consolamini vos ipsos!* „.

β. - *Incertitudo diei Domini, ideo vigilandum*, V, 1-11.

Huic tristitiae de mortuis, non visuris secundum adventum Domini, subiacebat alia falsa idea, circa *imminentiam* scilicet *huius diei* (v. 1). Quapropter Apostolus mentes Thessalonicensium revocat ad verba Christi *incertitudinem* temporis parousiae docentis: *ex improviso veniet, ut fur in nocte, ut dolor partus praegnanti* (v. 2-3).

Ideo vigilemus oportet et paratos nos teneamus (4-8), ut cum Christo semper vivere mereamur (9-10). - Concluditur haec pericope cum exhortatione ad consolationem mutuam et aedificationem (v. 11).

Sicut in praecedenti pericope, ita hic quoque tria distingui possunt: *Thema* seu propositio quaestionis (v. 1). *Expositio* theoretica et moralis seu de incertitudine huius diei et de vigilantia (2-10). *Conclusio* (v. 11).

Thema.

1. - *De temporibus autem et momentis*: *περὶ δὲ τῶν χρόνων καὶ τῶν καιρῶν*. Haec duo nomina adhuc alibi, tum in Vet. tum in Novo Testamento, inveniuntur coniuncta, v. gr. Ecclis. III, 1, Dan. VII, 12; A. A. I, 7; *ordine inverso* Dan. II, 21, Sap. VIII, 8, cfr. Tit. I, 2-3; Act. III, 20: *καιροὶ ἀναψύξεως* (tempora refrigerii), 21: *χρόνοι ἀποκαταστάσεως πάντων* (tempora restitutionis omnium). - Quaestionem Apostolorum circa hoc tempus legimus Matth. XXIV, 3, l. p. et Act. I, 6.

Quaenam est differentia inter *χρόνος* et *καιρός*? *Ammonius* notat: *ὁ μὲν καιρὸς δηλοῖ ποιότητα* (*qualitatem*), *χρόνος δὲ ποσότητα* (*quantitatem*). Ergo qui quaerit *περὶ τῶν χρόνων*, scire vult longitudinem epochae inter tempus praesens et adventum Domini; qui quaerit *περὶ τῶν καιρῶν*, scire vult naturam eventuum quibus nuntiabitur ille adventus. Ergo: *de saeculis adhuc venturis et periodis criticis* (*Milligan, Findlay*). Cfr. *S. Augustinum*, M. P. L. 33, col. 899 sq., ep. 197.

Haec philologice sunt optima, sed forte praeter mentem scriptorum. Haec geminata expressio videtur sumpta ex habituali terminologia biblica, estque pleonastica (figura hendiadys); ideo non videtur quaerenda realis differentia inter has duas voces, utraque simul, ut in aliis textibus eschatologicis, significat *tempus praecisum* parousiae, v. gr. Matth. XXIV, 36, Mc. XIII, 32: *de die autem illo, vel hora nemo scit...* (*Dobschütz*).

V, 1. De temporibus autem, et momentis, fratres, non indigetis, ut scribamus vobis. 2. Ipsi enim diligenter scitis, quia

2. Loco: *diligenter,* leg.: *exacte vel accurate.*
— *Veniet,* graece: *venit.*

fratres. - Cfr. notam ad I, 4: de frequenti interpellatione in his Epistolis.

non indigetis ut scribamus vobis, ut IV, 9, 13. - Figura *praeteritionis,* Apostoli dicunt eos scire... et tamen eos docebunt; manifeste non *quia* sciunt et non indigent.

Expositio: incertitudo diei Domini (2-3).

2. *Ipsi enim diligenter scitis.* - Adverbium *ἀκριβῶς* = *exacte* vel *accurate* (non *diligenter* Vg.) referter ad *scitis,* et indirecte ad citandum verbum Domini, quod lectores dicuntur accurate cognoscere. Cfr.: Act. XVII, 25, Eph. V, 15 (? *Robinson* ad h. l.), A. A. XXIV, 22 (in comparativo), Act. XXII, 3: *κατὰ ἀκρίβειαν.* - Citandum verbum Domini, catechesi orali notum, legitur Matth. XXIV, 43, Luc. XII, 39, II Petri III, 10; pro eadem imagine de adventu Domini, *cfr.* Apoc. III, 3, XVI, 15.

Videtur ergo haec imago pro incertudine diei Domini fuisse usitatissima in primitiva catechesi:

quia: ὅτι. - Haec particula vel correspondet duplici puncto ad introducendam citationem in oratione directa (cfr. *Blass.*[2] p. 238); vel dependet a *scitis,* sequente citatione in oratione indirecta.

dies Domini: ἡμέρα κυρίου sine articulo, fere ut nomen proprium, dies scil, qui solius Domini est, in quo Dominus se gloriose manifestabit. - *Dobschütz* singulari modo absentiam articuli explicat, per imitationem scil. status constructi hebraei, in quo vox regens (*ἡμέρα*) sine articulo construitur. Non est probabilis talis explicatio, quia in hoc casu frequentissima foret in LXX absentia articuli. - Cfr. II Th. II, 2, cum duplici articulo

Dies Domini ergo est ultimus huius aevi " quo Christus e coelis redibit, mortuos in vitam resuscitabit, iudicium extremum habebit regnumque suum consummabit „. Diversis nominibus designatur: *dies ἡ ἡμέρα,* simpliciter, ut v. 4 et Rom. XIII, 12; *dies ille,* v. g. II Th. I, 10; *dies ultimus,* apud Ioh.; *dies Domini, Christi, Iesu Christi, filii hominis, (passim); dies Domini magnus,* Act. II, 20; *dies, quo Filius hominis revelatur,* Luc. XVII, 30; *dies redemptionis,* Eph. IV, 30; *dies visitationis,* I Petri, II, 12; *dies iudicii, (passim); dies viae et revelationis iusti iudicii Dei,* Rom. II, 5; *dies magnus irae,* Apoc. VI, 17; *dies occisionis* seu internecionis improborum, *Iac.* V, 5.

Frequentissime etiam prophetae loquuntur de *die Domini,* quo Iahve gloriam suam manifestaturus est contra adversarios suos et inimicos populi sui. - *Cfr. Grimm.*

ἡμέρα κυρίου ὡς κλέπτης ἐν νυκτὶ οὕτως ἔρχεται. 3. *ὅταν*[1] *λέγωσιν· εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια, τότε αἰφνίδιος αὐτοῖς ἐπίσταται*[2] *ὄλεθρος ὥσπερ ἡ ὠδὶν τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, καὶ οὐ μὴ ἐκφύγωσιν.* 4. *ὑμεῖς δέ, ἀδελφοί, οὐκ ἐστὲ ἐν σκότει, ἵνα ἡ ἡμέρα*

[1] S † δὲ. [2] S *ἐφίσταται.*

ut fur in nocte. - Praeter locos citatos e Nov. Test., cfr. Iob. XXIV, 14; Ier. XXIX, 10 (LXX et Vg. XLIX, 9).

ita veniet: ἔρχεται, praesens: *venit.* Per hoc praesens melius exprimitur certitudo et subitaneitas adventus. Non est recurrendum ad praesens propheticum, quo designatur futurum.

Formale huius comparationis est: *subitaneitas* diei Domini sicut adventus furis in nocte; minime vero nocturnum tempus vel aliquid simile. Inde apud primos christianos quaedam opinio de adventu Domini: " quasi intempesta nocte, et securis omnibus, quando gravissimus sopor est „.

Additque citatus *S. Hieronymus:* " Dicamus aliquid quod forsitan lectori utile est. Traditio Iudaeorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem Aegypti temporis, quando Pascha celebratum est, et exterminator venit... Unde reor et traditionem apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum Paschae ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes adventum Christi. Et postquam illud tempus transierit, securitate praesumpta, festum cuncti agunt diem „. *(Comm. in ev. Matth.* Lib. IV, cap. XXV, v. 6. - *P. L.* 26).

3. *Cum enim dixerint.* - Graece triplex habetur lectio, 1ª) *ὅταν* solum, ita Nestle; 2ª) *ὅταν δέ,* von Soden, Findlay; 3ª) *ὅταν γάρ* ut Vg. nostra. - Haec ultima facilis lectio videtur orta ex correctione syriaca. Lectio 2ª videtur praeferenda, utpote difficilior, et omissio *ΔΕ* explicatur, per haplographiam, ob similitudinem cum sequenti *ΑΕ*... Ergo retinetur cum von Soden, et Findlay lectio: *ὅταν δὲ λέγωσιν* = *cum autem dicunt.* Tempus praesens addit notionem simultaneitatis vel coincidentiae cum eo quod sequitur: *dicentibus illis pax et securitas, supervenit repentinus interitus.*

Supponuntur loqui increduli, qui in tenebris sunt, per oppositionem ad eos qui in luce sunt (v. 4-5.)

pax et securitas. - Ultima vox latina vertit graecam: *ἀσφάλεια,* pro qua Ambrost.: *firmitas.* Vox rara in N. T., bis tantum apud Lucam Ev. I, 4, Act. V. 23. - Habetur hic saltem litteraria allusio ad Ezech. XIII, 10; Ier. VI, 14, VIII, 11, Mich. III, 5; cfr. notam ad II, 4.

tunc repentinus eis superveniet interitus. - Graece legitur verbum *ἐπίσταται* (pro *ἐφίσταται*), adhuc I Tim. IV, 2, 6; alibi apud Lucam tantum, in Evangelio septies, in Actibus undecies. - Graece ergo habetur iterum praesens: *supervenit,*

dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. 3. Cum enim dixerint pax, et securitas: tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut, dolor in utero habenti, et non effugient. 4. Vos autem, fratres,

3. *Enim* = ? *autem.*
— *Dixerint*, graece: *dicunt.*
— *Superveniet,* graece: *supervenit* vel *imminet.*
— *Effugient,* graece: *effugiunt.*

seu imminet; evidens allusio ad verba Christi, Luc. XXI, 34. - Pro voce latina Vulg.: *repentinus*, graece legitur: *αἰφνίδιος*, hic tantum et loco citato Lucae; saepius in V. T.

interitus = *ὄλεθρος*, apud S. Paulum tantum, quater, in N. Test. (a verbo *ὄλλυμι*): *destructio, interitus, mors; comp. ἀπωλεία* - ab eadem radice - v. gr. Matt. VII, 13: in sensu *perditionis moralis* et *aeternae,* item Ioh. XVII, 12, Act. VIII, 20 et alibi; utrumque nomen legitur coniunctum I Tim. VI, 9. - Paulus hic forte cogitat etiam de tribulationibus, quibus, in novissimis diebus, homines affligentur, Apoc. VI, 4 sq. VIII, 7 sq.

sicut dolor in utero habenti. - Apud LXX habitualis circumlocutio pro *ἔγκυος* vel *ἐγκύμων* = *gravida.* - Vox latina *dolor* non adaequate vertit graec. *ἡ ὠδίν* (pro *ὠδίς*); vox graeca enim indicat *dolores partus*; unde optime *Ambrost.* vertit: *quaemadmodum dolor partus praegnanti.*

Iterata ac iterata allusio ad effata eschatologica Domini: Matt. XXIV, 8, Mc. XIII, 8, Act. II, 24. Haec imago, cum sensu eschatologico, frequens est in Vet. Test. (v. gr. Is. XIII, 8; Ier. IV, 31, Os. XIII, 13, Dan. XII, 1 (graece), etc.) ad desiderandas calamitates praeambulas adventui Domini, post quas sequetur gaudium magnum, prout dicit Iesus: " Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium: quia natus est homo in mundum „ Ioh. XVI, 21. Inde expressio Talmudica: *dolores Messiae* hebr.: *cheble - hammashiah;* cfr. Lagrange: *Le Messianisme chez les Iuifs*, p. 186 sq.; Schürer, *Geschichte*, II[4], p. 609 sq. - Praeter hunc locum, ubi in sensu proprio, non occurrit apud Paulum ista vox; ergo ea non usus est in sensu metaphorico, ut in locis cit. Evangeliorum. - Imago evidenter est adhibita ad depingendam improvisam subitaneitatem et impossibilitatem fugiendi: *repentinus imminet interitus,* ac, prout additur.

non effugient. - Allusio ad Luc. XXI, 36. - Pro duplici negatione energica *οὐ μή*, cfr. IV, 15. - Ut bene notat Caietanus ad h. l.: *inevitabilitas mali adiungitur.*

Vigilantia (4-10).

4. *Vos autem fratres non estis in tenebris.* - Notanda est emphasis, quacum pronomen *vos* ponitur in capite phraseos, ac statim repetitur

ὑμᾶς ὡς κλέπτης καταλάβῃ· 5. πάντες γὰρ ὑμεῖς υἱοὶ φωτός ἐστε καὶ υἱοὶ ἡμέρας. Οὐκ ἐσμὲν νυκτὸς οὐδὲ σκότους· 6. ἄρα οὖν μὴ

ante verbum *comprehendat*: Caeteri quidem comprehendentur ex improviso, *vos* autem non. Cfr. supra III, 9. Opponuntur autem Thessalonicenses credentes et secundum fidem virtuose viventes, incredulis versus praec., qui in tenebris iacent. Pro eadem imagine apud S. Paulum cfr. II Cor. VI, 14, Eph. V, 8 sq. Col. I, 13. Simul continuatur imago furis *nocte* venientis.

ut vos etc: *ἵνα*, probabilius cum sensu exclusive ecbatico, ut aiunt, seu, ad simplicem sequelam indicandam huius: *in tenebris esse.*

dies illa: *ἡ ἡμέρα.* Notandus est articulus; indicatur dies antonomastice; de quo supra v. 2.

tamquam fur: *ὡς κλέπτης*, nominativum, (Nestle, von Soden), ut appositio huius: *dies illa.* Lightfoot autem, Milligan, atque - minus affirmative - Findlay et Frame, praeferunt alteram lectionem cum accusativo: *ὡς κλέπτας*, quod appositio esset sequentis: *vos*, cum inversione scil. imaginis; atqui hi auctores invocant principium: difficilior lectio est praeferenda tamquam probabilior et authentica. - Sed in favorem huius lectionis tam paucae sunt auctoritates, et, propter violentam inversionem imaginis, a priori tam improbabilis est, ut videatur hic omnino immerito principium istud invocari. Ideo lectio cum accusativo *ας* probabilius derivatur a praecedenti *ὑμᾶς*.

comprehendat: *καταλάβῃ*, Ambrost: *apprehendat.* Idem verbum, in sensu hostili, legitur Mc. IX, 18 (Vg. 17) Joh. XII, 35, et in quodam dicto Christi extra-canonico (*agrapho* vocato) quod citat Just. *M.*: *Dial.* 47 (ultima sententia).

Quia ideo media nocte fur furari tantum censetur, illi, qui non in tenebris sed in luce vivunt, eius aggressionis victimae non sunt. Subitaneitas ergo diei Domini, eiusque consequentiae non tangunt illos.

5. *omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei.- Filius alicuius* hebraice dicitur ad intimam relationem cuiuscumque cum quocumque alio designandam: filius viae, filius mortis; similiter adhuc hodie apud Arabes frequentissimus est usus vocis *filii* cum hac significatione, et *filii viarum* v. gr. vocantur *magni viatores.*

Hic repetitur sub forma *positiva* quod v. 4*a* dictum est (et mox v. 5*b* adhuc dicetur) sub forma *negativa.* Ambae expressiones *filii lucis* et *filii diei* synonymae sunt, et in posteriori levis allusio videri potest ad *diem illam* adventus Domini, v. 4*b* Locis citatis ad 4*a* adiungendi sunt textus Luc. XVI, 8, Joh. XII, 36, in quibus de *filiis lucis.* - Non dicuntur autem *in luce esse*, nec *ambulare in die*, sed *filii* lucis, *filii* diei, i. e. totaliter illluminati et lucidi, ipsius lucis et diei natura. - Huic per figuram chiasmi apponitur expressio similiter geminata:

non estis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat. 5. Omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum. 6. Igitur non dormiamus sicut

non sumus noctis, neque tenebrarum. - Mutatur persona 2ª pluralis in primam, ut Gal. III, 25-26, Eph. II, 2, 3; 13, 14, V, 2 et alibi. Notandum genitivum quod est possessionis, ut filii diei et lucis; non autem hic supplendum est *filii* (Estius et alii). - *Pelagius*: " sicut tenebrae, ita et ignorantia dat fiduciam delinquendi „.

6. *Igitur*: ἄρα οὖν = *hinc igitur*. Compositio Paulo propria semper in initio phraseos, ad introducendam cum emphasi conclusionem ex praecedentibus sequentem: II Th. II, 15; *octies* in ep. ad Romanos V, 18, VIII, 3, 25, VIII, 12, IX, 16, 18, XIV, 12, 19; adhuc Gal. VI, 10 et Eph. II, 19.

non dormiamus, sicut et caeteri, qui noctis scil. sunt et tenebrarum, i. e. increduli omnes sive Judaei, sive pagani, Joh. I, 5 sq., II Cor. VI, 14, I Pet. II, 9. Cfr. not. ad IV, 5, praecipue ad IV, 13 pro expressione: *sicut et caeteri*.

Dormire: καθεύδειν in sensu metaphorico morali de sopore et insensibilitate conscientiae moralis, Mc. XIII, 36, Eph. V, 14. Notandus est usus diversus hic v. 6 > 7, 10.

sed vigilemus et sobrii simus. - Eadem compositio, sed inverso ordine, occurrit I Petri V, 8. Expressiones desumptae sunt ex oratione eschatologica Domini Jesu: *vigilare* = γρηγορεῖν, Matt XXIV, 42, XXV, 13, Mc. XIII, 35 = *esse paratum* Luc, XII, 40; cfr. I Cor. XVI, 13.; *sobrium esse*, quantum ad sensum, Luc. XXI, 34.

Notatu dignum est, verbum γρηγορεῖν (*vigilare*) recenter ortum esse ex *perfecto* verbi ἐγείρω = ἐγρήγορα *expergefactus sum, vigilo*. Verbum in N. T. frequentissimum, 23 vicibus, tum in sensu proprio, tum in sensu translato morali; etiam occurrit apud LXX v. gr Ier. XXXVIII, 28; I Mac. XII, 27; apud Fl. Jos. *Antiq.* XI, 3, 4; Ign. *ad Polyc.* 1. Inde nomen proprium Γρηγορίος *Gregorius*.

Verbum: νήφειν - *sobrium esse*, ubique translate adhibetur in N. T. - sexies, scil.: I Th. V, 6, 8; II Tim., IV, 5; I Petri I, 13, IV, 7, V, 8; numquam occurrit apud LXX.

Quantum ad significationen: *vigilare*, i. e. attendere, potius respicit considerationem mentis, ut oppositam sopori conscientiae in somno; *sobrium esse* vero respicit mores, designat vitam intemeratam ut oppositam huic: *habere corda gravata in crapula et ebrietate*, Luc. XXI, 34; prout dicit *S. Joh. Chrys.*: " Ebrietas... animae sunt divitiae, et pecuniae cupiditas, et amor corporum; et quodcumque dixeris, est ebrietas animae „. - Utrumque autem simul idem significat ac *paratum esse*, Luc. XII, 40.

Quapropter videtur longius quaesita, et a textu biblico recedere opinio nova *Dobschütz*, quam etiam

καθεύδωμεν ὡς οἱ λοιποί, ἀλλὰ γρηγορῶμεν καὶ νήφωμεν· 7. οἱ γὰρ καθεύδοντες νυκτὸς καθεύδουσιν, καὶ οἱ μεθυσκόμενοι νυκτὸς μεθύουσιν· 8. ἡμεῖς δὲ ἡμέρας ὄντες νήφωμεν, ἐνδυσάμενοι θώρακα πίστεως καὶ ἀγάπης καὶ περικεφαλαίαν ἐλπίδα σωτηρίας·

admittit *Knabenbauer*, secundum quam haec sobrietas sumenda est ut opposita *exaltationi spirituali*. S. Paulus ergo, " praeter ethnicam indifferentiam et moralem pigritiam (cui opponitur *vigilantia*), voluisset alterum periculum removere, nimiam scil.. ex recenti conversione et expectatione parousiae sequentem, *animi contentionem*, quae etiam energiam spiritualem sterilem reddit „. - In se quidem esset possibilis talis significatio pro *sobrium esse*, - sicut revera Paulus hanc exaltationem repressit - ; sed non videtur hic quadrare cum locis parallelis citatis, e quibus sequitur utramque expressionem synonymam esse huius : *paratum esse in diem Domini*. Hic autem non agitur de reprimenda inquieta exspectatione huius diei.

7. *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt*. Haec verba in sensu proprio sunt sumenda, explicant alterum terminum comparationis : qui dormiunt, inconscii sunt et tenebris noctis circumdati ; ergo fur, nocte veniens, inobservatus furari potest. Quapropter nos, non dormiamus, sed vigilemus (v. 6), utpote filii lucis et diei (v. 5), ne Dominus, ut fur in nocte veniens, nos deprehendat imparatos ; idem notandum pro sequentibus verbis :

et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt : *οἱ μεθυσκόμενοι νυκτὸς μεθύουσιν*. Primum verbum, *μεθύσκομαι*, indicat actum se inebriandi, dum alterum, *μεθύω*, statum vel habitum ; unde posset verti : *qui se inebriant, nocte ebrii sunt* ; in usu autem ambo unum idemque significant : Comp. Luc. XII, 45 = Act. II, 15 ; Is. V, 11.

8. *Nos autem qui diei sumus sobrii simus*, cfr. ad v. 6. " Hic ostendit quod in die esse, sit nostrum. Nam hic quidem, dico de hac die et nocte, (*in hoc mundo*), est nostrum, sed vel nobis invitis venit nox, et nobis nolentibus adest somnus : in illa autem nocte et somno non est ita, sed licet perpetuo vigilare, licet perpetuo diem agere. Nam animae claudere oculos, et a vitio somnum inducere, non est naturae, sed liberi arbritrii. *Sed vigilemus*, inquit, *et sobri simus*. Licet enim ei qui vigilat dormire, nihil boni agendo : propterea subiunxit *Et sobrii simus*. Etenim in die si quis vigilet, non sit autem sobrius, in mala incidet innumerabilia. Quamobrem *vigiliae intensio est sobrietas*. „ Ita pulcherrime *S. Ioh., Chrysostomus*, qui paulo infra addit : " Non satis est autem vigilare, et esse sobrium, sed etiam oportet armari „ ; sequitur ergo armaturae descriptio :

induti loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis. - Circa hanc triadem virtutum, et earum

et caeteri, sed vigilemus, et sobrii simus. 7. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. 8. Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei, et

7. Vg.: *qui ebrii sunt*, graece: *qui se inebriant.*

ordinem, cfr. ad I, 3 et III, 6. Notandum est etiam, fidem iterum iungi charitati: *fides enim per charitatem operatur*, et in eo consistit perfecta christiana iustitia, cfr. ad II, 13.

A vita honesta et sobria, simili modo transit Apostolus ad *arma lucis*, Rom. XIII, 12, 13. Indui autem *arma lucis*, idem est ac *indui Dominum Jesum Christum*, atque opponitur vitae corruptae sensuum, *ibidem* 12-14, Comp. pro eadem figura vitae militaris applicata vitae christianae (*nam militia est vita hominis super terram*, Iob. VII, 1), II Cor. VI, 7, arma iustitiae a dextris et a sinistris, i. e., *defensiva* et *offensiva*, agitur revera ibi de scuto et gladio. - Nostro autem loco agitur tantum de armis defensivis: *thorace et galea*, ad protegendum pectus et caput; cfr. in eadem ep. II Cor. X, 4.

Hic autem praecipue examinanda et comparanda est amplior descriptio Eph. VI, 13 sq.: 13. *Accipite armaturam Dei.* 14 *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam iustitiae*, 15 *et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis*, 16 *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*: 17 *et galeam salutis assumite: et gladium spiritus (quod est verbum Dei)...*

In utroque loco (ep. I ad Thess. et Eph.) habetur ergo: *galea* (*spes*, Thess.) *salutis.* - Sed dum in ep. ad Thessalonicenses habetur: *lorica fidei et charitatis*, in epist. ad Ephesios habetur: *lorica iustitiae, et scutum fidei.* - Cfr. notam ad h. l. *ep. ad Ephesios.*

Non est ergo anxie quaerenda determinata applicatio singulae figurae. Diversae virtutes concipiendae sunt ut totidem arma, contra diabolum nequissimum eiusque insidias. - Pro applicatione in particulari, cfr. v. gr. *S. Thomam, Estium, Knabenbauer.* Audiatur *Caietanus* " E regione dormitionis, vigilantiam describit (Apostolus): Vigilum enim est indui thoracem ad protegendum pectus in quo sunt vitalia membra. Unde et principales virtutes explicat (fidei scilicet et charitatis) *praesentem* animae vitam servantes. Et *galeam spem salutis, futurae* in aeternitate, ad protectionem capitis quo erigimur ad superna „.

Fons autem, e quo Paulus has expressiones hausit, probabiliter est Is. LIX, 17: " Indutus est (Dominus) iustitia ut lorica, et galea salutis in capite eius „, ita verbotenus l. cit. epist. ad Eph. Comp. Is. XI, 4 sq. Sap. V. 17 sq.- Aliirecurrunt

9. ὅτι οὐκ ἔθετο ἡμᾶς ὁ θεὸς εἰς ὀργὴν ἀλλὰ εἰς περιποίησιν σωτηρίας διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, 10. τοῦ ἀποθανόντος περὶ [1] ἡμῶν, ἵνα εἴτε γρηγορῶμεν εἴτε καθεύδωμεν ἅμα

[1] S *ὑπὲρ*.

ad descriptiones iudaicas de ultimis pugnis contra exercitum Antichristi. Cfr. *Milligan.*

In ep. demum ad Thessal. propria est mentio *spei*, secundum characteristicam doctrinam eschatologicam huius epistolae, " hope being a key-note of this Epistle „. *Findlay.*

Galea: *περικεφαλαία*, hic tantum et loco cit. Eph.; undecies in LXX; est vox linguae hellenisticae.

Salus: σωτηρία, in lingua hellenistica saepe pro " *salute corporali* „; technicus autem evangelii sensus est: *salus messianica*; et quum hic agatur de *spe salutis*, evidenter consideratur salus futura aeterna: " complexio bonorum et beneficiorum, quibus beati et ab omnibus terrestribus malis vindicati Christiani *post adspectabilem Christi e coelis reditum* in consummato eoque aeterno Dei regno fruentur. „ - Ita *Grimm.* - Haec vox apud S. Paulum praecipue occurrit et quidem frequentissime; sicut etiam doctrina *redemptionis per mortem Christi* a Paulo, maiori cum insistentia traditur, cfr. v. seq. - *Lagrange: Romains*, p. 17.

9. quoniam: ὅτι. Ratio datur firmae spei nostrae in salutem aeternam: *non posuit nos Deus in iram etc. Ponere* vel *dare in...* est semitismus, v. gr. Is. XLIX, 6 = Act. XIII, 47, I Tim. I, 12, I Petri II, 8 et *alibi.*

Haec nostra salus duplici modo describitur; 1°) *negative*: quia Deus non posuit nos in iram; 2°) *positive*: sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum.

In iram, i. e. *Dei;* cfr. I, 10. Sensus est, prout scribit S. Thomas: *ut consequamur eius iram*, - vel *damnationem.*

sed in acquisitionem salutis: εἰς περιποίησιν σωτηρίας. - Pro voce *σωτηρία* cfr v. 8 praeced.

Alterius autem vocis, seu *περιποίησις*, sensus est dubius. Potest sumi, 1° vel *active*: de acquirenda salute nostris operibus, ut dicit S. Thomas: " ut acquiramus salutem „; 2° vel *passive:* de acceptatione vel adoptione nostra a Deo in salutem, v. gr. Act. XX, 28: Ecclesia Dei quam acquisivit (Christus) sanguine suo. Ita Oecumenius: " sibiipsi acquisivit nos, et veluti ad possidendum nactus est dato pro nobis pretio, nempe inter ea quae habebat, *pretiosissima:* sanguinem enim Unigeniti dedit „.

Haec vox *περιποίησις*, extra hunc locum, quater in N. T. legitur: Eph. I, 14 (*Mal. III, 17*), II Th. II, 14, Heb. X, 39, I Pet. II, 9 (*Ex. XIX, 5*) - Apud LXX, II Chr. XIV, 13 (12), Agg. II, 10 (9), Mal. III, 17.

charitatis, et galeam spem salutis. 9. Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum, 10. qui mortuus est pro nobis: ut sive

Significatio horum textuum: I Petri, II, 9 (*extra Pauli Epistolas*) certe in sensu passivo: de acceptatione a Deo in populum electum, ita in textu citato *Ex. XIX, 5.* - Similiter Eph. I, 14, secundum *Mal. III, 17*, probabilius sensum passivum habet, non est certum tamen. Cfr. *Westcott*, Eph., p. 18.

Sed II Th. II, 14, Heb. X, 39 certus est sensus activus.

Nostro etiam loco *sensus activus* videtur *praeferendus*; quia in contextu agitur de *activitate* - dicamus, *militari* - fidelium ad acquirendam salutem, non tamen independenter a gratia Dei, ut statim dicetur. - Ita S. Thomas (*cfr. supra*), Cajet., Bornem. Findlay, Milligan, Dobschütz, Knabenbauer, Frame et plerique.

per Dominum nostrum Iesum Christum. - Haec verba referenda sunt ad *acquisitionem salutis*, quae per Dom. nostrum I. Chr. acquirenda dicitur; non autem ad *posuit*; ita plerique, contra *Estium.*

10. *qui mortuus est pro nobis.* - En dogma redemptionis per mortem Christi, quod est cardo religionis revelatae. Nam *Christus ut mortuus pro nobis* (τοῦ ἀποθανόντος περὶ (vel ὑπὲρ) ἡμῶν) dicitur causa per quam salutem consequi possimus; ideo Christus moriens est Noster Redemptor a morte ad vitam spiritualem et aeternam. Simul autem affirmatur unio nostra cum Redemptore in unum corpus mysticum, quod est obiectum principale epistolarum captivitatis.

Tam manifesta allusio ad mortem redemptricem Christi, in epistolis ad Thessal. est unica, *cfr. supra* I, 10; haec autem doctrina est principale dogma totius praedicationis paulinae, et quum legatur iam in his *primis* scriptis *paulinis*, ideo patet quanti momenti sit hanc allusionem hic bene notare.

Non solum hoc dogma est mirabile et divinum in se, sed neque intelligi posset quomodo Paulus, recenter conversus, modo tam sublimi primus concepisset scopum mortis Christi, atque praedicasset vigesimo circiter anno post hanc mortem, si non habuisset hanc doctrinam ex certa revelatione Dei. Uti *P. Batiffol* scribit " nullus alius profundius quam Paulus penetravit interpretationem mysterii crucis; hoc est eius donum proprium quod a Deo recepit „ (*Six Leçons*, p. 92) Similiter *Harnack:* " Christus crucifixus et suscitatus est centrum, vel, melius fons unicus et principium dominans totius theologiae " paulinae „. *Holtzmann* demum: " Evangelium Pauli essentialiter consistit in gnosi crucis Filii Dei „. Hoc ipse S. Paulus fatetur et proclamat scribens, I ad Cor. II, 2: " Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, *et hunc crucifixum* „. - Cfr. *Rivière*: Le Dogme

σὺν αὐτῷ ζήσωμεν. 11. *Διὸ παρακαλεῖτε ἀλλήλους καὶ οἰκοδομεῖτε εἷς τὸν ἕνα, καθὼς καὶ ποιεῖτε.*

12. *Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, εἰδέναι τοὺς κοπιῶντας ἐν*

de la Rédemption, *chap. IV*: La doctrine de Saint Paul, p. 38.

ut sive vigilemus, sive dormiamus: εἴτε... εἴτε cum subiunctivo rarum apud prosarum scriptores classicos; frequens autem in hellenistica lingua. Forte graece hic explicatur subiunctivum per attractionem ad principale verbum: *ut... vivamus;* ac melius adhuc per characterem hypotheticum verborum: *sive vigilemus sive dormiamus.* Cfr. *Milligan.*

Verba autem *vigilare et dormire,* hic sumantur oportet de vita et morte physica; - non ergo in sensu translato ethico, nec de vigilia et somno in sensu proprio. Referenda sunt ad tempus *parousiae: sive, adveniente Christo, mortui simus, sive inveniamur vivi,* etc.

Hos diversos sensus vigiliae et somni dilucide distinguit *Estius.* " Triplicis somni meminit Apostolus: 1° *somni mortis:* nolo vos ignorare de dormientibus (IV, 13); - 2° *somni peccati:* igitur non dormiamus sicut caeteri (V, 6); - 3° *somni naturae:* qui enim dormiunt, nocte dormiunt (V, 7) „. Cum Estio, plerisque graecis et latinis admittitur, hic agi de primo. - Ideo non prematur verbalis similitudo cum Rom. XIV, 8: ubi de vita et somno in 3° sensu.

Bene notanda sunt verba sequentia *Knab.:* " Clare hoc loco reassumit apostolus, quae dixerat IV, 16 et simul aliquid addit, quo locutiones illae *nos qui vivimus, qui relinquimur,* nova determinatione afficiuntur, ita ut de vera mente apostoli iam non dubium esse possit. Adventum Domini enim ita incertum esse nunc ait, ut ille evenire possit vel nobis viventibus vel iam defunctis; de ea re non esse quaerendum neque curandum; unum esse ob oculos habendum, unum in omni vitae ratione esse appetendum, ut simul cum ipso vivamus „.

simul cum ipso vivamus, i. e. in coelo, idem ac IV, 17: *semper cum Domino erimus.* Ut scribit *Ambrost.:* " Hoc est quod supra dixit, quia fideles in adventu Domini tam mortui quam vivi obviam tollentur Domino, et semper vivent cum eo „.

In Christo et per Christum et cum Christo simul habemus divinam vitam gratiae hic in terra et aeternam in coelis: haec unio mystica fidelium cum Christo pro gloria Patris est finis operis messianici, quod est Redemptio nostra.

Conclusio.

11. *Propter quod consolamini invicem, cfr.* IV, 18. Ratio (*διό*) consolationis in hoc loco, non est tantum nostra redemptio, aut futura nostra vita cum Christo (*vers. praecedenti*); sed largius, omnia quae de adventu Domini dicta sunt inde a cap. IV, 13 hucusque.

et aedificate alterutrum: hac vita vigilanti et sobria, armati et

vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. 11. Propter quod consolamini invicem, et aedificate alterutrum, sicut et facitis.

12. Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui la-

victores pugnantes cum armis Dei. Hic prima vice occurrit imago, quae apud Paulum non est rara, et nunc in linguis christianis frequentissima. Act. XX, 32, in ep. I ad Cor. sexies.

Fere simili modo Dominus noster locutus est de aedificanda Ecclesia sua supra Petram - Petrum Apostolorum principem; non exclusa, ut patet, ordinatione visibili aedificii Ecclesiae.

Sicut ideo Paulus animas vocavit *Templa Spiritus Sancti*, ita de singularum aedificatione loquitur, de aedificatione totius Ecclesiae et de destructione eius, de fundamento eius vel lapide angulari i. e. Christo, de architecto i. e. Apostolo; *cfr.* Rom. XIV, 19-20, II Cor. X, 8, XIII, 10; I Cor. III, 9 sq., XIV, 5, 12; Eph. II, 20-22, IV, 12-16. Hi ultimi textus ex ep. ad Eph. praecipue notatu digni sunt.

alterutrum: εἷς τὸν ἕνα, haec graeca expressio consideratur habitualiter ut semitismus pro *ἀλλήλους* ut IV, 18 (Blass², p. 146, § 45, 2; Dobschütz); hoc autem negatur a Lightfoot et Milligan, qui citant analogam expressionem ex *Theocr.* XX (XXII) 65; et I Cor. IV, 6; ultimum vero exemplum n. i., non potest allegari, quia diversi homines separatim considerantur.

sicut et facitis. - Merita laus, cfr. notam ad IV, 1 et 10; ita numquam omittit S. Paulus, ubi iustum est, laudem tribuere, ut inde discipuli novum animum hauriant. Ut pulcre notat *Estius:* " Hoc addit (Apostolus) quo gratior sit exhortatio, laudi permixta „.

III. - *Regulae morales pro tota communitate.* - V, 12-22.

Prout iam diximus cap. IV, 13, post hanc duplicem quaestionem dogmaticam circa adventum Domini, redeunt Apostoli ad moralia monita; nunc vero *pro tota communitate,* dum cap. IV, 1-12 agebatur de individuis. Ibi ergo data sunt monita ethicae individualis, hic autem ethicae socialis, ita Dobschütz: " Dieser Abschnitt ist... dem ersten des 2 Hauptteils (IV, 1-12) parallel: *Individualethik - Gemeindeethik* „. Iamvero in ipsa hac pericope diversa tractantur, quae ad maiorem claritatem sequenti modo dividi possunt.

A. - Monita *socialia*, v. 12-15:
  α) ad subditos, 12-13;
  β) ad presbyteros, 14-15.
B. - Monita *religiosa*, v. 16-22:
  α) gaudium, oratio et gratiarum actio, 16-18;
  β) de usu charismatum, 19-22.

A. - *Monita socialia:*
  α) ab subditos, 12-13.

12. - *Rogamus autem vos fratres ut noveritis*, etc... - Quoad constructionem phraseos graecae se-

ὑμῖν καὶ προϊσταμένους ὑμῶν ἐν κυρίῳ καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς,
13. *καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπερεκπερισσῶς* [1] *ἐν ἀγάπῃ διὰ τὸ ἔργον*

[1] S ...ισσοῦ.

quentia sunt notanda: Verbum *ἐρωτῶμεν* regit hos duos versus 12-13, amplectentes duo monita expressa verbis: *εἰδέναι* (Vg.: *ut noveritis*) et *ἡγεῖσθαι* (Vg. *ut habeatis*).

Rogamus: ἐρωτῶμεν, cfr. *supra* IV, 1; *fratres*, cfr. I, 4.

ut noveritis, graece in infinitivo: *εἰδέναι*. - Agitur de scientia practica seu de agnitione, non beneficiorum (*S. Thom.*), sed auctoritatis et dignitatis aliorum, deque obedientia ipsis debita. Haec expressio non directe invocat auctoritatem superiorum, quae subditis iugum videtur, sed spontaneam, liberam huius auctoritatis agnitionem et reverentiam. - In lingua attica ille sensus praegnans verbi *εἰδέναι* est inusitatus; sub influxu autem linguae hebraicae frequens est apud LXX, v. gr. I Sam. II, 12: *οὐκ εἰδότες τὸν κύριον*, Ier. II, 8, IV, 8, Os. II, 22, V, 4; etc. - in N. T., v. gr. I Cor. XVI, 18 (? I Cor. II, 2, 12). Supra pro expressione: *sicut gentes quae ignorant Deum*, IV, 5, idem notavimus.

Illi, quos debent agnoscere vel revereri, designantur graece triplici participio: *τοὺς κοπιῶντας.. καὶ προϊσταμένους... καὶ νουθετοῦντας*, sub uno articulo, ergo iidem indicantur.

qui laborant inter vos: τοὺς κοπιῶντας. - In lingua classica hoc verbum *κοπιάω* significat: *defatigor*, etiam Is. XL, 31, Fl. Ios. *Antiq.* II, 15, 3 et in N. T. aliquando v. gr. Matth. XI, 28, Ioh. IV, 6, Apoc. II, 3; alibi autem in sacro codice: *laboro intentis viribus*. Apud S. Paulum non minus quam quaterdecies (et Act. XX, 35, in verbis eius), saepe de proprio labore; cfr. supra ad *κόπος* I, 3, et II, 9.

et praesunt vobis in Domino: προϊσταμένους. - Participium hoc non designat officium *praesidentis* tamquam titulus hierarchicus vel technicus; sed ut alibi adhibetur in sensu suo obvio et communi: *praesse*, ergo *qui praesunt ad gubernationem*. Quinam hi fuerint, scimus aliunde, *presbyteri* scil. communitati praepositi ab Apostolis, ut mox dicetur. *Cfr.* I Tim. V, 17 ubi verbum hoc iungitur cum titulo *πρεσβύτεροι*, *ibid.* III, 4 sq. 12. - In ep. ad Tit. III, 8, 14 pro verbo: *προΐστασθαι* admittitur generaliter sensus: *operam dare*, scil. bonis operibus.

in Domino. - En fons eorum praelationis: auctoritas eorum est a Deo: *ego elegi vos*, Ioh. VI, 71, XV, 16, 19, Act. I, 2, 24. En simul finis eorum gubernationis: ut homines ad Dominum ducantur. *S. Thomas:* vice Domini; *Caiet.:* non tamquam dominantes, sed in Domino tamquam servi Domini Iesu.

et monent vos: νουθετοῦντας, a *νοῦς* et *τίθημι* i. e. in mentem, vel in cor ponere, inculcare. In N. T. tantum apud S. Paulum (7), et Act.

borant inter vos, et praesunt vobis in Domino, et monent vos, 13. ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus il-

13. *Ut...* leg.: *et ut...*
— *cum eis*, probabilius: *inter vos*, cfr. comm.

XX, 31 (verba Pauli); etiam tantum apud Paulum (3) substantivum correspondens: *νουθεσία* (I Cor. X, 11, Eph. VI, 4, Tit. III, 10). Sensum includit instruendi ad correctionem, vel ad poenitentiam, seu corripiendi prout Vg. vertit vers. 14.

Agnoscant ergo inferiores superiorum *grave opus* seu fatigationem. Quod opus magis determinatur sequentibus verbis; - videtur Paulus discipulis ipsum periculum humiliationis velle evitare; - est opus grave seu fatigatio ex *gubernatione*, ex *instructione* et *correptione:* agnoscendo ergo illos, qui ita inter eos laborant tamquam servi Domini, agnoscant eorum auctoritatem, et obediant eorum doctrinae ac monitis.

Prout pulcherrime scribit *Caietanus: " praesse est auctoritatis, laborare operis, monere doctrinae. Hae sunt partes praelatorum "*.

Illi ergo qui laborant, praesunt et docent, sunt *presbyteri* communitatis Thessalonicae, ut I Tim. V, 17 : " Qui bene praesunt presbyteri (*προεστῶτες πρεσβύτεροι*), duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant (*οἱ κοπιῶντες*) in verbo et doctrina ". - Ita S. Paulus constituit per singulas Ecclesias presbyteros (Act. XIV, 23 (vg. 22); et iam ante concilium apostolicum videmus Hierosolymis presbyteros, ad quos ab Antiochia Syriae mittuntur eleemosynae per manus Barnabae et Sauli (Act. XI, 30).

Ergo hic etiam agitur de *presbyteris*, praepositis communitati religiosae; non autem de illis qui se spontanee devovebant pauperibus et infirmis (Armen = und Krankenpflege), prout vult *Dobschütz*, p. 216, qui tamen ad calcem eiusdem paginae fatetur, *opera,* de quibus supra, *postea praesidenti vel episcopo* seu *presbytero incubuisse.* - Si autem postea; petimus, quare non *antea;* quum hi presbyteri = praepositi iam ex Actibus noti sint?

Neque etiam hic agitur de illis qui individuali charismate a Spiritu Sancto donati erant, ut prophetae vel doctores. In hoc casu S. Paulus illos proprio titulo designasset; insuper illi numquam dicuntur aliis *praeesse.* - Ita plerique, inter quos etiam protestantes moderni ut Lightfoot, Bornem., Milligan, Findlay.

13. *ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum*: *καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπερεκπερισσῶς* (alii... *οὗ*) *ἐν ἀγάπῃ* etc.

In Vg. supplenda est coniunctio: *et* ut habeatis...; datur scil. alterum monitum. - Circa *ὑπερεκπερισσῶς* (vel... *σου*) cfr. notam ad III, 10; et pro *ἀγάπη*, I, 3.

Huius moniti duplex sensus est possibilis, secundum quod verbo:

αὐτῶν. εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς. 14. *Παρακαλοῦμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους, παραμυθεῖσθε τοὺς ὀλιγοψύχους,*

ἡγεῖσθαι connectitur immediate vel cum: *ὑπερεκπερισσῶς* (*abundantissime*) vel cum *ἐν ἀγάπῃ*.

In primo casu sensus est: *aestimare eos* quam maxime in charitate; fere ut *εἰδέναι* praecedens, sed cum determinatione: *in charitate*.

In secundo casu sensus est: *tenere illos in charitate*, seu *diligere* quam maxime. Hic agitur de diligendis superioribus ab inferioribus. - Analoga exempla Rom. I, 28; Thucid. II, 18, 5 (apud Dobschütz).

Iam inter SS. PP. habentur auctoritates pro utraque sententia. - Sic v. gr. pro priori sensu, quem tenent *Lightfoot*, *Bornem.* *Milligan*, *Dobsch.*, *Knab.*, iam citari possunt *Ambrosiast.*: ut illis summum honorem habeatis in charitate propter opera illorum; - *Theodt.*: Habete eos in maximo honore, qui sincero affectu eis exhibeatur. - Haec sententia commendatur ordine verborum, et sensu probabiliori *aestimandi* pro *ἡγεῖσθαι*.

Pro posteriori sensu maximus inter graecos commentatores Pauli, *S. Iohannes Chrysostomus*, piissime scribens: " Non solum *Diligite*, inquit, sed *abundantius*, sicut filii patres... Per eos enim generati estis aeterna generatione; per ipsos estis regnum assequuti, per manus ipsorum fiunt omnia, per ipsos vobis portae coelestes aperiuntur... Ita si Christum diligis, si diligis regnum coelorum, agnosce per quos id habueris! „ - Eodem modo, fere ad verbum, *Theophylactus*; et inter recentiores *Ellicott*, *Lünemann*, *Schmiedel*, *Findlay*, *Sales*.

Differentia inter utramque opinionem non est magna, si attendatur etiam in 1° casu (sicut in 2°) vim esse in: *ἐν ἀγάπῃ*; est ergo praeceptum *de diligendis praelatis*. Huius dilectionis additur ratio:

propter opus illorum: *διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν*, i. e. propter opus illorum in vestri commodum, et a Deo ipsis commissum: " Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis: et fructus vester maneat. „ - *Ioh. XV, 16*; cfr. I Tim. V, 17.

pacem habete cum eis - Graece duplex lectio:

1ª - *ἐν ἑαυτοῖς* i. e. *inter vosmetipsos*, pro *ἐν ἀλλήλοις*, ita *Ambrost*: pacem habete inter vos; *Oecum.*, etiam *Estius* hanc lectionem praefert " magis germana videtur. „ - Idem consilium, iisdem fere verbis, apud Mc. IX, 50 (vg. 49); Rom. XII, 18, II Cor. XIII, 11, Eph. IV, 3 sq. - Ita edit. criticae West. - Hort, Nestle, von Soden; et plerique commentatores moderni.

2ª - *ἐν αὐτοῖς*, ita Sin., Cod. Bezae, Chrysost., Theodort.; Vg.: *cum eis*. - Videtur haec lectio orta ex desiderio remanendi in eadem materia, de relationibus scil. inter inferiores et superiores. - Sed similis transitio a particulari ad generale etiam v. 14 et 22 observatur. Caeteroquin lectio *ἐν αὐτοῖς* non pa-

lorum; pacem habete cum eis. 14. Rogamus autem vos, fratres; corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos,

titur interpretationem Vulgatae *cum eis*; talis enim sensus supponeret graece: *μετ' αὐτῶν* (Rom. XII, 18), ut iam Estius notavit; cfr. *Bornem.*, *Milligan*. Si lectio *ἐν αὐτοῖς* admitteretur, sensus esset: *habete pacem* (*in communitate*) *per eorum gubernationem*. Graeci commentatores tamen, legentes *ἐν αὐτοῖς*, textum sicut Vulg. explicarunt. - *Dobschütz* et *Knab.* sensum Vg. tenent. *Bornem.* autem legit *ἐν αὐτοις*, sed cum sensu: *per eorum gubernationem*.

Item *Wohlenberg*, qui seq. modo interpretatur: quaestio praesidentiae non sit vobis in pomum discordiae (*zum Zankapfel*)!

Etsi prima lectio critice sit probabilior, ut iam fatetur *Estius* et recentius *Sales*, lectione tamen Vg. supposita, haec verba *Caietani* notatu digna sunt: " *Tria ergo debent subditi praelatis: honorem, amorem et pacem* „.

Cum plerisque ergo nos legimus: *pacem habete inter vos*.

" Pax, notat *Doctor Angelicus*, nihil aliud est, nisi unitas affectuum. Quos unire est proprium solius Dei, quia per charitatem, quae a solo Deo est, uniuntur corda. Deus enim novit colligere et unire, quia Deus est charitas, quae est vinculum perfectionis. „ (... ad Heb. XIII, 20) - Cfr. etiam supra I, 1.

β. - ad presbyteros, 14-15.

14. *Rogamus autem vos, fratres:* *παρακαλοῦμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί*, cfr. v. 12. - Omnes antiqui commentatores, ut S. Ioh. Chrys., Oecum., Theophyl., S. Thomas, Cai., Estius, et inter modernos Bornemann (*?*), Knabenbauer, Findlay, admittunt sermonem fieri ad doctores vel presbyteros. Hoc quidem non innuitur formula introductoria, quae eadem est ac v. 12, sed ipsis monitis quae praesbyteris tantum competere possunt. Cfr. ad h. l. *Knabenbauer*, qui hanc opinionem bene defendit contra v. Dobschütz.

Cum verbo: *rogamus* = *παρακαλοῦμεν* connectuntur quatuor monita in imperativo; tria prima respicientia curam fratrum in aliquo deficientium, cum quarto vero transimus ad consilia generalia.

corripite inquietos: *νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους*; melius: *monete inordinatos*. - Pro verbo *νουθετεῖν* cfr. v. 12.

Adiectivum *ἄτακτος* hic tantum; derivatum adverbium *ἀτάκτως* II Th. III 6 et 11; verbum demum in eadem ep. II ad Thess. III, 7. - Verbum hoc eiusque derivata alibi in N. T. non occurrunt, numquam leguntur extra epistolas ad Thessalonicenses.

In *primo sensu* adhibentur ut termini militares de illis qui ordinem suum in acie derelinquunt; inde in *sensu morali* de his, quae inordinate fiunt, v. gr. apud *Plat.*: *ἄτακτοι ἡδοναί*, de inordinata sensuum indulgentia (Legg. II, 660 B), et *Xenoph.*, *Oec.* V, 15 ubi *ἀτακτοῦντες* opponuntur illis, *qui faciunt*

ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν, μακροθυμεῖτε πρὸς πάντας. 15. *ὁρᾶτε μή τις κακὸν ἀντὶ κακοῦ τινι ἀποδῷ, ἀλλὰ πάντοτε τὸ ἀγαθὸν*

quae oportet = *τοῖς ποιοῦσιν ἃ δεῖ ποιεῖν.*

Consistitne haec inordinatio in prava operatione, vel, ut iam cap. V, 11-12 notatum est, in defectu seu absentia omnis operationis, i. e. in pigritia (cfr. supra IV 10-12) ?.

Huius ultimi sensus, qui absque dubio in his epistolis melius quadrat, habentur duo exempla in Pap. Oxyr. 275 (a. 66 Chr. n.) et 725 (circa finem saec. 2). Cfr. *Milligan*, p. 153-154.

Atque hunc sensum praecise admittit *Theodoretus* in suo commentario bis; 1° V, 14: *τοὺς ἀτάκτους: τοὺς ἀργίᾳ συζῶντας οὕτως ἐκάλεσεν* (*dissolutos*: viventes in otio ita vocavit); 2°) II Th. III ad v. 10 et 11, ubi revera imponitur ipso contextu. Ad v. 11 scribit Theodt.: " *Otiosorum enim propriae sunt nugae, futilisque loquacitas, et inutilis curiositas.* „ Cfr. infra II Th. III 6, 7, 11.; et supra IV v. 11-12.

Inquieti, quos Paulus corripiendos dicit, sunt otiosi illi fratres, qui anxie exspectantes imminentem parousiam Domini nihil amplius operabantur, sed huc illucque discurrentes, animos pertubabant somniis suis eschatologicis.

consolamini pusillanimes: *παραμυθεῖσθε τοὺς ὀλιγοψύχους.* - Pro *παραμυθέομαι* cfr. comm. II, 12. *Ὀλιγόψυχος* hic tantum in N. T., - aliquoties apud LXX, v. gr. Prov. XIV, 29, XVIII, 14; Is. LVII, 15; ubi etiam substantivum correspondens et verbum occurrunt. - Bene dicuntur *pusillanimes* (parvi animo, flaccessentes), anxii cogitantes instanti parousiae, tum pro fratribus defunctis (IV, 13, 18, V, 11), tum pro propria salute (II Th. II, 2, 13). Ut iam notavit *Theodt.*: " pusillanimes appellavit eos, qui pro mortuis immoderate tristantur. „

suscipite infirmos: *ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν*, etiam illi qui in fide infirmi sunt (III, 3, 5, 10); ita iam S. Ioh. Chrysost. et Theodt.; et comp. pro simili usu Rom. IV, 19, XIV, 1: *infirmum autem in fide assumite;* ibid. *v.* 2; I Cor. VIII, 7-12, IX, 22. - Verbum *ἀντέχεσθαι* adhibetur, apud Synopticos, de homine duobus dominis serviente: " unum sustinebit *vel* uni adhaerebit = *ἑνὸς ἀνθέξεται* „ Matth. VI, 24, et Luc. XVI, 13, cui opponitur: *contemnere, nihil facere.*

Adhuc Tit. I, 9; quater ergo in N. T. - Nostro loco cum notione *sublevandi*, ergo: *sublevate infirmos*, i. e. infirmos in fide.

patientes estote ad omnes: *μακροθυμεῖτε πρὸς πάντας*, iterum a particulari monito transeunt Apostoli ad generale ut v. 14, *cfr. ibi.* Hanc patientiam universalem docet misericors Deus-Christus exemplis suis, ac verbis in parabola de servo debitore Matth. XVIII, 23-35 (cfr. 26, 29); cfr. etiam Luc. XVIII, 7. Haec christiana patientia inspiratur *humilitate* et *charitate;* I Cor. XIII, 4: charitas patiens est; Eph. IV,

patientes estote ad omnes. 15. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini in

2: cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate.

Humilitate habeamus nosmetipsos peccatores maiores caeteris; charitate vero condonemus fratribus in nos peccantibus, et oremus pro ipsis.

Milligan hic citat *Theod. Mops.* (qui etiam haec refert ad presbyteros): " *patientes estote ad omnes*, eo quod hoc necessarium valde est magistris, ita ut non facile desperent propter peccata, patienter vero suam impleant doctrinam, expectantes semper ut discipuli meliores sui efficiantur. „ - SS. PP. autem hic monent, per patientiam confirmari doctrinam, prout Dominus dixit: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Ioh. X, 38. Tali argumento nullus resistere potest; vel si resistit, testimonio propriae conscientiae bis vincitur. - Cfr. II Cor VI, 4, XI, 23 sq. XII, 12, II Tim. II, 14, 24; Tit. III, 2.

15. - *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat* etc. Haec doctrina est essentialiter christiana, atque vivide perculerat animos etiam paganorum; malum est condonandum, imo retribuendum est malum per bonum! Hoc est primum et heroicum praeceptum Domini: lex talionis est suppressa, vindictam sibi reservavit solus sanctus Deus. - Cfr. Matth. V, 39 sq., 44 sq., Luc. VI, 27 sq.: " ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super iustos et iniustos „. Matt. V, 45.

Hoc praecepto *negative* expresso, adiungunt Apostoli *positive: sed semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes.* - Praeceptum generale; pro simili transitu a particulari ad generale, cfr. v. 14. Notandum est: τὸ ἀγαθόν, cum sensu *utilis*, opponi *nocivo. Bonum* absolute vel ethice dicitur τὸ καλόν, *infra* v. 21, (cfr. Lightf.). Ergo omnibus, tum fratribus, tum extraneis oportet benefaciamus, etiam persequentibus nos.

Sed contra, obiicit *S. Thomas*: " Multoties vindicta petitur coram iudice. Respondeo: Sicut actus moralis sumitur secundum intentionem finis, sic ad duo potest esse intentio, *vel* ad malum illius, ita quod quiescat ibi, et hoc est illicitum, quia ex livore vindictae; *vel* ad bonum correctionis seu iustitiae et conservationis reipublicae, et sic non reddit malum pro malo, sed bonum, scil. eius correctionem „.

B. *Monita religiosa.*

Hic etiam primo distingui possunt tria monita omnes individuos respicientia: *gaudere, orare, gratias agere* (16-18); deinde quaedam consilia circa *usum charismatum* (19-22).

Haec tria: gaudium, oratio et gratiarum actio, utique describunt generalem dispositionem animae christianae (*Dobschütz*); tamquam prae-

διώκετε[1] εἰς ἀλλήλους καὶ εἰς πάντας. 16. Πάντοτε χαίρετε, 17. ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε,

18. ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε· τοῦτο γὰρ θέλημα θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ εἰς ὑμᾶς.

[1] S † καὶ *inter par.*

cepta autem hic repetuntur cum relatione ad *speciales* conditiones Thessalonicensium.

α) Gaudium, oratio et gratiarum actio, v. 16-18.

16. *Semper gaudete.* - Supra, cap. I, 6, (*cfr. ibi*), discipulos iam laudarunt Apostoli propterea quod receperunt verbum Dei *in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti.* Volunt ergo Apostoli ut *semper* gaudeant, etiam inter tribulationes, nitentes spe salutis quam Christus nobis acquisivit sanguine suo (V, 9-10). - Passio Christi ideo, et inde resultans spes nostrae salutis, est fons gaudii spiritualis nostri; etsi alias ob rationes, etiam ut christiani, lugere debeamus, ob peccata scil. nostra, quae causa fuere mortis Christi. - Haec antithesis inter christianorum gaudium et compunctionem pluries apparet in epist. paulinis, cfr. Rom. XII, 12 sq., II Cor. VI, 10: *quasi tristes, semper autem gaudentes.* - Idem consilium gaudendi dat Apostolus Philippensibus: II, 18, III, 1, IV, 8: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Tale autem gaudium in Domino revera est perfectio caritatis, probat enim nos libenter pro Iesu pati (cfr. v. gr. I, 6, II, 14, III, 2 sq.); sicut etiam supponit perfectionem spei (IV, 13) et fidei nostrae (comp. Rom. VIII, 18). Verba ipsa Iesu hoc gaudium docent, Matth. V, 12, Luc. VI, 23, X, 20; praecipue apud Iohannem XIV, 28, XV, 11, XVI, 20 sq., XVII, 13 etc... - Cfr. *Pastor Hermae, Mand.* X, 3.

Ut autem notavit *Ramsay*, hoc gaudium ex ipsis nominibus propriis fidelium primitivae ecclesiae elucet: *Victor*, *Nice*, *Gaudentius*, *Gaudiosus*, *Hilaris*, *Hilaritas* (cit. apud Milligan; - cfr. supra *de spe* christianorum, in monumentis sepulcralibus, IV, 13). - Ex amore procedit gaudium. Quis ergo magis gaudere potest quam qui Deum, Summum-bonum, amat et amando possidet! Haec vita nostra in Deo et Iesu est libamentum paradisi: dove il gioir s'insempra! - *Dante*, Parad. X, 148. - Cfr. *S. Thom.* IIª IIᵃᵉ, q. 28.

17. *Sine intermissione orate.* - Pro ἀδιαλείπτως cfr. I, 2.

Gaudium in Domino sustinet ac inspirat orationem ad Dominum; gaudentes enim et confidentes petemus ut semper simus participes beneficiorum Dei, et ob accepta beneficia gratias incessanter agemus Deo.

Idem praeceptum pluries dedit Christus, Luc. XVIII, 1: *Oportet semper orare et non deficere.* - Hic probabiliter ab Apostolo repetitur cum prospectu in parousiam sicut

invicem, et in omnes. 16. Semper gaudete. 17. Sine intermissione orate.

18. In omnibus gratias agite; haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.

18. *in omnibus vobis,* graece: *in omnes vos.*

apud Luc. XXI, 36: " Vigilate omni tempore orantes, quia veniet fur in nocte „; Marc. XIII, 33: " Videte, vigilate, et orate: nescitis enim quando tempus sit „. - Cfr. Rom. XII, 12, Eph. VI, 18, Col. IV, 2.

Haec oratio *continua* non fit motis aliquando labiis, sed corde semper unito Deo, etiam quando exequimur alia opera nobis a Deo imposita. Nam tunc semper oramus, quando semper gratum Deo exhibemus obsequium. Prout dicit Glossa ad h. l.: " semper iuste vivite et aeterna desiderate. Iustus nunquam desinit orare, nisi desinat iustus esse. Semper orat qui semper bene agit. Ipsum enim desiderium bonum, oratio est; et si continuum est desiderium, continua est oratio „.

Huius continuae orationis Christus divinum nobis praebuit exemplum; toties enim dicitur: secedere et orare, noctem in orationem transigere, praecipue in ev. sec. Lucam; cfr. Mc. I, 35, Matth. XIV, 23 = Mc. VI, 46; - Luc. III, 21, V, 16, VI, 12, IX, 18, 29, XI, 1, XXII, 41 (Matth. XXVI, 39, Mc. XIV, 35), XXIII, 34, 46 (cfr. *Plummer, S. Luke*[2] p. XLV).

Pro exemplo autem Pauli recordemur tantum allusionum ad orationem in hac I Ep. ad Thess.: I, 2, II, 13, III, 9-10, 11-13, V, 23.; ex omnibus suis epistolis apparet S. Paulus, maximus Apostolus, ante omnia fuisse vir orationis et interioris vitae. De apostolico Patre nostro, S. Dominico, refertur: " quod consuetudo sua erat, ut de Deo vel cum Deo semper in domo, et extra domum, et in via loqueretur: et ad hoc idem hortabatur fratres, et etiam in constitutionibus suis posuit „. *Annal. ord. praed.; App. col. 125.*

18. *In omnibus gratias, agite.:* ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε. - Pro usu et sensu huius verbi apud S. Paulum, cfr. I, 2; pro substantivo derivato, III, 9. - Expressio ἐν παντί probabiliter cum sensu *temporali* adhibetur: ἐν παντὶ καιρῷ (Eph. VI, 18), sicut praecedentia πάντοτε et ἀδιαλείπτως; vel cum sensu *obiectivo:* in omnibus circumstantiis sive prosperis, sive adversis, I, 6, II, 14, III, 3.

Saepe hanc universalem et incessantem gratiarum actionem commendat Apostolus, Rom. XIV, 6-8. Eph. V, 20, Phill. IV,6, Col. III, 17, In vita S. Pauli, tam a Christo dilecti et cum Christo semper viventis, haec gratitudo erga Deum est virtus characteristica, prout iam dictum est I, 2.

Haec gratiarum actio est humilis recognitio bonitatis Dei Eiusque universalis dominii, ac nihil magis decet creaturae, Rom. XIV, 7-9; II Cor. IV, 15, IX, 11-15.

19. *τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε,*
20. *προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε·*
21. *πάντα δὲ δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε·*

haec est enim voluntas Dei: τοῦτο γὰρ θέλημα θεοῦ. - Circa vocem *θέλημα* cfr. IV, 3. - Haec probabilius referuntur ad tria praecedentia praecepta, quae inter se connectuntur (Estius, Dobschütz); non est enim ratio cur ad ultimum v. gr. restringantur (ut Oecum., Theophyl.).

in Christo Iesu. - Determinatur quare haec sit voluntas Dei *erga vos*, inquantum scil. estis Christi, seu christiani (ita Dobschütz). Alii dicunt hanc esse voluntatem Dei erga nos *in Christo Iesu*, quia scil. Christus manifestavit nobis voluntatem Dei (Ioh. I, 18), vel quia constitutus est *omnium Dominus* ut Filius Dei (Ioh. I, 3) et ut Redemptor glorificatus (Rom. XIV, 9, Act. II, 36, Phil. II, 9-11), vel demum quia per Christum actiones nostrae acceptae sunt Deo. (Rom. V, 8-11, II Cor. V, 18-19, Eph. II, 16, Col. I, 20-22).

β. - de usu charismatum, 19-22.

19. *Spiritum nolite extinguere: τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε.*

Spiritus posset intelligi de omni dono spirituali, et quidem de gratia sanctificante, ut v. gr. Eph. IV, 30: " nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis „. De hac gratia, ni fallimur, intelligendus est *S. Ioh. Chrysostomus* qui addit: eam autem extinguit vita immunda - Sed propter ea quae sequuntur circa prophetias, melius *Spiritus* hic sumitur pro gratiis gratis datis seu *charismatibus*, de quibus praecipue I Cor. XII-XIV; ita iam Theophyl. et omnes moderni exegetae. Sicut apud Corinthios, ita apud Thessalonicenses manifestatio charismatum forte iam ab Apostolo fuerat ordinata (cfr. l. cit. XIV, 23 sq.); sed inde orta est nimia reactio... quapropter nunc dicit Paulus: *Spiritum nolite extinguere*, i. e. charismata nolite supprimere. - Pro speciali charismate ex impositione manuum, II Tim. I, 6: " admoneo te ut resuscites (*tamquam flammam*, prout graece *ἀναζωπυρεῖν*) gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum „.

Figura *extinguendi* (opp : *ἀναζωπυρεῖν*, II Tim. I, 6) pulchre adhibetur, quando agitur de Spiritu, qui comparatur *igni* vel *luci*, v. gr. Act II, 3 = Matth. III, 11, Luc. III, 16,; Act. XVIII, 25 = Rom. XII, 11.

Haec imago pulcherrime evolvitur in liturgia, v. gr. in Sequentia Missae Pentecostes:

Veni Sancte Spiritus
et emitte coelitus
lucis tuae radium.
Veni *lumen cordium...*
O Lux beatissima,
reple cordis intima
tuorum fidelium!...

20. - *Prophetias nolite spernere: προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε.* Vox grae-

19. Spiritum nolite extinguere.
20. Prophetias nolite spernere.
21. Omnia autem probate: quod bonum est tenete.

ca *προφήτης* non designat exclusive virum qui *ante tempus* eventus futuros praedicit, sed qui *loco alii* loquitur, Exod. VII, 1 = IV, 16. Apud Graecos paganos designat oraculorum interpretem. Septuaginta hac voce vertunt heb.: *nabî*.

Verbum *ἐξουθενέω* (*οὐθέν* = *οὐδέν*: *nihili facere*) apud Lucam tantum (2 in Ev., 1 in Act.) et S. Paulum (8) in Novo Test. Apud Marcum IX, 12 lectio *ἐξουδενέω* praefertur a W. H., et Von Soden; Tisschendorf autem et Nestle etiam ibi legunt *ἐξουθενέω*.

Ex hoc textu sequitur Thessalonicenses, sicut Corinthios, hoc charisma *prophetiae* nihili fecisse, quum e contra secundum S. Paulum esset optimum, I Cor XIV, 1: aemulamini spiritualia, *magis autem ut prophetetis;* atque paulo infra iterum addit: *fratres aemulamini prophetare*, v. 39.

De natura huius doni cfr. commentatores ad I Cor. XII-XIV.

Datur cum effuso Spiritu Sancto, Act. II, 17, XIX, 6; quoad scopum huius charismatis scribit Paulus: " qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, et exhortationem, et consolationem „, I Cor. XIV, 3; si infidelis autem testis fit prophetiae: " convincitur ab omnibus (prophetantibus), diiudicatur ab omnibus: occulta cordis eius manifesta fiunt: et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit. „ I Cor. XIV, 24-25.

Prophetia in Novo Testamento est ergo simul laus Dei (I Cor. XI, 4-5), manifestatio mysteriorum Dei (I Cor. XIV, 3), praedictio eventuum futurorum (Act. XI, 27-28, (II Petri I, 20-21), Apoc. I, 1-3 et *passim*, XXII, 6, 7); et secretorum cordis revelatio (I Cor. XIV, 24-25).

21. *Omnia autem probate: πάντα δὲ δοκιμάζετε.* - Pro verbo *δοκιμάζειν*, quod proprie de examinando metallo, auro vel argento, dicitur, cfr. II, 4 - Non omnia quae *videntur* a Spiritu esse, vere a Spiritu sunt; hanc veritatem optime illustrat dictum Christi de pseudo-prophetis Mc. XIII, 22. Simili modo S. Iohannes in I Ep. sua scribit IV, 1: " carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum „. Apud Thessalonicenses autem, quidam falsas visiones et revelationes allegabant ad praedicendam imminentiam diei Domini, II Th. II, 1.

Ad discernendos spiritus datum est charisma speciale: *διάκρισις πνευμάτων*, de quo in I Cor. XII, 10. - Loco praecitato I Ioh. IV, additur verbum de modo discernendi spiritum, v. 2-3.

Videtur hic iterum S. Paulus transire a particulari ad universale, prout innuitur hac voce: *omnia.* Verba: *omnia probate* non sunt

22. *ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε.*

23. *Αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς, καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως*

ergo restringenda ad sola dicta prophetarum, sed *his inclusis* considerantur omnes actiones virtuosae faciendae, et malae vitandae. Talis transitus est omnino naturalis, praecipue ad finem exhortationis. Contra v. Dobschütz, qui *omnia* ad sola charismata restringit.

In hac sententia verba: *omnia probate* intelligenda sunt *etiam* de renuntiando spiritu fallaci huius saeculi, de reformatione morum secundum Spiritum Veritatis et de aspiratione ad semper meliora, cfr. Rom. XII: " nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta „ ; Phil. I, 10 : " ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa (*inculpati*) in diem Christi „.

— Huic dicto: *omnia probate* - quae expressio supponit imaginem sumptam de examinando auro vel argento - huic dicto, inquam, connectitur a *Cyrillo Alexand.* (*ter* in eius scriptis) et a *Dionysio Rom.* aliud dictum, tamquam paulino-apostolicum - seu *agraphon* - quod ita sonat: " *γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται = estote boni nummularii* „, et tunc sequitur : " quod bonum est (*numisma*) tenete etc. „ - Cfr. *Preuschen* Antilegomena[2] p. 27 et p. 153; *Resch*, Agrapha[2] (Texte und Unters. N. F. XV) p. 112, praecipue p. 116.

quod bonum est tenete: *τὸ καλὸν κατέχετε*. - Verbum *κατέχω* = detineo, cum sensu impediendi (II Thess. II, 6 sq.); nostro loco pro *firmiter tenere, servare* in sensu morali *observandi*; qui enim malum facit, censetur *perdere* bonum.

Quando *τὸ καλόν* de bono morali adhibetur, significat bonum verum ut oppositum bono apparenti, genuinum ut app. spurio. Hic tantum ista vox in ep. ad Thess. occurrit, numquam in epistolis 1[ae] captivitatis seu ad Eph., Phil., Col.; semel tantum in Act., et quidem in nomine proprio (XXVII, 8); itidem nec semel in epist. Ioh. eiusdemque Apocalypsi. Notant vero hoc adiectivum in I ad Tim. (6 tantum capitibus constante) toties occurrere ac in omnibus praeced. simul (16 vicibus). - E contra *ἀγαθός* (significans *utile* ut opp. *nocivo* cfr. supra v. 15) in sola ep. ad Romanos fere toties occurrit (21) ac in caeteris simul (26, Heb. 3).

22. *Ab omni specie mala abstinete vos*: *ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε*. - Iam notetur articulus ante *καλόν*, ac si *unicum* esset, *πονηρόν* autem determinatur verbis: *παντὸς εἴδους* ac si *multiplex*. Bonum enim ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu, sec. illud *Aristotelis*, Eth. Nic. II, 5, 14, *ἔτι τὸ μὲν ἁμαρτάνειν πολλαχῶς ἐστὶν... τὸ δὲ κατορθοῦν μοναχῶς*. - Pro verbo *ἀπέχεσθαι*, cfr. notam ad IV, 3.

22. Ab omni specie mala abstinete vos.

23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in ad-

22. *specie mala*, probabilius: *specie mali*, cfr. comm.
23. *per omnia*, Ambrostr. addit: perfectos.
— *sine querela* = *inculpate*, supra II, 10.
— *in adventu...*, legendum: *pro adventu, vel in adventum.*

In hac phrasi S. Pauli duo sunt dubia: 1°) sensus vocis εἴδους; 2° usus πονηροῦ: Estne adiectivum qualificans εἴδους; vel adiectivum substantive adhibitum?

Quantum ad *secundum*. Utrumque a priori est possibile. Secundum Vulg. est adiectivum: *species mala*, ita etiam Lightfoot, Dobschütz. - Sensus autem abstractus, pro πονηρία, forte melius quadrat cum praecedenti ubi καλόν etiam abstracte sumitur tamquam substantivum: omne *bonum* tenete, ab omni *malo abstinete*. - Absentia articuli ante πονηροῦ frequentior est, ut possit facere difficultatem. *Milligan* citat LXX, Gen. II, 9, Heb. V, 14, et Didache III, 1. *Findlay* autem hanc regulam citat: apud Platonem neutrum singulare anarthricum pro notionibus abstractis frequenter occurrit.

Quantum ad *primum*, seu de sensu εἴδους. - Vox εἶδος alibi occurrit quater in N. T. scil.: Luc. III, 22, IX, 29, Ioh. V, 37, II Cor. V, 7 cum sensu *apparentiae* vel *exterioris formae*. - Praeter hunc sensum habetur alius, quasi philosophicus, seu *speciei;* qui etiam extra classicos auctores legitur, v. gr. *Fl. Ios.* Antiq. VII, 4, 2: πᾶν εἶδος μέλους = *omne genus carminis;* X, 3, 1: πᾶν εἶδος πονηρίας = *omne genus iniquitatis;* et etiam in usu populari frequens erat, prout apparet ex papyris (cfr. Milligan). - Hic sensus ergo bene probatur; ac si admittitur, tunc evidenter πονηροῦ est substantive adhibitum.

Sensus ergo probabilior est: *ab omni specie mali* (i. e. *a quocumque malo) abstinete vos.*

IV. - *Oratio ad Deum*, V, 23-24.

Haec pericope parallela est cum III, 11-13, cfr. ibi. - Itaque Apostoli utramque partem huius epistolae concludunt cum oratione ad Deum, ut, Eius gratia, Thessalonicenses in sanctificationem progrediantur, et in die Domini parati inveniantur: " *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus* „ I Cor. III, 7.

" Vide doctoris benevolentiam: post admonitionem preces quoque subiungit, non solum sermone, sed etiam in litteris: opus est enim et consilio et precibus „. *S. Ioh. Chrys.*

23. - *Ipse autem Deus:* αὐτὸς δὲ ὁ θεός, ita quater Apostoli deprecationem incipiunt in epistolis ad

ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τηρηθείη.
24. *πιστὸς ὁ καλῶν ὑμᾶς, ὃς καὶ ποιήσει.*

Thessal., III, 11, hic, II Th. II, 16, III, 16.

Deus pacis. - In conclusione epistolarum S. Pauli frequens est hic titulus, Rom. XV, 33, XVI, 20, II Cor. XIII, 11, Phil. IV, 9, I Th. V, 23, II Th. III, 16, Hebr XIII, 20 (ad h. l. epist ad Heb. cfr. S. Thomam). - Talis autem conclusio deprecativa ad Deum optime correspondet salutationi initiali consuetae ep. Pauli: *gratia et pax*; cfr. *notam* ad I, 1. Atque in hac nostra epistola talis allusio ad pacem divinam ratione speciali explicatur, propter anxiam scilicet exspectationem imminentis parousiae Domini. - Circa *pacem* cfr. notas I, 1 et V, 13.

sanctificet vos per omnia = *ἁγιάσει ὑμᾶς ὁλοτελεῖς*, Ambrost.: *per omnia perfectos.* - Adiectivum *ὁλοτελής* in N. T. est hapax legomenon; apud Plut., in versione Aquilae Deut. XIII, 17 et apud scriptores ecclesiasticos legitur.

Simul designat *totalitatem* et *perfectionem* sanctificationis; primitivus sensus tamen est quantitativus *totalis*, ex quo sequitur in nostro textu sensus qualitativus intentus: *omnibus virtutibus vos cumulet et perficiat.* Verbum enim *sanctificet* hic non restringitur nec ad specialem virtutem ut IV, 3, sq., nec ad initialem sanctificationem per gratiam ut Rom XV, 16, Eph. V, 26; sed extenditur ad perfectionem animae *per omnes virtutes*.

ut (*leg. et*) *integer spiritus* etc.. = *καὶ ὁλόκληρον*. - Iac. I, 4 idem adiectivum occurrit simul cum *τέλειος*. Hoc ultimum, sicut praecedens *ὁλοτελής* potius perfectionem internam describit; illud autem, seu *ὁλόκληρος*, omnimodum aspectum rei, sensus esset: *omnibus partibus* suis constans. - Ergo hic etiam sensus primitivus videtur esse quantitativus, connotatur vero ac formaliter intenditur sensus qualitativus. - Substantivum correspondens *ὁλοκληρία* legitur in Act. III, 16.

Apud LXX adiectivum *ὁλόκληρος* adhibetur de lapidibus ferro non tactis, Deut. XXVII, 6, Ios. IX, 4 (vg. VIII, 31), I Macch. IV, 47; apud Phil. et Ios. de corpore maculae et vitii experte, sive sacerdotum, sive victimarum. Unde sensus moralis: *sceleris expers*, *integer* (Vg).

Adiectivum iungendum est cum *τηρηθείη* et applicandum his tribus *spiritui*, *animae* et *corpori*, etsi quoad genus, propter attractionem, primum sequatur; similiter pronomen *ὑμῶν* ad haec tria extendendum est.

spiritus vester et anima et corpus: τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα. - Ex hac triplici enumeratione aliqui voluerunt *trichotomiam* probare, vel supposuerunt saltem Paulum admisisse hominem constare tribus partibus: corpore, anima inferiori seu sensitiva, et anima superiori seu intellectiva ac spirituali.

ventu Domini nostri Iesu Christi servetur. 24. Fidelis est, qui vocavit vos: qui etiam faciet.

24. *qui vocavit vos*, graece: *vocans, qui vocat vos.*

Sed Apostolus manifeste non loquitur secundum aliquod systema philosophicum, - eo vel minus quod trichotomiam docuerunt tantum neoplatonici. Apostolus hic utitur consueta terminologia semitica, et quidem illa tria considerat *sub aspectu morali:* ut integra seu sancta et perfecta coram Deo inveniantur...

Quid ergo his verbis significatur? De *corpore* nihil est dicendum, est enim sedes sensuum, quorum *actiones in corpore* dirigendae sunt secundum legem Dei in virtutes; nunc cohibendi sunt a malo, tunc incitandi ad bonum. - *Anima* = ψυχή est principium huius vitae sensitivae et energiae exterius se manifestantis. - *Spiritus* = πνεῦμα est principium vitae superioris, quo ad invisibilem ordinem pertingimus ac pertinemus. - Sicut corpore communicamus cum terra, ita per πνεῦμα communicamus cum ordine invisibili spirituum et cum Deo.

Haec tria *per se* non dicunt aliquid morale, non includunt principium moralitatis, sed in virtutem moralem dirigenda sunt. Principium unde oritur omnis responsabilitas moralis, secundum linguam Pauli, est *cor.* - *Conscientia* autem (συνείδησις) residet in unoquoque nostrum ut iudex actionum nostrarum. Cfr. *Westcott:* Hebrews³ p. 117.

sine querela: ἀμέμπτως, cfr. ad II, 10: *inculpate.* Additur hoc adverbium ad augendam notionem perfectionis et sanctitatis.

in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur: ἐν τῇ παρουσίᾳ etc.. Particula ἐν in lingua hellenistica saepe stat pro εἰς, ita h. l.

Hic autem non significat *usque ad* (Phil. I, 6), sed potius *pro;* indicat scil. scopum temporalem, i. e. tempus *parousiae* quo inveniendi sunt discipuli, secundum votum Apostoli, sancti et perfecti. - In Vg. ergo legatur: *in adventum...*

24. *Fidelis est.* - En quare Apostolus firmiter speret adimpletionem voti sui pro Thessalonicensibus. Deus vocavit et admisit eos ad fidem; Ipse opus suum perficiet gratiis et virtutibus eos cumulando, secundum istud ad Philipp. I, 6: " Confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu „.

qui vocavit vos: ὁ καλῶν ὑμᾶς. - Intelligitur sine dubio de Deo, atque verbum *vocare* apud Paulum adhibetur, sicut *eligere*, de vocatione efficaci ad fidem, cfr. supra I, 4. *Prat:* Théol. de St Paul, I, p. 344. - Legitur autem participium praesens loco aoristi, quia consideratur *Deus* in se ut *vocator*, potius quam actus quo olim Thessalonicenses vocavit, cfr. ad II, 12.

Saepe invocat Paulus attributum fidelitatis Dei, quo maior vis addatur verbis suis: I Cor. I, 9, X, 13; II, Cor. I,

25. *Ἀδελφοί, προσεύχεσθε*[1] *περὶ ἡμῶν.*

26. *Ἀσπάσασθε τοὺς ἀδελφοὺς πάντας ἐν φιλήματι ἁγίῳ.* 27. *Ἐνορκίζω ὑμᾶς τὸν κύριον ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴν πᾶσιν τοῖς*[2] *ἀδελφοῖς.*

[1] S † *καὶ.* [2] S † *ἁγίοις inter par.*

18; (I Th. V, 24) II Th. III, 3, II Tim. II, 13; Heb. X, 23, XI, 11. - Cfr. adhuc I Ioh. I, 9; *Christus fidelis et verus*, Apoc. I, 5, III, 14. XIX, 11.

qui etiam faciet. Non solum vos vocavit et admisit ad fidem, sed etiam dabit quae ad vestram sanctitatem et perfectionem necessaria sunt, secundum *vota nostra*, ut in die adventus Domini digni inveniamini regno Dei.

Epilogus - V, 25-28.

Complectitur salutationem (25-26), mandatum publice legendi epistolam (27) et benedictionem (28).

25. *Fratres, orate pro nobis: ἀδελφοί προσεύχεσθε (καὶ) περὶ ἡμῶν.* Si cum B, D, et comment. graecis, quos sequitur *Soden*, legitur *καὶ* ante *περί*, tunc supponitur reciprocitas orationis: *sicut nos oramus pro vobis (ut audistis), ita et vos orate pro nobis.* - Omittitur a Nestle cum Sin., A et aliis. Forte omissa est haec brevis particula, quia abest in textibus analogis. - Pro simili petitione ergo cfr. Rom. XV, 30, Eph. VI, 18-19, Phil. I, 19, Col. IV, 12, Heb. XIII, 18; - etiam II Th. III, 1.

" Quanta humilitas! exclamat iure merito *S. Ioh. Chrys.*; S. Paulus in omni suo robore supernaturali ac plenus donis Christi, se semper sentiebat dependentem a gratia Spiritus Sancti, quam et discipuli pro magistro a Deo petere debent „.

S. Paulus incipiens epistolas suas frequenter dicit, se pro discipulis semper orare ad Deum (cfr. supra ad I, 2); huic ergo introductioni bene quadrat conclusio, in qua seipsum commendat discipulorum orationibus.

26. *Salutate fratres omnes in osculo sancto: ἀσπάσασθε τοὺς ἀδελφοὺς πάντας ἐν φιλήματι ἁγίῳ.* - Nihil nobis innuit verba haec esse restringenda, v. gr. ad solos presbyteros, qui ideo, nomine Pauli, salutare deberent omnes fratres... Haec verba: *τοὺς ἀδελφοὺς πάντας* probabiliter stant pro verbo ordinario, in eodem contextu: *(vos) invicem = ἀλλήλους*, Rom. XVI, 16, I Cor. XVI, 20, II Cor. XIII, 12. His locis etiam occurrit eadem pulchra christiana expressio: *osculum sanctum;* in I Petri V, 14: *ἐν φιλήματι ἀγάπης = in osculo dilectionis christianae.* " *Ex hoc sermone*, aliisque nonnullis similibus, mos ecclesiis traditus est, ut post orationes osculo se invicem suscipiant fratres. Hoc autem osculum *sanctum* appellat Apostolus. „ *Orig.*, ad Rom. XVI, 16.

De usu liturgico osculi in primitiva ecclesia, cfr. *Dict. d'Arch.*

25. Fratres orate pro nobis.

26. Salutate fratres omnes in osculo sancto. 27. Adiuro vos per Dominum, ut legatur epistola haec omnibus sanctis fratribus.

27. Del. *sanctis (?)*

chrét. et de Liturgie II, p. 117 sq. Testatur iam *S. Iustinus* in I Apol. LXV, 2: " finitis orationibus, christianos se invicem salutare osculo: *ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν* „. *Clemens Alex.* de usu simul et modo huius osculi scribit: " Dilectio autem non in osculo censetur, sed in benevolentia. Illi autem nihil aliud osculo quam ecclesias conturbant, cum ipsam non habeant intus amicitiam. Etenim hoc utique turpem movit suspicionem et maledicentiam, quod impudenter osculo uterentur, quod esse oportebat mysticum. Id *sanctum* vocavit Apostolus „. P. G. VIII, p. 659-660.

Osculum dabatur in ipso sacrificio, et adhuc hodie datur in missa solemni. Audiatur *S. Augustinus:* " Ubi est peracta sanctificatio dicimus orationem dominicam... Post ipsam dicitur, *Pax vobiscum:* et osculantur se Christiani in osculo sancto. Pacis signum est: sicut ostendunt labia, fiat in conscientia. Id est, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum a corde eius non recedat „. - Sermo 227 - P. L., 38 col 1101.

Epistolae papyraceae habitualiter terminantur cum eodem verbo *ἀσπάζεσθαι*, cfr. *Arm. Robinson*, op. cit., p 280.

27. *Adiuro vos* etc. = *ἐνορκίζω ὑμᾶς τὸν κύριον*. - Verbum *ἐνορκίζω* ut *ὁρκίζω* (quod Mc. V, 7 et Act. XIX, 13 legitur) cum duplici accusativo construitur. Hic tantum legitur in N. T.; est probabiliter forma intensiva simplicis *ὁρκίζω*.

ut legatur etc. = *ἀναγνωσθῆναι*. Paulus imponit lectionem publicam alta voce, prout consuetum erat in Synagogis pro lectione Legis et Prophetarum (*Schürer II* [4] p. 531), Luc. IV, 16 sq., Act. (VIII, 28-30) XIII, 27, XV, 21, II Cor. III, 15. Analogum praeceptum dat Apostolus scribens ad Colossenses IV, 16. "Et cum lecta fuerit apud vos Epistola haec, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur: et eam, quae Laodicensium est, vos legatis „.

omnibus sanctis fratribus. - Graece Nestle omittit: *sanctis*; von Soden e contra hoc inter parentheses ponit. Pro utroque textu habetur idem pondus auctoritatis criticae. Adiectivum retinent PP. Graeci, sicut etiam nostra Vulgata. Haec tamen compositio *sancti fratres*, ad designandos christianos, qui a S. Paulo vocantur disiunctive vel *sancti*, vel *fratres;* haec compositio, inquam, unica esset; cfr. Eph. III, 5, Heb. III, 1.

Tam solemnis adiuratio "*per Dominum ut legatur epistola omnibus*

28. Ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μεθ' ὑμῶν [1].

[1] S † ἀμήν *inter par.*

fratribus „ suspicionem aliquibus suggessit, Paulum timuisse ne presbyteri hanc epistolam laicis subtraherent. Sed ita supponitur quaedam discordia inter presbyteros et fideles, cuius nullum vestigium in hac epistola deprehenditur. - Alii dicunt Paulum forte timuisse abusum nominis et auctoritatis suae, prout revera accidit, II Th. II, 2, III, 17; et ideo voluit ut authentica sua doctrina nota fieret toti ecclesiae.

Tales autem suppositiones videntur gratuitae vel saltem non sunt necessariae. Paulus hoc mandatum dedit ob magnum momentum epistolae suae, qua se defendit contra irrequietos adversarios, et discipulos suos instruit circa sortem dormientium ante adventum Domini; - quae quaestiones ecclesiam Thessalonicae valde turbaverant. - Natura ergo informationum quas Timotheus, Thessalonica revertens, Paulo attulerat, sufficienter explicat illam instantem obiurgationem. Imo una epistola Apostoli non sufficiet ad pacandos animos, altera requiretur. - Notetur demum hanc esse primam apostolicam Epistolam ad ecclesiam aliquam, non ad membra individua huius ecclesiae, sed ad totam communitatem, unde communicanda erat lectione publica et quasi - liturgica toti ecclesiae: haec erit vox et doctrina absentis Apostoli, Doctoris et Patris.

28. *Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum.* - Haec est typica conclusio epistolarum S. Pauli: Rom. XVI, 20 (24?); I Cor. XVI, 23, II Th. III. 18. - Bene quadrat cum habituali salutatione initiali epistolarum, cfr. ad I, 1.

Brevior conclusio paulina: ἡ χάρις μεθ' ὑμῶν = *Gratia vobiscum*, occurrit Col. IV, 18, I Tim. VI, 21, II Tim. IV, 22, Tit. III, 15 (addito πάντων ut) Heb. XIII, 25.

Diversis modis ampliatur haec apostolica benedictio; Gal. VI, 18, Philipp. IV, 23, Philm. 25, addito: μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν; alio modo Eph. VI, 24; magis evoluta demum cum formula trinitaria II Cor. XIII, 13: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, et caritas Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.*

Ubi autem Christi gratia est, bona omnia comitantur. *Oecum.*; cfr. S. Thom. ad. I, 1.

Formula valedicendi in epistolis papyraceis fere semper est sequens: ἔρρωσο (ἐρρωσθε) vel ἐρρῶσθαί σε (ὑμᾶς) εὔχομαι, ita etiam in apostolico decreto Act. XV, 29. - (?) XXIII, 30. Cfr. *Arm. Robinson* op. et l. cit., p. 281.

Amen probabiliter ex usu liturgico additum, ut supra III, 13. In Synagoga ad diversas orationes et ad benedictionem sacerdotis respondebat populus unanimi voce: *Amen*, i. e. *firmum, ita* sit.

28. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen.

28. Del. *Amen*, cfr. comm.

Haec Magni Apostoli benedictio etiam veniat super nos, est enim et Apostolus noster; ita pie THEODORETUS: "Hanc nos quoque consequamur: consequemur autem, si voluerimus. Est enim omnium nostrum apostolus et doctor, qui hanc tradidit benedictionem. Si ergo latas leges servamus, et legislatoris etiam benedictionem metemus, in Christo Iesu Domino nostro, cum quo Patrem cum sanctissimo Spiritu decet gloria et magnificentia, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen „

Subscriptio.

Sicut inscriptio I, 1 (cfr.) ita subscriptio, quae varia in variis cod. occurrit, non est authentica. Sin, Vat.: *προς Θεσσαλονικεις α'*; recentiores codices praefigunt: *ετελεσθη*; alii addunt: *εγραφη απο Αθηνων*, vel *απο Κορινθου*, vel *απο Λαοδικειας, ητις εστιν μετροπολις Φρυγιας*, vel *απο Μακεδονιας*. - Cfr. *Soden: Die Schriften des N. T.* I, 1, p. 300; cfr. etiam supra p. 13-14.

COMMENTARIUS

IN

POSTERIOREM EPISTOLAM AD THESSALONICENSES

ANALYSIS

EPISTOLAE SECUNDAE AD THESSALONICENSES

Salutatio, I, 1-2.

PARS PRIOR: *historica et dogmatica* . . . . I, 3-II, 17

1. — Gratiarum actio, I, 3-12.
2. — De signis praecursoriis parousiae, II, 1-1.
3. — Gratiarum actio et exhortatio, II, 13-15.
4. — Oratio, II, 16-17.

PARS POSTERIOR: *paraenetica* . . . . . III, 1-16

1. — Mutua intercessio, III, 1-5.
2. — Adversus ambulantes inordinate, III, 6-12.
3. — Consilia pro bonis, III, 13-15.
4. — Oratio, III, 16.

Salutatio et benedictio, III, 17-18.

ΠΡΟΣ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΙΣ Β

EPISTOLA

BEATI PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES

SECUNDA.

I, 1. *Παῦλος καὶ Σιλουανὸς καὶ Τιμόθεος τῇ ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων ἐν θεῷ πατρὶ ἡμῶν καὶ κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ·* 2. *χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς [ἡμῶν]* [f] *καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

3. *Εὐχαριστεῖν ὀφείλομεν τῷ θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἀδελφοί, καθὼς ἄξιόν ἐστιν, ὅτι ὑπεραυξάνει ἡ πίστις ὑμῶν καὶ πλεο-*

[1] N. ed. 2 et S. — *ἡμῶν.*

Salutatio, I, 1-2.

Salutatio haec eadem est ac in priori epistola, duobus tantum exceptis: *Primo,* in versu primo post verba: *in Deo Patre* additur *nostro,* quo Deus designatur ut pater *noster,* non formaliter pater Christi sed christianorum; *secundo* post verba: *gratia vobis et pax,* additur (sicut in caeteris epist. paulinis, I ad Th. excepta, cfr. p. 59): *a Deo Patre et Domino Iesu Christo.* - Haec verba indicant fontem simul et naturam *gratiae et pacis,* quas Apostoli optant discipulis suis: non est mere *χαίρειν* graecorum, nec mere *shalom* hebraicum, bona votaque humana et temporalia; sed bona Christi spiritualia et aeterna: *gratia,* i. e. fons, *pax* i. e. corona omnium Christi donorum, quae tempus et aeternitatem amplectuntur. Sublimis est ideo haec salutatio christiana. - Cfr. I, 1, 1.

Etiam in v. 2 additur post: *θεοῦ πατρός* pronomen *ἡμῶν* in *Sin.*, A et aliis cod., quos sequitur Vulgata; codices vero B, D... pronomen omittunt, quos sequuntur editiones criticae *Nestle* et *Soden.* - Forte adiunctum est secundum habituale principium conformationis inter textus parallelos vel similes... Notandum est autem hic revera agi de Deo Patre *christianorum* et Domino *eorumdem* (seu *nostrum*)... ut Auctoribus gratiae et pacis *nostrae.*

In utraque phrasi nomen *Iesu Christi* unitur cum nomine *Dei Patris* sub *una* praepositione et cum attributo *Deo proprio,* scil. collatione gratiae. Hic ergo habetur iterum manifestum argumentum pro Pauli fide in divinitatem Christi: *Salutatio christiana simul est confessio in Christum Deum, Auctorem salutis nostrae.*

Pars Prior:

Historica et Dogmatica
I, 3 - II, 17.

I. - *Gratiarum actio,* I, 3-12.

Haec pericope cum parallela prioris epistolae (I, 2-10) versus 3 et 4 communes habet, ubi agitur stricte de gratiis Deo reddendis. - Hic autem magis insistunt Apostoli in *debito* gratiarum actionis ob *incrementum* fidei et charitatis Thessalonicensium (3-4). - Inde, allusione facta ad persecutiones et tribulationes inter quas Thessalonicenses maiorem suam fidem et vivam charitatem suam manifestant, digredi-

I, 1. Paulus et Silvanus, et Timotheus Ecclesiae Thessalonicensium, in Deo Patre nostro, et Domino Iesu Christo. 2. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Iesu Christo.

3. Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat

2. *nostro*, graece non legitur.
3. *uniuscuiusque vestrum*, graece: *un. omnium vestrum.*

tur oratio ad describendum iustum iudicium Dei, qui conferet mercedem fidelibus, puniet vero impios (5-10). Concludunt demum Apostoli dicentes, se pro discipulis suis orare ut Deus eos dignos vocationis suae faciat atque conservet (11-12).

Tres paragraphi ergo distinguuntur:

α) gratiarum actio, 3-4;
β) iudicium Dei, 5-10;
γ) oratio, 11-12.

Digressio, quae v. 5-10 legitur, utilissima quidem continet circa futuram remunerationem iustorum et punitionem impiorum; minime vero expectabatur in gratiarum actione; afferuntur in consolationem Thessalonicensium. Est digressio stylo S. Pauli consueta; sed tam longa est, semper novis ideis subsidiariis interiectis, et cum repetitis pronominibus relativis coniunctis, ut aegre lector ideam principalem enodare queat. Nullibi forte melius sentitur difficultas styli gravis, profundi et spontanei Apostoli.

α) *Gratiarum actio*, 3-4.

3. *Gratias agere debemus: εὐχαριστεῖν ὀφείλομεν.* - Pro verbo *εὐχαριστεῖν* cfr. notam I Th. I, 2; alterum verbum *ὀφείλομεν* exprimit obligationem, quae incumbit Apostolis: gratiarum actio est Apostolorum debitum personale erga Deum ob magnum incrementum fidei et charitatis discipulorum. - Eadem verba simul occurrunt infra II, 13. - Loco parallelo prioris epist. legebatur simpliciter, sicut in caeteris epistolis: *εὐχαριστοῦμεν* (*alibi... τῷ*). Expressio cum *ὀφείλομεν* est singularis, et mox evasit liturgica in primitiva Ecclesia (*Barn.* V, 3; VII, 1; *I Clem.* XXXVIII, 4).

semper Deo pro vobis. - In priori epist. addebatur: *omnibus;* continua et universalis est Apostolorum gratiarum actio.

fratres. - Interpellatio expresso titulo: *fratres* non est consueta in locis parallelis. - Cfr. I, 1, 4.

ita ut dignum est: καθὼς ἄξιόν ἐστιν. - Liturgica formula, prout mox notabimus cum *Estio.* - Adduntur haec verba pleonastice post: *ὀφείλομεν* ad insistendum in *debito* gratiarum actionis. Lightfoot subtilius forte notat *ὀφείλομεν* divinum ius considerare, *καθὼς ἄξιόν ἐστιν* meritum Thessalonicensium; alii dicunt, prius verbum exprimere obiec-

νάζει ἡ ἀγάπη ἑνὸς ἑκάστου πάντων ὑμῶν εἰς ἀλλήλους, 4. *ὥστε αὐτοὺς ἡμᾶς ἐν ὑμῖν ἐνκαυχᾶσθαι*[1] *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ θεοῦ ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς ὑμῶν καὶ πίστεως ἐν πᾶσιν*[2] *τοῖς διωγμοῖς*

[1] S *ἐγκ...* [2] S — *ν.*

tivum, alterum vero subiectivum debitum. - Melius dicetur haec ad emphasim esse adiuncta.

" Ex hoc loco sumptum videtur, notat *Estius,* quod sacerdos ad altare canit: *Gratias agamus Domino Deo nostro,* quodque ei respondetur: *Dignum et iustum est,* et quod ille vicissim et cum repetitione respondet, dicens: *Vere dignum et iustum est, nos tibi semper et ubique gratias agere* „.

quoniam etc.... - Non cum *prout dignum est* iungendum, haec verba enim parenthesim constituunt, sed referendum ad: *gratias agere debemus;* atque introducit rationem (*ὅτι*) quare Apostoli gratias agere debeant. Ratio haec nostro loco exprimitur per verba: *supercrescit... abundat*; in priori epist. per substantiva (cfr. v. 3, cap. I); atque dum in priori epist. agebatur de tribus virtutibus fidei, charitatis et spei, hic tantum de fide et charitate (I, 1, 3).

supercrescit fides vestra = *ὑπεραυξάνει,* hap. leg. ut 12 alia verba composita cum *ὑπέρ,* quae apud S. Paulum tantum occurrunt; cfr. notam ad I, III, 10. - In priori epist. Apostoli votum expresserant iterum videndi faciem Thessalonicensium ut possent complere: *τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν* (*quae desunt fidei vestrae*) III, 10; quapropter Paulus, ipse impeditus ne iret ad eos, miserat Timotheum, *ibid,* v. 2. - Nunc vero laudat eos propter incrementum fidei. " Et quomodo potest augeri fides? quaerit *S. Ioh. Chrysost.* Quomodo? quando pro illa grave aliquid patimur. Atque magnum quidem est, esse firmum et stabilem et a cogitationibus non labefieri ac dimoveri: quando autem venti irruunt, irrumpunt imbres, undique attollitur gravis tempestas, crebrique et densi sunt fluctus; deinde non labamus nec vacillamus, nullius alterius rei est indicium, quam quod creverit et supercreverit et altior facta sit fides „. Cfr. v. 4; pro exemplis fidei heroicae in V. T., Heb. XI.

et abundat caritas uniuscuiusque vestrum in invicem. - *Πλεονάζει* = *increscit,* completio similiter orationis I, III, 12; ante *vestrum* addatur sec. textum graecum: *omnium.* Cum emphasi ergo dicitur singulorum et omnium charitatem fraternam increscere.

Differentia inter verba: *ὑπεραυξάνειν* et *πλεονάζειν* sequens statuitur: prius designat incrementum *internum, organicum,* posterius incrementum *extensivum* ; ita Lightf., Dobsch. Utrumque vero pro respectiva virtute optime est electum, nam fides perficienda firmior fit, profundius radicatur... uti arbor profunde radices mittens; charitas autem ex

charitas uniuscuiusque vestrum in invicem: 4. ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra, et fide, et in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus,

4. *et* ante *in omnibus persec.* supprimendum.

tendit ramos suos bonis fructibus onustos. " Imbecillem quidem caritatem et fidem labefactant tentationes, fortem autem reddunt fortiorem „; ita *Ioh. Chrys.*

4. *ita ut et nos in vobis gloriemur: ὥστε αὐτοὺς ἡμᾶς.* Notandum *αὐτοὺς ἡμᾶς: ipsi nos, etiam nos;* sunt enim Apostoli cooperatores Dei in praedicanda vobis fide, sunt enim discipuli aliquo sensu opus magistri, de quo gloriari magister potest, cfr. I Th. II, 19, et *comm.* ad h. l. Unde prout dicit S. Thomas: " Bonum... discipulorum est gloria praelatorum „.

in vobis, en objectum Apostolorum gloriationis.

gloriemur: ἐνκαυχᾶσθαι, l. cit., I Th.: *στέφανος καυχήσεως: corona gloriationis.* Verbum *ἐνκαυχᾶσθαι* est hap. leg. in N. T. (LXX ter in Psalmis); compositum pro simplici *καυχᾶσθαι,* quod apud Paulum est frequentissimum (35), sed bis tantum extra Paulum in N. T. occurrit Iacob. I, 9, IV, 16; ita etiam derivata: *καύχημα* (10), *Heb.* 1; non extra epist. paulinas; et *καύχησις* (10), semel extra Paulum, Iac. IV, 16. - Cfr. I Th. II, 19.

in ecclesiis Dei: ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ θεοῦ. - Plerique auctores haec verba intelligunt de Corintho (ac vicinis civitatibus), unde scribunt Apostoli, sicut revera legimus II Cor. VIII, 1-2. Ita *Bornem., Lightf., Milligan, Findlay* et alii. - Sed quomodo potuisset Paulus tam cito loqui de *ecclesiis* Corinthi et civitatum vicinarum, quum nonnisi recentissime huc advenisset? Caeteroquin ad designandam ecclesiam determinatam, utitur Paulus vel *singulari* apposito nomine *civitatis,* v. gr. Rom. XVI, 1; I Cor. I, 2: *τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ κτλ...,* similiter hic I et II Th. I, 1; vel *plurali* utitur apposito nomine *regionis,* v. gr. II Cor. VIII, 1, Gal. I, 2, 22, I Th. II, 14. Aliquando etiam plurale designat locos vel domus congregationum fidelium Christi, Rom. XVI, 16, I Cor. XI, 22, I Tim. III, 5. - Alibi cum nomine Dei vel Christi legitur singulare ad designandum totum corpus mysticum Christi in terra; excipe I Cor. XI, 16 ubi habetur plurale. Nostro loco ideo Paulus probabilius non cogitat de particulari ecclesia, nec ecclesiis particularibus, sed designat universam Christi ecclesiam, ut I Th. I, 8: " non solum in Macedonia, et in Achaia, sed *in omni loco* fides vestra... profecta est etc.... „ Ita etiam *Dobschütz.*

pro patientia vestra, et fide: ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς ὑμῶν καὶ πίστεως. - Haec est ratio gloriationis: patientia et fides Thessalonicensium. Quae duo uniuntur *sub uno arti-*

ὑμῶν καὶ ταῖς θλίψεσιν αἷς ἀνέχεσθε, 5. ἔνδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως τοῦ θεοῦ, εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ

culo: agitur ideo de patientia in ferendis tribulationibus pro fide, et de perfecta fide quam in hac patientia ostendunt. Ut scribit Caiet: " Ecce evidens materia gloriationis nostrae de vobis, *exterior patientia procedens ex constantia fidei*... „. - Patientia vel sustinentia: *ὑπομονή* consideratur ut opus spei in Christum venturum, supra I, 1, 3 et infra III, 5; cfr. Rom. VIII, 25. - Hic potius agitur de patientia, medias inter tribulationes toleratas pro fide, Rom. V, 3: *tribulatio patientiam operatur.*

(et) *in omnibus persecutionibus et tribulationibus* (*et* del., W-W): *ἐν πᾶσιν τοῖς διωγμοῖς... καὶ ταῖς θλίψεσιν.* Circa Thessalonicensium persecutiones et tribulationes, cfr. I, 1, 6, II, 14, III, 3.

Eadem verba simul iuncta leguntur apud Matth. XIII, 21, Mc. IV, 17, cfr. etiam Rom. VIII, 35. - Vox *διωγμός* hic tantum occurit in ep. ad Thess.; alibi in ep. paulinis quater adhuc. - Designat externas persecutiones ab inimicis fidei discipulis inflictas; dum vero *θλῖψις* (I, 1, 6, III, 3, 7, infra v. 6, frequens in omnibus scriptis N. T.) quascumque afflictiones designat, cfr. ad I, III, 7).

quas sustinetis: αἷς ἀνέχεσθε. - Istud dativum vel habetur per *attractionem*; vel regitur *verbo ἀνέχομαι;* quod esset singulare in N. T., nam alibi habetur cum hoc verbo *genitivum*, v. gr. in Synopticis: Matth. XVII, 17, Mc. IX, 19, Luc. IX, 41, ubi habetur genit. personae; item Act. XVIII, 14, et in ep. paulinis: II Cor. XI, 1 bis, Eph. IV, 2, Col. III, 13; genit. rei II Tim. IV, 3, Heb. XIII, 22. Apud Graecos et LXX occurrit accusativum tum personae, tum rei.

Pro dativo unicum habetur exemplum *Eur.* Androm. 980 (Milligan, Dobschütz). - Plerique ergo admittunt *attractionem*; dativum staret pro *ἃς* (classicum) vel *ὧν* (N. T.) *ἀνέχεσθε.* - Ita Bornem., Lightfoot, Grimm.

— Hic terminatur gratiarum actio stricte sumpta; - cfr. supra.

Quae sequuntur in v. 5 videntur esse sumenda ut *appositio*; ita scil.: *hae persecutiones et tribulationes, quas sustinetis cum patientia et fide, sunt indicium iusti iudicii Dei,* etc.

β) Iudicium Dei, 5-10.

5. (*in*) *exemplum*, etc....: *ἔνδειγμα*, i. e. *indicium* vel *argumentum*, revera idem ac activum *ἔνδειξις.* Vox *ἔνδειγμα* est hap. leg. Correspondens verbum *ἐνδείκνυμι* (9, incl. Hebr. *bis*) et alterum substantivum derivatum *ἔνδειξις* (4) propria sunt ep. Pauli in N. T.

Dubium est an *ἔνδειγμα* sit accusativum, prout sumitur in Vulgata; ita etiam Ambrost., Syr., Arm.; inter modernos *Dobschütz,* et *Milligan* qui citat Rom. VIII, 3, XII, 1; I Tim. II, 6. Sed in hac hypothesi *εἰς* (*in.*) debuisset exprimi ut Rom. III, 25, prout revera suppletur a Theophy-

quas sustinetis 5. in exemplum iusti iudicii Dei, ut digni ha-

5. *in exemplum* leg.: (in) *argumentum,* vel *indicium.* — *in regno Dei,* del. *in* (W. W.).

lacto et in versionibus citatis (v. gr. in Vg.). - Ideo alii ἔνδειγμα sumunt in nominativo, subaudito pronomine relativo, ut loco parallelo *Phil.* I, 28: "*in nullo terreamini ab adversariis, quae illis est causa* (= *indicium*) *perditionis, vobis autem salutis, et hoc a Deo* „.

Haec ultima explicatio videtur probabilior, ita Bornem. et Wohlenberg. In hoc casu autem: ἔνδειγμα, i. e. *indicium* vel *argumentum*, est appositio praecedentium: ὃ ἐστιν ἔνδ... *quod est indicium* etc. - Frame utramque opinionem dicit aequiprobabilem; in utroque casu sensus revera est idem.

iusti iudicii Dei: τῆς δικαίας κρίσεως τοῦ θεοῦ, comp. Rom. II, 5: δικαιοκρισίας.

Quodnam est istud *iustum iudicium Dei? Lex compensationis,* secundum quam illi qui passi sunt pro Deo in terra, in coelo mercedem recipient; et vice versa - sec. legem *talionis divinae* - impii fructum operum suorum colligent in inferno. Haec idea subiacet promissis evangelicis, quae vocantur *beatitudines*, Matth. V, 3-12. Comp. Luc. XVI, 25: "recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris „. Cfr. Rom. II, 5 sq., VIII, 18 sq.; II Cor. V, 10; Eph. VI, 8; Col. III, 24-25. - Ita *S. Iohannes Chrys.* et patres Graeci.

Tribulationes ideo et persecutiones, quas Thessalonicenses sustinent cum patientia et fide, indicant eos a iusto Deo dignos haberi regni coelestis (comp. Phil. I, 28). Passione sua praesenti merentur felicitatem futuram, secundum hanc legem compensationis.

ut digni habeamini: εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς. - Hoc dependet ab "*indicium iusti iudicii Dei* „... *iudicantis vos dignos* etc. Idem verbum occurrit tantum Luc. XX, 35, Act. V, 41. Cum Luc XX, 35 (et opp. Act. XIII, 46) compar dictum rabbinicum: *dignum esse futuri eonis.* (Dalman: *Die Worte Iesu,* p. 97-98).

(*in*) *regno Dei* (*in* del. W.-W.). - Pro notione regni Dei apud S. Paulum, cfr. I, II, 12. Hic agitur de regno eschatologico seu futuro.

pro quo et patimini. - Duplici modo intelligi potest, vel *propter quod* patimini, sicut propter nomen Iesu persecutionem patimur, Matth. V, 11-12; vel *pro quo possidendo* pati debemus: *per aspra ad astra;* Rom. VIII, 17: si tamen compatimur, ut et conglorificemur; II Tim. II, 12: si sustinebimus et conregnabimus. - Not. *et* patimini, i. e. *et vos* sicut et nos; quapropter v. 7 dicetur: et *nobiscum,* seu socii passionum nostrarum, socii eritis et gloriae nostrae.

Haec idea iustitiae Dei atque spes futurae vitae sustinent animas chris-

θεοῦ, ὑπὲρ ἧς καὶ πάσχετε, 6. εἴπερ δίκαιον παρὰ θεῷ ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλίψιν 7. καὶ ὑμῖν τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν μεθ' ἡμῶν, ἐν τῇ ἀποκαλύψει τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἀπ' οὐ-

tianas in patienter ferendis tribulationibus: *Sursum corda!*

O eletti di Dio, gli cui soffriri
E giustizia e speranza fan men duri,
Drizzate noi verso gli alti saliri.

Dante: *Purg.* XIX, 76-78.

6. *si tamen: εἴπερ: siquidem*, Ambrost. - Septies apud Paulum tantum haec particula occurrit. Habitualiter per rhetoricae figuram de re certissima - nullatenus dubia - dicitur, ut conclusio eo certius admittenda appareat; ita omnes comm. graeci, et etiam moderni; v. gr. *Theodt.*: "non dubitando sed asseverando „. Comp. Rom. III, 30, VIII, 9, 17 et *alibi*.

Haec autem conditio, vel certissima veritas, est *Dei iustitia* in applicando infallibiliter iure talionis erga persecutores, et iure compensationis erga afflictos pro regno Dei.

iustum est. - Explicatur istud *iustum iudicium* v. 5; statim ergo dicitur in quo consistit hoc iustum iudicium.

apud Deum: παρὰ θεῷ seu *iudice Deo.* In Apoc. Petri 25 audimus interfectorum animas, viso supplicio suorum persecutorum, exclamare: *Deus, iustum est iudicium tuum!* - Cfr. Preuschen: *Antilegomena*, p. 86.

retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant. Pro verbo *ἀνταποδοῦναι*, cfr. I, III, 9; nostro loco hoc verbum adhibetur simul in bono et malo sensu. Haec est technica quasi expressio ad designandum *ius talionis:* Rom. XII, 19 (Deut. XXXII, 35), Col. III, 24; Is. LXI, 2; LXIII, 4, 7; LXVI, 6 etc.

Poena infligenda pro peccato correspondebit eius fallaci voluptati: " per quae peccat quis, per haec et torquetur „, Sap. XI, 16 (17); et Apoc. XIII, 6-7: " Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis: et duplicate duplicia secundum opera eius .. Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum „.

Notandus parallelismus cum quo haec compensatio tum pro malis quam pro bonis exprimitur; *ibi* tribulantibus tribulatio; *hic* vero tribulatis poenarum relaxatio.

7. *et vobis pii tribulamini, requiem nobiscum: καὶ ὑμῖν τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν.* - Tribulantibus (*τοῖς θλίβουσιν*) opponuntur tribulati (*θλιβομένοι*); ita illorum afflictioni futurae (*θλῖψις*) opponitur iustorum requies futura (*ἄνεσις* = relaxatio).

Vox *ἄνεσις*, ab *ἀνίημι* = *remitto*, adhuc quater in N. T.: II Cor. II, 12, VII, 5, VIII, 13 et Act. XXIV, 23. - Apud Paulum semper de requie post tribulationes, seu de relaxatione poenarum; ideo futura *ἄνεσις* beatorum in coelo in *temporibus refrigerii* (*καιροὶ ἀναψύξεως* Act. III, 19 (20)) opponitur tribulationi prae-

beamini in regno Dei, pro quo et patimini. 6. Si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant: 7. et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione

6. *si tamen*, Ambrost.: *siquidem*.

senti. - Conferenda *Ascensio Is.* IV, 15.

nobiscum, scil. cum Paulo eiusque sociis. Comp. II Cor. I, 3 sq. v. 7: sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.

Verba sequentia determinant *quando* et *quomodo* haec erunt; referuntur ad totam retributionem seu universale iudicium tam impiorum quam fidelium.

7*b*. *in revelatione Domini Iesu de coelo*: ἐν τῇ ἀποκαλύψει κτλ...

Haec est alia vox qua designatur *secundus adventus Domini de coelo*: α) παρουσία = *praesentia*, cfr. *supra* I Th. II, 19;

β) ἀποκάλυψις = *revelatio*;

γ) ἐπιφάνεια = *apparitio*, II, 3, cfr. *ibi*.

Vox ἀποκάλυψις, usurpata de secundo adventu Domini, desumitur ex ev. Luc. XVII, 30. Vox est praecipue paulina (13 vicibus, extra Paulum quinquies tantum), occurrens in diversis seriebus epistolarum, exceptis pastoralibus; - idem observavimus pro voce παρουσία. Epist. past. secundum adventum Domini designant nomine: ἐπιφάνεια (quinquies), cfr infra II, 8.

Vox ἀποκάλυψις vel designat Pauli aut aliorum personalem revelationem: Gal. I, 12, II, 2, Eph. III, 3, II Cor. XII, 1, 7; - I Cor. XIV, 6, 26, Eph. I, 17, (Apoc. I, 1); vel primam revelationem mysteriorum Dei a Iesu Christo factam: Rom. XVI, 25 (Luc II, 32); vel demum ultimam in novissimo die: Rom. II, 5, VIII, 19, I Cor. I, 7, II Th. I, 7 (I Petri I, 7, 13, IV, 13). - Cfr. Milligan, p. 149-151.

Revelatio Domini tribus determinatur: 1) quantum ad locum: *ex coelo*, 2) quantum ad comitatum: *cum angelis virtutis eius*, 3) quantum ad formam apparitionis: *in flamna ignis*.

cum angelis virtutis eius: μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ. - Sensus non est: *cum angelis suis potentibus*, quia in hoc casu pronomen debuisset coniungi cum: *angelis;* neque potest sensus esse *cum angelis exercitus sui*, qua vox δύναμις nullibi in N. T. hunc sensum habet (? Luc. X, 19). Melius ideo: *cum angelis potentiae suae*, qui eam nuntiant, ad eam pertinent, vel eiusdem potentiae ministri sunt. - Nam vis tota pronominis est in δυνάμεως.

In descriptionibus eschatologicis angeli semper apparent ut comites advenientis Domini; cfr. supra I, III, 13, IV, 16.

ρανοῦ μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ 8. *ἐν πυρὶ φλογός, διδόντος ἐκδίκησιν τοῖς μὴ εἰδόσιν* [1] *θεὸν καὶ τοῖς μὴ ὑπακούουσιν* [2] *τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ,* 9. *οἵτινες δίκην τίσουσιν ὄλεθρον αἰώνιον ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου καὶ ἀπὸ τῆς δόξης*

[1] S — *ν.* [2] S — *ν.*

8. *in flamma ignis.* - En forma apparentis Domini, manifestabitur veniens in igne, sicut Iahveh apparuit Moysi. Ignis est habituale elementum theophaniae: Gen. XV, 17, Ex. III, 2 (*rubus ardens*), Ex. XIX, 16 sq., Deut. IV, 36 (*mons Sinai*), Ex. XL, 38, Num. IX, 15, Deut. I, 33, Ps. LXXVIII (Vg. VII), 14, CV (IV) 39 (*columna ignis ductrix*). Frequenter etiam apud prophetas describitur Dominus iudicans in igne terram et populos, v. gr. Is. X, 17, XXIX, 6, XXX, 27, 30, XLII, 15, LXVI, 15; Mal. III, 2, 19 (Vg. IV, 1-2). - Ex libris apocryphis citatur Apoc. Baruch XLIV, 15, XLVIII, 39, LIX, 2, LXXXV, 13.

Lectio graeca est dubia: *ἐν φλογὶ πυρός*, B D G, ita in Vg., quam lectionem tenent inter alios *Bornem.*, *Wohlenb.*, *Knab.* - Sed lectio haec facilior, videtur esse correctio secundum Is. LXVI, 15; Ex. III, 2 (*heb.*), Act. VII, 30 (*cum l. var.*), cfr. Luc. XVI, 24; praecipue secundum Apocalypsim, I, 14, II, 18, XIX, 12. - Altera lectio ergo difficilior: *ἐν πυρὶ φλογός* est praeferenda cum *Sin.* A et al.; quam praebent commentatores graeci omnes et sequuntur plerique moderni inter quos *Lightf.*, *Nestle*, *Dobsch.*, *Findlay*, *Soden* Vertit Ambrost.: *in igne flammae;* Estius: *in igne flammeo,* i. e., pergit idem, "urente simul et lucente" ut et horrorem primo statim aspectu omnibus impiis inferat; et contactu eosdem cruciabiliter urat." Sermo est de *igne conflagrationis*, ut vocari solet, antecessuro Domini adventum atque iudicium; - minime autem agitur, ut idem Estius notat, de igne inferni. - Cfr. S. Thomam, *Supplementum*, q. LXXIV.

dantis vindictam: διδόντος ἐκδίκησιν. - Haec expressio hebraica hic tantum occurrit (hebr.: *nathan neqamah.*). - Si legitur: *ἐν φλογὶ πυρός,* participium *διδόντος* potest referri sive ad *τοῦ κ. Ἰησ.* = *Dni nostri I. C.,* sive ad *πυρός* = *ignis,* quia ignis considerari potest ut instrumentum Domini Iesu vindictam inferentis. - Quum autem lectio altera: *ἐν πυρὶ φλογός* sit probabilior, participium *διδόντος* ad *κυρ. Ἰησ.* referendum est, quia *φλόξ* feminini generis est; ergo habetur: *in revelatione Dni I. C.... dantis vindictam.*

Vindicta: ἐκδίκησις, cfr. I, IV, 6. - In V. T. vindicta seu punitio impiorum saepe Deo tribuitur: Deut. XXXII, 35, Is. LXVI, 15, Ier. (LXX) XXVIII, 6, 24 (Vg. cap. LI), Ezech. XXV, 14. Venturus est ergo Christus tamquam Deus iudex.

iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio:

Domini Iesu de coelo cum angelis virtutis eius, 8. in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi: 9. qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini, et a gloria vir-

8. Ambrost.: *in igni flammae;* Estius: *in igni flammeo;* cfr. comm. — *Christi* graece non legitur.

9. *qui* = *tales,* vel, *quippe qui*; — *poenas dabunt* = *poenam luent.* — *in interitu aeternas,* graece: *interitum,* melius, *supplicium aeternum.* — Phrasis ergo ita legenda: *quippe qui poenam luent, supplicium aeternum,* etc.

τοῖς μὴ εἰδόσιν θεὸν καὶ τοῖς μὴ ὑπακούουσιν τῷ εὐαγγελίῳ. Notandus est articulus ante utrumque participium, ac si de duplici distincta categoria ageretur. Ita revera aliqui exegetae dixerunt, primis verbis designari *Gentiles:* qui non noverunt Deum, cfr. I, IV, 5; Gal. IV, 8, Ier. X, 25; ultimis autem verbis designarentur *Iudaei:* qui non obediunt Evangelio, Rom. III, 3, X, 3, 16, 21, XI, 31 etc.... Ita iam *Ambrost.*; recentius adhuc *Knabenbauer.* Quae sententia videtur admittenda; nam quamvis pagani, audito Evangelio non obedientes, sub ultimis verbis designari stricte possint (*Lightf., Mill.* et alii), attamen negari nequit, in lingua biblica, *ignorantiam veri Dei* esse peccatum characteristicum gentilium; inobedientiam autem Evangelio messianico peccatum esse Iudaeorum.

evangelio Domini nostri Iesu (Christi) - Graece non legitur: *Christi.* - Unicus hic est locus, in quo vox *evangelium* determinatur verbis: *Domini nostri Iesu.* - S. Paulus indifferenter scribit vel *evangelium Dei* (6, ter in I Th.), vel *evangelium Christi* aut *Domini* (9, semel in I Th.); supponi ideo licet hic explicitam mentionem fieri de *Domino nostro Iesu* (gen. subi, cfr. I, II, 2, contra *Knab*) propter peculiarem insistentiam, quacum Dominus noster, in hac pericope, dicitur revelandus gloriose.

9. - *qui:* οἵτινες = *tales qui, quippe qui.* - Pronomen ὅστις, praeter sensum indefinitum: *quisquis, quicumque,* etiam designat personam ut pertinentem ad categoriam specialem hominum: *talis qui,* cui aliquando adiungitur formalitas rationis reddendae: *quippe qui.* - Hic sensus qualitativus non est rarus apud S. Paulum. Cfr. Grimm *ad hoc verbum.*

poenas dabunt: δίκην τίσουσιν. - Ambrost.: *qui poenas solvent in interitum aeternum.* - Haec compositio: δίκην τίνειν, frequens apud auct. class. (cfr. *Wetst.*), in N. T. hic tantum occurrit; significat: *poenam dare, luere* seu *expiare.*

Quaenam futura sit haec poena, indicatur *appositione seq.:*

(in) *interitu aeternas:* ὄλεθρον αἰώνιον, i. e. *interitum* vel *suppli-*

τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, 10. *ὅταν ἔλθῃ ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ καὶ θαυμασθῆναι ἐν πᾶσιν τοῖς πιστεύσασιν, ὅτι ἐπιστεύθη*

cium aeternum. - Pro *ὄλεθρος* cfr. ep. I, *cap.* v, 3. - Adiectivum *αἰώνιος*, quod per se non designat necessario *durationem sine fine*, sed *durationem integram alicuius rei* (cfr. Milligan), hic, secundum doctrinam generalem et terminologiam ordinariam N. T., intelligendum est de *duratione sine fine*, ut idem Milligan concedit, similiter Dobschütz, et omnes antiqui commentatores graeci.

Ὄλεθρος αἰώνιος, quod tantum in apocrypho IV Macch. X, 15 legitur, correspondet ad *πῦρ αἰώνιον*: Matth. XVIII, 8, XXV, 41, Iud. 7; *κόλασις αἰώνιος*: Matth. XXV, 46; *κρίμα αἰώνιον*: Heb. VI, 2. Significat autem non destructionem in aeternum, sed supplicium aeternum. Prout iam admittebatur a Iudaeis, Paulus ideo, sicut et Christus l. cit., aeternitatem poenarum inferni manifeste docet; praeter locos citatos cfr. Matth. V, 29 sq. = Marc. IX, 43 sq., Luc. XVI. 26; Apoc. XIV, 10 sq. XIX, 3, XXI, 8.

a facie Domini et a gloria virtutis eius ἀπὸ προσώπου, etc... Verba mutuata ab Isaia II, 10, 19, 21, quibus magis determinatur natura huius supplicii; reiicientur scil. impii a facie gloriosa Domini: haec est *poena damni*. *Ἀπό* ideo designat *separationem*, cfr. Matth. VII, 23, VIII, 11 sq., XXV, 41, Luc. XIII, 27.

Non pauci tamen exegetae etiam inter antiquos graecos particulam *ἀπό causaliter* explicarunt, ac si impii gloria Domini tamquam fulgure essent percellendi, ita iam *Ioh. Chrysost.*: Eius praesentia aliis quidem erit lux, aliis vero supplicium. - Ita etiam *Estius* recte notans: si enim daemones praesentiam Christi versantis in terris non sustinebant; quanto minus praesentiam eius cum tanta maiestate venientis ad iudicium, impii sustinere poterunt? - Ita recenter *Findlay*. - Sed in hac opinione habetur mera repetitio v. 8.

Unde, et quidem praecipue ob rationes philologicas, *ἀπὸ προσώπου*, etc... melius de remotione, seu de *poena damni* intelligitur. - Sicut ergo beatorum felicitas erit fruitio visionis Dei, Matth. V, 8, XVIII, 10 (de angelis), Phil. I, 23, Hebr. XII, 74, I Ioh. III, 2, Apoc. XXII, 4; ita et condemnatoria sententia impiorum erit: *Discedite a me*... (Matth. VII, 23 *et locis supra citatis*) - S. Thomas, Bornem., Ligtf., Dobsch., Millig., Knab., Frame.

et a gloria virtutis suae: καὶ ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, cfr. Is. *l. cit.* - Pro verbo *δόξη* de Deo, I, II, 12. Vox *ἰσχύς* bis tantum alibi apud S. Paulum occurrit, Eph. I, 19, VI, 10, coniuncta cum *κράτος*. Sed dum *κράτος* designat potentiam, quam aliquis exercet in res exteriores, *ἰσχύς* potius facultatem subiective designat. Ergo *τό κράτος* est manifestatio *τῆς ἰσχύος*. - Dum vero *ἡ δόξα τῆς ἰσχύος* est gloria

tutis eius, 10. cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt: quia creditum est

10. *et admirabilis fieri* etc... Estius: *et mirificari in omnibus credentibus.*

— Post *crediderunt*, suppl. subaudita verba: *etiam in vobis;* deinde inter parentheses legantur verba seq.: (*quia creditum est testim. nostrum ad vos*); – *in die illo* referantur ad: *glorificari et admirabilis fieri.* Cfr. comm.

quae Deo competit propter suam virtutem immensam. Haec immensa virtus est quasi... mensura seu fons eius infinitae gloriae, Ps CXLVI, 5.

Nunc " reflectit Apostolus sermonem ad gloriam electorum, quae tempore non separabitur a vindicta impiorum „. *Estius.*

10. - *cum venerit glorificari in sanctis suis:* ὅταν ἔλθῃ ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ. - Ergo illi... separandi sunt *a* (ἀπό) gloria virtutis Dei, cum Deus veniet glorificari *in* (ἐν) sanctis suis, etc...

Verbum ἐνδοξάζομαι adhuc v. 12 occurrit, sed non alibi in N. T. Apud LXX non est tam rarum, v. gr Is XLV, 25, XLIX, 3, Ezech. XXVIII, 22. - Ps. LXXXVIII, 8: ὁ θεὸς ἐνδοξαζόμενος ἐν βουλῇ ἁγίων = Vg. *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum*, hinc videtur expressio Pauli derivari.

in sanctis suis. - *Inter sanctos suos*, ita Bornem. Alii intelligunt de manifestanda et communicanda gloria sanctis, v. gr. *S. Thomas:* " glorificari in sanctis eius, qui sunt membra sua, in quibus habitat, et in quibus glorificatur, quando sua gloria, scil. capitis, derivatur usque ad sua membra „. - Haec explicatio de *communicanda* gloria Dei sanctis, sequitur ex sensu *immediato* de *manifestanda* gloria Dei, secundum illud II Cor. III, 18: " Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domini Spiritu „. Cfr. etiam I Cor. XIII, 12; II P. I, 16.

Pari tractu huic adiungitur, cum eodem sensu:

et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt: καὶ θαυμασθῆναι ἐν πᾶσιν τοῖς πιστεύσασιν = *et mirificari in omnibus credentibus,* Estius. - Ps. LXVII, 36. - Nihil omnino innuit illos *sanctos* esse iudaeo-christianos, *credentes* autem esse pagano-christianos; prout volunt v. gr. *Bengel* et *Bornem.* - Sicut enim verba ἐνδοξασθῆναι = *glorificari*, et θαυμασθῆναι = *mirificari* sunt synonyma, ita illa: ἅγιοι et πιστεύσαντες. *Sancti* sunt christi-fideles, ita etiam *credentes*, cfr. Act. IV, 32, XI, 17. Aoristum (πιστεύσαντες) minime includit tunc, scil. in clara visione, non amplius futuram esse fidem; hoc est verum quidem, sed non dicitur hic (contra *Estium*). Adhibetur participium istud substantive, cfr. I, 1, 7.

quia creditum est testimonium

τὸ μαρτύριον ἡμῶν ἐφ' ὑμᾶς, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. 11. *Εἰς ὃ καὶ προσευχόμεθα πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ τῆς κλήσεως ὁ θεὸς ἡμῶν καὶ πληρώσῃ πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης καὶ ἔργον*

nostrum super vos. - Ut iam notarunt Theod. et Theodt., haec verba sunt parenthesis, cum ellipsi verborum: *et ideo in vobis.* - Ita phrasis esset complenda: admirabilis fieri in omnibus credentibus, *et ideo in vobis*, quia creditum, etc.

Ultima autem verba: *in die illa* connectantur oportet cum verbis: *cum venerit glorificari... et admirabilis fieri.* Ita plerique v. gr. *Millig.*, *Dobschütz*, *Knab.*, contra *Estium.*

super vos: ἐφ' ὑμᾶς, referatur ad *testimonium nostrum*, seu *praedicatio nostra ad vos.*

in die illa: τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, i. e. in die adventus Domini, ut Mc. XIII, 32, XIV, 25, Luc. XXI, 34, II Tim. I, 12, 18, IV, 8, cfr supra I, v, 2. - Clausa parenthesi post: *super* (*ad*) *vos*, indicatur tempus quo Deus se gloriosum manifestaturus est sanctis credentibus; et quidem determinatio: *in die illa* in fine phraseos legitur, ut maior vis ponatur in parousiae exspectatione, secundum characterem generalem epistolarum ad Thessalonicenses.

Post illam considerationem generalem (7*b*-10), allusione facta speciali ad discipulos Thessalonicae (*super vos*), redeunt Apostoli ad Thessalonicenses dicuntque se pro eis orare.

— Versus interpositi a v. 6 ad 10 habent, ut diximus, characterem generalem, solemnem et liturgicum parallelis membris constantem. Unde putat *Bornemann* hic iterum haberi primitivum hymnum christianum (p. 329). - Cfr. quae diximus supra ad I, III, 8.

γ) *Oratio*, 11-12.

11. - *In quo: εἰς ὃ* i. e. *propter quod* vel *quapropter*, ut scil. *digni habeamini regni Dei* (cfr. v. 5). Indicatur ergo obiectum et finis orationis Apostoli. - Suppresso sensu finali, vertit Dobschütz: *ad quod respiciens...*; ita etiam Knab.

etiam oramus semper pro vobis: καὶ προσευχόμεθα. - Notandum *καί*; vel: *nos etiam sicut et vos...* (Frame); vel melius: *etiam oratione vos adiuvamus*, etc.. Indigemus ergo oratione ut perseveremus et salvemur. - Semper ab initio epistolae suae, dicit Apostolus se pro discipulis suis orare, cfr. ad I Th. I, 2.

ut dignetur vos vocatione sua Deus noster: ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ τῆς κλήσεως... - En obiectum vel finis orationis Apostolorum.

Verbum *ἀξιόω* praeter hunc locum legitur adhuc sexies in N. T.: Luc. VII. 7, Act. XV, 38, XXVIII, 22, I Tim. V, 17, Heb. III, 3, X, 29, semper cum sensu: *dignum vel congruum habere* (in Act.), aut *dignum iudicare*, *dignari* (cfr. v. gr. Luc. VII, 7) - Nostro autem loco omnino vertendum est: *ut dignos vos faciat*, secundum contextum sermonem ergo, ut notat *Estius* " includitur

testimonium nostrum super vos in die illo. 11. In quo etiam oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei

11. *ut dignetur* = *ut dignos vos faciat.*

liberalitas in dante, non supponitur dignitas in accipiente „. Etiam *v. Dobschütz* bene notat contra protestantes - et ipse est protestans - primum sensum, seu *dignum iudicare* hic tantum retineri propter praeiudicia dogmatica circa *δικαιοῦν* (*iustificare*) quod protestantes vertunt: *iustum declarare.* Cfr. etiam *P. Lagrange:* Romains, p. 122 sq.

vocatione (sua): *τῆς κλήσεως.* - In Vg. abundat *sua.* - Vox *κλῆσις* decies occurrit apud S. Paulum (incl. ep. ad Heb. ubi semel); extra Paulum semel tantum, II Petri I, 10.

Vocatio sicut electio potest sumi vel ad gratiam praesentem, vel ad gratiam futuram, cfr. supra p. 63. Pro utraque interpretatione habentur exegetae magni nominis tam inter modernos quam inter antiquos; sic v. gr. dum Dobschütz vocationem intelligit ad gratiam, Lightfoot et Milligan e contra intelligunt vocationem ad coelum. - Primus sensus nobis videtur esse vocatio ad Evangelium, quae ut patet, terminari et coronari debet in coelo; ideo conversatio digna vocationis nostrae ad Evangelium, dignos nos reddet vocationis ad Regnum coeleste: Venite, benedicti Patris mei, possidete *paratum* vobis regnum, Matth. XXV, 35; Apoc. XIX, 9. Comp. Eph. IV, 1,

Deus noster. - Expressio rara apud S. Paulum, quater in ep. ad Thess.; extra hasepist. semel tantum, cfr. supra ad I, II, 2. - Notanda est transitio a secunda persona ad primam. Hac transitione videtur Paulus caros suos discipulos sibi associare in eodem Deo, quem Apostolus pro discipulis orat.

et impleat omnem voluntatem bonitatis: καὶ πληρώσῃ πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης. - Vox *εὐδοκία*, sexies in ep. paulinis: Rom. X, 1, Eph. I, 5, 9, Phil. I, 15, II, 13, et hic; extra S. Paulum ter tantum: Matth. XI, 26, Luc. II, 14, X, 21. - Numquam apud classicos occurrit, aliquoties autem in V. T., praecipue in *Psalmis* (8) et in *Ecclis.* (16). - Habitualiter designat bonam voluntatem seu beneplacitum Dei, dum vero vox *ἀγαθωσύνη* (vox mere biblica et eccles.) numquam de Deo, sed de hominibus dicitur (cfr. Rom. XV, 14, Gal. V, 22, Eph. V, 9); unde cum Dobschütz, secundum usum ordinarium biblicum, *εὐδοκία* intelligi posset de Deo, *ἀγαθωσύνη* de hominibus: *ut* scil. *Deus impleat* (*in vobis*) *omnem voluntatem suam bonitatis vestrae.* - Si autem talis interpretatio videtur durior, tunc etiam *εὐδοκία* sumenda erit de *beneplacito* seu *amore* Thessalonicensium pro bono, sicut exponit

πίστεως ἐν δυνάμει, 12. *ὅπως ἐνδοξασθῇ τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ ἐν ὑμῖν, καὶ ὑμεῖς ἐν αὐτῷ, κατὰ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

S. Thomas: impleat in vobis voluntatem omnis boni. Ita plerique, cfr. *Frame.*

et opus fidei. - Comp. I Th. I, 3, II, 13. Iac. I, 3-4: probatio fidei vestrae patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes. Cfr. etiam supra v. 4.

in virtute: ἐν δυνάμει. - Refertur ad verbum *πληρώσῃ,* ad actionem Dei ergo: *qui in virtute* seu *fortiter impleat.* - Deus enim operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate; Phil. II, 13.

In ultimo versu indicatur demum causa finalis tum orationis Pauli, tum eorum quae pro Thessalonicensibus petit: ut clarificetur scil. Iesus, auctor salutis nostrae, exaltatus ad dexteram Patris.

12. *ut clarificetur* = glorificetur. Ὅπως rarum apud S. Paulum, (novies, et bis in ep. ad Heb.); frequens autem apud Matth. (17), et Lucam (7 in Ev. et 15 in Act). - Dependet ab ἵνα = *ut* v. 11, eiusque indicat finem ultimum. - Pro verbo *ἐνδοξασθῆναι* cfr. v. 10.

nomen Domini nostri Iesu (*Christi*). - Secundum ideas semiticas nomen tam intime personae coniungitur, ut qui alicuius nomen recipit, eiusdem iura recepisse censeatur. In adoptione collatum nomen eadem iura transmittit ac sanguis in nativitate. Inde in ipso N. T. vox *ὀνόματα* = *nomina* stat pro *personis*, Act. I, 15, Apoc. XI, 13; et in V. T. semper legitur: *timere, laudare* nomen Domini, i. e. ipsum Dominum; imo in V. T. ipsa vox: *nomen* = hebr. *shem*, vel cum art. *hashem*, legitur pro *Iahwe*, v. gr. Lev. XXIV, 11, 16, Deut. XXVIII, 58, II Sam. VI, 2 (cfr. *R. Patris P. Dhorme* comment. ad h. l.), I Par. XIII, 6. Haec autem praxis in tempore post-biblico generalis fuit, et etiam nunc apud Iudaeos viget: pro tetra-grammate divino IHVH dicunt *shema* i. e. *nomen.*

Paulus ergo loquens *de nomine D. n. I.*, utitur modo loquendi biblico et semitico: nomen stat pro persona, pro dignitate *Iesu,* qui est *Dominus.* - Quam sublime sit nomen Iesu: *Christi* et *Domini*, verbis altissimis et iubilantibus describit S. Paulus: Eph. I, 21, Phil. II, 9 sq., Heb. I, 4. Cfr. supra p. 109-110.

in vobis. - Optat Paulus ut Iesus glorificetur per vitam virtuosam Thessalonicensium; quia est auctor nostrae salutis ut Christus, et finis salutis nostrae ut Dominus-Deus, Rom. XIV, 7-9.

et vos in illo. - En reciprocitas gloriae, quae non explicite expressa est v. 10. Glorificabuntur autem sancti in Christo-Domino, quia Eius gloria in eos diffundetur in visione beatifica. Cfr. totum caput XVII Ioh.; v. gr. 22: ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; v. 24: Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum

in virtute, 12. ut clarificetur nomen Domini Iesu Christi in vobis, et vos in illo secundum gratiam Dei nostri, et Domini nostri Iesu Christi.

ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam...

secundum gratiam Dei etc. Indicatur fons omnis bonae actionis, et omnis nostrae supernaturalis gloriae: *gratia*, " Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia non est gratia.„ Rom. X, 6.

Dei nostri et Domini Iesu Christi. - Secundum stylum ordinarium S. Pauli *Deus noster* dicitur de Deo Patre. sicut Dominus κύριος absque art., tamquam nomen proprium, de Iesu Christo, in quantum per resurrectionem est exaltatus et sedet ad dexteram Patris; Act. II, 36. Cfr. I Th. I, 1; II Th. I, 1, 2, II, 16. - Quia autem ante κυρίου *Domini* non repetitur articulus, ideo putant multi intime coniungenda esse: *Deus et Dominus*, atque utrumque de *Iesu Christo* dici, ita ut habeatur testimonium pro divinitate Iesu, sicut Rom. IX, 5; Phil. II, 6; Gal I, 1; II Cor. VIII, 9 (cfr. Heb. I, 8); ita Knabenb., Wohlenberg, Dobschütz.

II. - *De Signis praecursoriis Parousiae*, II, 1-12.

Thema: Non citò moveamini credentes instare diem Domini, 1-2.

Expositio: Primo debet accidere magna *defectio religiosa*, deinde apparere *homo peccati*, seu *Antichristus*. Mysterium iniquitatis iam operatur quidem occulte, sed manifestae eius et effrenatae operationi obstat aliquid: τὸ κατέχον. Quum autem *ille iniquus:* ὁ ἄνομος seu Antichristus apparuerit, - vincendus quidem a Christo glorioso, - signa et prodigia faciet et seducet multos, 3-12.

In scriptis paulinis nihil legitur magis mysteriosum hac pericope. Si alicui comparari posset, allegandi essent quidam textus *Apocalypseos*, v. gr. c. XIII: de bestia ex mari, et de altera bestia ex terra ascendentibus; cfr. etiam c. XVI, 9-11. - Eventus eschatologicos ideo describit S. Paulus, illos scil. qui *parousiam Domini* praecessuri sunt; nec de eisdem umquam alibi locutus est, inde augetur difficultas. Sed insuper hos mysteriosos eventus ultimos describit velatis sub verbis, atque stylo elliptico utens, supponit multa lectoribus nota, quae nobis omnino sunt impervia. Ubi enim mysteria maiora proponuntur lectoribus, invocat Apostolus verbum suum orale et cognitionem discipulorum, cfr. v. 5-6.

In explicandis textibus tam obscuris, ubi subiectivismus tam cito nos a vero sensu abducit, hoc tantum exegetae prudenti superest, scil. ut philologice textum cum cura exponat, citatis locis analogis ex scriptis tam canonicis quam extra canonicis, indicatis etiam praecipuis sententiis SS. Patrum et recentioris exegeseos, si haec aliquid novi ac fundati praestat.

II, 1. *Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτόν, 2. εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοὸς μηδὲ θροεῖσθαι, μήτε διὰ πνεύματος μήτε διὰ λόγου μήτε δι' ἐπιστολῆς ὡς δι'*

Praeter Patres, qui integros commentarios in nostras epistolas scripserunt (cfr. introd. p. 43-44) hic adhuc notandi sunt sequentes: *Tertullianus*, Adv. Marcionem, V, 16; De resurrectione carnis, 24 (P. G. 2); *S. Irenaeus*, Contra haereses, III, 6, 5; 7, 2; V, 25, 3 (P. G. 7); *S. Hippolytus*, Antichristus, 63 (P. G. 10); *Origenes*, Contra Celsum, II, 50 (P. G. 11); *S. Cyrillus Hier.*, Catech. XV (P. G. 33); *S. Hieronymus*, Ad Algasiam, epist. CXXI, cap. XI (P. L. 22); *S. Augustinus*, De civitate Dei, XX, 19 (P. L. 41).

Conferatur appendix II, de historia exegeseos huius pericopes.

Thema: **1.** *Rogamus autem vos fratres.* - Iisdem verbis exhortatio introducitur I, IV, 1, V, 12. - Pro verbo *ἐρωτᾶν* cfr. ad I. IV 1; - *δέ* = *autem*, mere consecutivum seu metabaticum, cfr. I. II, 17. Locutus est scilicet Paulus de *hac die Domini* qua impii puniendi, fideles praemio donandi sunt; nunc ad haec quaedam adiungere debet, ut corrigat scil. falsam ideam de instante adventu Domini.

per adventum Domini nostri I. C.: *ὑπὲρ* (= *περί*, *Rom.* IX, 27) *τῆς παρουσίας*, i. e. *relate ad, circa adventum* etc...

et nostrae congregationis in ipsum: καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτόν, hoc genitivum dependet a praepositione *ὑπέρ*, ideo omnino versio Vg. corrigenda est *et circa congregationem* etc...

Verbum *ἐπισυνάγειν* in synopticis adhibetur de congregandis electis pro iudicio in die novissimo, Matth. XXIV, 31. Mc. XIII, 27 (comp. Matth. XXIV, 28 = Luc. XVII, 37). - Ex his locis synopticorum probabiliter venit substantivum *ἐπισυναγωγή* adhibitum in sensu eschatologico: de congregandis electis cum Iesu glorioso, ut legimus I Th. IV, 14-17. - Eadem vox adhibetur in sensu messiano eschatologico, sed potius *nationalistico*, II Macch. II, 7: ignotus erit locus (ubi abscondita sunt tabernaculum, arca et altare incensi) donec congreget Deus *congregationem* populi etc...

Cfr. Deut. XXX, 4: de colligendis captivis, exulibus, dispersis Israel. — In N. T. adhuc semel Heb. X, 25: de conventibus religiosis.

2. *ut non cito moveamini.* - *Ταχέως* = *cito*, i. e. prima occasione oblata, fere idem ac: *leviter, faciliter;* ergo sine sensu temporali, Gal. I, 6, I Tim. V, 22, *contra* Phil II, 19, 24. " *Qui credit cito, levis corde est* „, Ecclis XIX, 4. - *Moveri* = *σαλευθῆναι*, ut calami a vento agitati, ita Matth. XI, 7 = Luc. VII, 24; vel secundum etymologiam, ut naves a tuta statione avulsae huc illucque iactatae et fluctuantes, Luc. XXI, 25; - Act. IV, 31, XVI, 26.

II, 1. Rogamus autem vos fratres, per adventum Domini nostri Iesu Christi, et nostrae congregationis in ipsum: 2. ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tam-

1. Vg. *per*, leg. *circa* vel *relate ad;*
— *et nostrae congregationis*, leg. et (circa) nostram congregationem...
2. *terreamini*, melius: *conturbemini*, Ambrost.; *turbemini*, Estius.

a vestro sensu: ἀπὸ τοῦ νοός. - Vox *νοῦς*, apud LXX, vertit hebraicum *leb*... vel *lebab;* apud Paulum 21 vicibus; extra Paulum: Luc XXIV, 45; Apoc. XIII, 18, XVII, 9. Designat facultatem hominis perceptivam, intellectivam (Luc. XXIV, 45), apud Paulum sub aspectu eius morali, quatenus dirigit actus nostros secundum legem Dei vel Christi (v. gr. Rom. I, 28, VII, 23, 25, XI, 34, etc. I Cor. I, 10, II, 16, etc...). Hic designat magis determinate: facultatem sobrie, tranquille res considerandi et iudicandi, ita ergo: *non perdatis vestrum sobrium, prudens iudicium...*

neque terreamini: μηδὲ θροεῖσθαι. Verbum *θροέω* apud Graecos significat *clamare, clamando strepitum facere.* In N. T.: *θροεῖσθαι* significat: *perturbari animo.* Hic ergo non intenditur *timor* (Vulg.), sed quicumque *status* agitationis, turbationis; status, dico, notandum est enim tempus praesuns, post aoristum praecedens: est *status* ideo agitationis sequens ex motu violento accepto (*σαλευθῆναι*), *Ambrost.*: neque conturbemini, *Estius:* turbemini. - Adhuc apud Matth. XXIV, 6, Mc. XIII, 7: ubi etiam cum relatione ad diem ultimum; cfr. Luc. XXIV, 37; Cant. V, 4.

neque per spiritum: *μήτε διὰ πνεύματος*

neque per sermonem: *μήτε διὰ λόγου*

neque per epistolam: *μήτε δι' ἐπιστολῆς.*

En triplex causa qua turbari potuissent, et probabiliter his tribus simul pseudo-apostoli discipulos turbarunt. In quo consistit *πνεῦμα* et *λόγος?* Secundum I Cor. XII, 8, XIV, 6, 26: *πνεῦμα* (per *metonymiam*, causa pro effectu) est revelatio vel prophetia a Spiritu accepta, cfr. I, v, 19-20; *λόγος* autem, sermo his notionibus revelatis nitens.

tamquam per nos missam. - Haec verba Vg. sunt interpretatio minime certa textus graeci: *ὡς δι' ἡμῶν, tamquam a nobis;* quae verba utique possent, a priori, ad ultimum, scil. *epistolam* restringi, ita cum Vg. Bornemann, et iam Tertullianus; sicut possent restringi ad duo ultima: sermonem et epistolam, ita v. gr. Lünemann, et inter antiquos *Theodt.* - Sed haec fiunt sine ullo solido argumento; nam quum triplex causa parallela indicetur, melius: *ὡς δι' ἡμῶν* ad tria

ἡμῶν, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ κυρίου. 3. *μή τις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον. ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀνομίας,* [1] *ὁ υἱὸς τῆς ἀπω-*

[1] S *ἁμαρτίας.*

extenduntur. Exaltati ergo quidam pseudo-praedicatores turbabant animos Thessalonicensium somniis suis eschatologicis; ut autem maiorem vim apponerent verbis suis, abutebantur auctoritate Apostolorum, falso allegata quadam eorum revelatione, vel conversatione, vel epistola spuria (Millig., Dobsch., Knab.).

per epistolam: *δι' ἐπιστολῆς*, legitur graece absque articulo, ideo non designatur explicite determinata *prima* epistola; probat tamen expressio ista, S. Paulum iam scripsisse aliquam epistolam ad Thessal., vel saltem ipsi morem esse scribendi epistolas ad ecclesias. Apocrypha ergo epistola sub nomine Pauli abusi sunt illi inquieti; ac probabilius (ne dicamus *certe*) authentica priori male explicata.

Non sine ratione Apostolus iam scripserat: *omnia* (charismata) *probate*, I, v, 21; hinc etiam apparet quare modo tam solemni iusserit ut prima sua *publice* legeretur, ibidem v. 27; nunc, volens cohibere cursum et abusum epist. apocrypharum, apponet propria manu nomen suum, infra III, 17.

quasi: *ὡς ὅτι*. - Composita particula Paulo propria, apud quem adhuc bis legitur II Cor. V, 19, XI, 21; non est classica, respondet classico genitivo absoluto: *ὡς ἐνεστώσης τῆς ἡμέρας.*

instet dies Domini. - Pro *die Domini* (nota graece duplicem art.) cfr. comm. ad I Th. V, 2. *Tempus instans* designatur verbo *ἐνίστημι*, sicut Rom. VIII, 38, I Cor. III, 22, VII, 26, Gal. I, 4, Heb. IX, 9, ubi participium pft. *ἐνεστώς* de re vel tempore *praesente* sumendum est.

Expositio. - **3.** *Ne quis vos seducat*, melius: *decipiat*. Verbum *ἐξαπατάω* sexies apud Paulum tantum, in sensu *decipiendi* (part. *ἐξ* addit vim simplici *ἀπατάω*, Eph. V, 6). - Ita Dominus noster orationem eschatologicam incipit his verbis: *Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christi*: *et multos seducent... Videte ne turbemini*, etc. Matth. XXIV, 4 sq.

ullo modo: *κατὰ μηδένα τρόπον*, non solum ergo uno ex praecitatis modis, sed nullo omnino modo; haec verba videntur esse modus loquendi, tamquam particula composita usitatissima (IV Macch., *apocrypho*, IV, 24, X, 7, vel *κατὰ οὐδένα τρόπον* II Macch XI, 31, IV Macch. V, 16). Huic opponitur: *καθ' ὃν τρόπον*: *quemadmodum*, Act. XV, 11, XXVII, 25; *κατὰ πάντα τρόπον*: *omni modo*, Rom. III, 2.

quoniam nisi venerit, etc - Ratio datur quare Thessalonicenses non debeant turbari, vel potius quare non decipiendi sint circa imminen-

quam per nos missam, quasi instet dies Domini. 3. Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum,

2. *missam* del. (W. W.); 3. *seducat.* melius. *decipiat*: — *quoniam* (subaud: *non veniet dies Domini*) *nisi venerit* etc.

tem parousiam: quia, scil., signa praecursoria praedicta nondum manifesta sunt. Notanda est ellipsis in hac phrasi, subauditur enim protasis, quae ita supplenda est: quoniam *non veniet dies Domini*, nisi venerit primum, etc... Eam oblitus est scriptor ob longiorem apodosim. Tales autem ellipses in stylo nervoso, onerato Pauli sunt frequentes; non est sermo accurate scribentis et verborum ordinem concludentis, sed vivide loquentis, dictantis, discutientis. In verbo vivente tales ellipses, sicut et hyperbata, prout hic (7 (8) 9) inevitabiles sunt, prout iam notavit occasione praesentis textus *S. Irenaeus* (P. G. 7) *contra Haer.* III, 7, 2. - Comp. Rom. IV, 16, V, 12 sq. (in hoc ultimo exemplo phrasis neque terminatur); Gal. II, 4-10. ., etc...

discessio primum. Vox: *ἀποστασία* (forma recens pro *ἀπόστασις*), Ambrost., Est.: *defectio*, sine dubio intelligenda est secundum contextum et habitualem sensum vocis apud LXX (Ios. XXII, 22, Ier. II, 19; praecipue I Macch. II, 15) et Act. XXI, 21, de *defectione religiosa a Deo.* In eodem sensu adhibetur verbum correspondens: *ἀφίσταμαι*, I Tim. IV, 1, Heb. III, 12. - Ergo, *vel de Iudaeis* cultum veri Dei derelinquentibus, *vel de Christianis* Evangelium abdicantibus. Nullo modo ideo agitur sive de paganis, sive de Iudaeis contra imperium Romanum insurgentibus, prout explicant Hieronymus, Ambrost., Pelagius, Caiet.; quam opinionem impugnat *S. Thomas*, vel saltem in sensum spiritualem convertit, scribens: " Sed quomodo est hoc, quia iamdiu Gentes recesserunt a Romano imperio, et tamen necdum venit Antichristus? Dicendum est, quod nondum cessavit, sed est commutatum de temporali in spirituale.. Et ideo dicendum est, quod discessio a Romano imperio debet intelligi, non solum a temporali, sed a spirituali, scil. a fide catholica Romanae ecclesiae. *Et autem hoc conveniens signum, quod sicut Christus venit quando Romanum imperium omnibus dominabatur, ita e converso signum Antichristi est discessio ab eo* „. - Cfr. etiam *Estium.*

Articulus *ἡ ἀποστασία* indicat agi de determinata, lectoribus iam nota, defectione religiosa, de qua Dominus Iesus in sermone eschatologico Matth. XXIV, 5: *et multos seducent*, 12, 24 et l. par.; cfr. Luc. XVIII, 8: *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* - In past. ep. Paulus determinat magis naturam huius defectionis, I Tim. IV, 1-3, II Tim. III, 1-9, IV, 3 sq. - Demum *apostasia* non est sumenda ut abstractum pro

λείας, 4. ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμά, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ καθίσαι, ἀπο-

concreto (*ἀποστασία* pro *ἀποστάτης*), ideo non est ipse *Antichristus,* prout iam tradit S. Iustinus (*homo apostasiae*), et intelligunt S. Chrysost., Theodt., (Oecum.), Theophyl., et S. Augustinus qui latine scribit: *refuga*, quod apud multos Latinos occurrit.

et revelatus fuerit: *καὶ ἀποκαλυφθῇ*. - En alterum signum praecursorium adventus Domini. Attamen copula: *et καί*, posset esse explicativa apostasiae praedictae, quae cum apparitione nunc describenda ad culmen suum perventura foret.

Verbum *ἀποκαλύπτεσθαι* describit extra-mundanum characterem huius qui est revelandus; et simul vivide opponit *Antichristum revelandum, revelando Christo* (cfr. I, 7); uterque habebit *revelationem* = *ἀποκάλυψιν* suam, cfr. adhuc v. 6 et 8; sicut etiam Antichristus dicetur mox miracula et signa facturus per Satanam: *erit ergo satanica parodia ipsius Christi* (II Cor. XI, 13 sq., Apoc. II, 2); erit *Christi aemulus* sed in sensu opposito, seu per malum (*Findlay*). Apud S. Paulum vox *Antichristus* non legitur, sed quem vocat: *homo peccati, filius perditionis,* etc... qui in fine mundi Christo adversabitur, absque dubio est identificandus cum illo Dei inimico mendaci et seductore, quem Iohannes vocat: *ἀντίχριστος* (I Ioh. II, 18 (bis), 22, IV, 3; III Ioh. 7).

Ille qui ante parousiam primum revelandus est, sub triplici aspectu describitur: 1) quantum ad suam naturam: *est homo peccati*; 2) quantum ad suam sortem ultimam vocatur *filius perditionis*; 3) eius officium demum et ambitio describitur in v. 4.

homo peccati: *ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀνομίας*. - Varians lectio habetur *ἁμαρτίας*, quam secuta est Vulgata, et admittit von Soden; quoad rem utraque vox significat idem, I Ioh. III, 4: *ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία*. - Hic habetur expressio semitica, qua significatur: *peccator maximus, homo qui totus est in peccato, cui peccatum est nota characteristica*; prout scribit S. Hieronymus, est homo: *in quo fons omnium peccatorum* erit (l. cit.); comp. Ps. LXXX, 23.

Belial (cum quo Christus nihil commune habet, sec. II Cor. VI, 15) aliquando apud Septuaginta vertitur: *ἀνόμημα* (Deut. XV, 9), *ἀνομία* (II Reg. XXII, 5) vel *ἀποστασία* (III Reg. XX (XXI) 13 A) Cfr. *Gesenii* Thesaurum p. 209-210. - Rabbini etiam nomen hebraicum erronee dicunt derivari a *beli* = *sine*, et *ôl* = *iugo* i. e. *ἄνομος* = *sine legis* (*iugo*). Quare concludit Milligan: *homo peccati* seu *iniquitatis* (*τῆς ἀνομίας*) nullus alius est quam *Belial*. - Si sub nomine *Belial* intelligeret clar. auctor *Satanam,* (prout omnes revera intelligunt), conclusio eius esset iam reiicienda; nam v. 9 *homo peccati* dicitur pro-

et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, 4. qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit

digia facturus *per Satanam*. Ergo homo peccati seu Antichristus, sec. S. Paulum, non est ipse Satanas, prout concedit Milligan. - Neque probatur litteraria connexio inter *Belial* (heb.) = *ἀνομία* (LXX), et verba Apostoli. Imo probatur haec litteraria connexio deesse; nam relatio est in textu paulino inter *ὁ ἄνομος* et correspondentem expressionem synonymam *ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀνομίας*. - *Homo peccati* seu *peccator* = *satelles diaboli* melius diceretur hebraice: *ish belial* i. e. *vir Belialis*, non autem ipse Belial = Satanas. - Cfr. etiam Frame.

filius perditionis: *ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας* - Similiter expressio hebraica designans hominem morti deputatum (I Th. V, 5, 8); agitur autem hic de morte spirituali aeterna seu damnatione, prout alibi apud S. Paulum; ita intellecta vox *ἀπώλεια* opponitur voci *σωτηρία* = *salus* v. gr. Phil. I, 28. Similis expressio legitur de Iuda, Ioh. XVII, 12; comp. LXX, I Sam. XX, 31, Deut. XXV, 2 etc.. - Prout Estius scribit: *est homo perditione dignissimus et aeternae perditioni destinatus, quasi ex perditione tamquam matre genitus.*

Sicut ideo ille iniquus et peccator non est ipse diabolus = *Belial*, (contra *Milligan*), ita non est abstractum principium mali (contra *Lightfoot*), nec etiam - ad ignominiam *Lutheri apostatae* hoc est addendum - nec etiam est Pontifex Romanus, qui hodie est suprema et unica auctoritas moralis a mundo universo agnita et invocata, ipse fidelis echo Veritatis et Iustitiae, ad imitationem Christi, Princeps Pacis. - Cfr. appendicem II.

4. *qui adversatur et extollitur*: *ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος*. - Unio utriusque participii, sub unico articulo, videtur indicare prius non esse sumendum *substantive: adversarius* i. e. Christi vel Dei (seu Satanas eiusve satelles), prout alibi apud S. Paulum (I Cor. XVI, 9; Phil. I, 28 (in plur.) I Tim. V. 14 (sing.), comp. Zach. III, 1); sed sumendum est *ut verbum*: adversans, *refragans*, Vg.: *qui adversatur*, S. Hier. supplet: *Christo;* - ita Dolschütz, Wohlenb., Frame, contra omnes comm. graecos et plerosque modernos, ut Lünem, Bornem., Lightf, Millig., Findlay.

Verbum *ἀντικείμαι* bis apud Lucam, sexies apud Paulum; in 1° sensu, cum notione locali: *ex adverso situs sum*, in 2° sensu seu morali: *adversor, refragor*, cum dativo (Luc, XIII, 17, XXI, 15, Gal. V, 17, I Tim. I, 10); hic habetur constructio cum *ἐπί* et acc., sub influxu alterius participii.

et extollitur: *καὶ ὑπεραιρόμενος*, *et se efferens.* Verbum *ὑπεραίρομαι* ter apud Paulum tantum (hic et II Cor. XII, 7, bis). Pro

δεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστιν θεός. 5. *Οὐ μνημονεύετε ὅτι ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς ταῦτα ἔλεγον ὑμῖν;* 6. *καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε, εἰς*

compositis cum *ὑπέρ*, cfr. I Th, III, 10. Hoc verbum significat: *extollor*, vel: *me extollo, superbio*. - Tum imagines, tum ipsae expressiones, desumuntur evidenter ex *Dan. XI, 36* (de Antiocho Epiphane), qui textus mox citabitur.

super omne quod dicitur Deus aut quod colitur : ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα. - Praepositio *ἐπί* melius vertitur hic: *contra*, et ita optime connectitur etiam cum primo participio.

Mutat Paulus, in *textu Danielis*, ad quem alludit, vocem simplicem *Dei* in: *quod vocatur Deus*, volens etiam apparentiam polytheismi vitare (I Cor. VIII, 5); et addit: *σέβασμα*, i. e. *obiectum cultus*, prout Vg. bene vertit: *quod colitur*; adhuc Act. XVII, 17.

ita ut in templo Dei sedeat - En culmen huius auto-deificationis Antichristi; tam impie se exaltabit ut videatur ambire ipsammet adorationem in templo, Deo propriam. Non *materialiter* ergo *in templo* intelligatur de *determinato* templo.

Vox adhibetur *ναός*, (apud LXX versio hebr. *hêkal*), ergo designat *aedem sacram interiorem*, quae comprehendit *sanctum* et *sanctum sanctorum*, i. e. *sanctissimum*. Simili modo distinguunt Evangelistae inter *ναόν* et totum *ἱερόν*. Quare aliqui inter antiquiores Patres, ut Irenaeus et Hippolytus (l. cit.), vocem: *ναός* intellexerunt *de templo hierosolymitano* (etiam *Bornem*). - Inde autem a *S. Ioh. Chrysostomo* multi interpretati sunt de templo, quod est Ecclesia Dei quae etiam *ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ* vocatur a Paulo, I Cor. III, 16, 17, II Cor. VI, 16, Eph. II, 21; comp. Apoc. III, 12, VII, 15 (de nova Ierusalem). - Has solutiones breviter resumit S. Hieronymus scribens: " *in Templo Dei*, vel Ierosolymis (ut quidam putant) vel in Ecclesia Dei (ut verius arbitramur) ". - Hac autem materiali explicatione relicta, rectissime scribit *Knabenbauer*: " De certo aliquo templo (ut Hierosolymitano) non erit cogitandum, neque de ecclesia Christi, templo Dei etc.... *sed est modus loquendi, quo significetur, omnem titulum et omnia iura Dei ab illo (scil. Antichristo) usurpatum iri*, „ usque ad ipsam adorationem, honorem soli Deo debitum.

ostendens se: *ἀποδεικνύντα ἑαυτόν*. - Verbum hoc legitur adhuc in Actibus Ap. II, 22, XXV, 7 et in I Cor. IV, 9; in posteriori lingua graeca etiam significat: *nominare*, *proclamare* (vide exempla apud *Moulton-Milligan*).

tamquam sit Deus: *ὅτι ἔστιν θεός*. - *Tamquam*„ in Vg. abundat et attenuat immerito sensum: *ostendens se Deum*, *gerens se ut Deus*, vel *proclamans seipsum Deum!...* - En quare *dicitur* occupare ipsum sanctuarium, ut usurpet honores divinos... Prout iam diximus,

Deus. 5. Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis? 6. Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur

5. *non retinetis,* leg. *non meministis.*

haec descriptio magna ex parte desumpta est ex *Dan. XI, 36,* et quoad ultima verba ex *Ezech. XXVIII, 2.* Qui textus hic citandi sunt.

Daniel l. cit. loquitur de *Antiocho Epiphane*: 36 *καὶ ποιήσει κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ καὶ ὑψωθήσεται ὁ βασιλεὺς καὶ μεγαλυνθήσεται ἐπὶ πάντα θεόν... κτλ.* Vg: *et faciet iuxta voluntatem suam rex; et elevabitur, et magnificabitur adversus omnem deum* ect.

Dominus dicit ad *Ezechielem*: *καὶ σύ, υἱὲ ἀνθρώπου, εἰπὸν τῷ ἄρχοντι Τύρου Τάδε λέγει Κύριος Ἀνθ' οὗ ὑψώθη σου ἡ καρδία, καὶ εἶπας Θεός εἰμι ἐγώ... κτλ.* Vg.: *Fili hominis, dic principi Tyri: Haec dicit Dominus Deus: Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi* etc .. - Comp. Dan. VII, 25, IX. 27, Is. XIV, 13 sq.

Circa deificationem imperatorum romanorum, cfr. optimam notam apud *Findlay*, op. cit. p. 172 - 174.

5. *Non retinetis: οὐ μνημονεύετε = annon meministis* Prout notat *Theophylactus*: " nonnihil autem pudoris suffundit eis, cum dicit: *Non meministis*? tam cito obliti estis? „

quod cum adhuc apud vos essem: *ὢν πρὸς ὑμᾶς*, accus. loco genitivi, cfr. notam I Th. III, 4; adhuc infra III, 1.

haec dicebam vobis? - Impft. repetitionis: *ἔλεγον*: *haec saepe vobis dicebam.* Pluries Paulus revocat ad oralem praedicationem suam v. gr. I Cor. II, 1, 4, XI, 23, XV, 1; Gal. I, 9, IV. 13; Phil. III, 18; I Th. III, 4, ect... Haec, scribit Paulus, pluries vobis dixi, quare ergo turbamini ac si non credatis auctoritati meae? " Est haec tacita obiurgatio. „ *Estius.*

6. *Et nunc quid detineat scitis*: *καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε.* - Aliqui intelligunt *nunc* in sensu mere *logico: rebus ita se habentibus,* sicut v. gr. Ioh. XVIII, 36; Act. III, 17, VII, 34, X, 5 etc.; I Ioh. II, 28. Melius autem sumitur in sensu stricte *temporali*, ut oppositum, - non quidem praec. v. 5: *quum adhuc essem apud vos* (Dobsch.), - sed *futurae* revelationi antichristi quae v. 7 nuntiatur.

Neque exclusive sive cum *scitis* sive cum *detineat* videtur connectendum; potius tamen determinaret *τὸ κατέχον*. Non legitur quidem *τὸ νῦν κατέχον*: *quid nunc detineat,* sed ante transpositum est adverbium, quia tota emphasis est in *nunc*, quod vivide opponitur (ac si absolute staret) *futurae* antichristi operationi.

Ubi Vg. legit: *quid detineat*, graece habetur: *τὸ κατέχον.*

Circa sensum verbi *κατέχω*, cfr. quae supra I Th. V, 21 dicta sunt. Significat: *detinere, firmiter tenere, retro*

cohibere, ne scil. homo peccati, filius perditionis iamiam reveletur.

Sed quid est istud detinens seu *retinaculum Antichristi*: *τὸ κατέχον*?

α) Debet esse aliquid praesens tempore compositionis huius epistolae, quum v. 7 dicatur: *qui tenet nunc* = *ὁ κατέχων ἄρτι*.

β) Insuper, quum hoc loco in masculino genere enuntietur, debet sese mundo efferre modo quodam personali.

γ) Quid sit, Paulus supponit lectoribus notum, et nonnisi velato de eo loquitur - haec veritas lucem timet. Intelligenti pauca!... Sed ut notat S. Augustinus: " *quoniam scire illos dixit; aperte hoc dicere - quid sit - noluit. Et ideo nos qui nescimus quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id quod sensit Apostolus, cupimus, nec valemus.... Ego prorsus quid dixerit, me fateor ignorare* „.

δ) Impraesentiarum nobis sufficiat indicare opinionem inter antiquos omnino communem, et ad quam, ut scribit ipse *Dobschütz*, moderni redeunt. Obstaculum ideo apparitioni Antichristi esset Status Romanus.

Iam apud *Tertullianum* ter legitur istud, cum tam insistenti constantia acsi ex *traditione apostolica* hoc haberet.

Apol. c. XXXII: " Est et alia maior necessitas nobis orandi pro imperatoribus, etiam pro omni statu imperii rebusque Romanis, qui vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam saeculi acerbitates horrendas comminantem Romani imperii commeatu scimus retardari. Ita quae nolumus experiri, ea dum precamur differri: Romanae diuturnitati favemus „ (M. P. L. 1, *col.* 508-509).

Ibid. cap. XXXIX: " Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministeriis eorum ac potestatibus, pro statu saeculi, pro rerum quiete, pro mora finis „. (col. 532).

De resurrectione carnis, cap. XXIV. Citato v. 6 petit Tertullianus: " Quis nisi Romanus status? cuius abscessio in decem reges dispersa Antichristum superducet. „ (M. P. L. 2, col. 876-877).

Hic ultimus textus continet allusionem ad prophetias Danielis, in specie ad caput VII de quarta bestia, applicatum *imperio Romano*, post cuius divisionem inter decem reges, consurget Antichristus - Ita etiam legitur in *Apocalypsi Baruch*, 39, 7: " quum appropinquaverit tempus finis eius (*regni quarti*, *Dan.* VII, 7, scil. *Romani*) revelabitur regnum Messiae fonti et viti simile „. (Cfr. *Székely*, Biblioth. apocrypha p. 261). - Item *S. Ioh. Chrysost.* et alii.

Status ideo Romanus, quatenus *ordinatione sua aequa et mirabili* est status ordinis, iustitiae et pacis, consideratur ut *potentia retinens* apparitionem Antichristi, effrenatamque eiusdem actionem impedit, dum e contra favet diffusioni Evangelii.

Immensa Romanae pacis maiestas!

Universale imperium Romanum, ita disponente Deo, miro modo adiuvit diffusionem universalis evangelii. Eius autem salutare auxilium

expertus est ipse Paulus iam ab initio ministerii sui, quum Sergius Paulus se ad fidem converteret, Simone mago devicto, Act. XIII, 6-12; item in ipsa civitate Thessalonica, Act. XVII, 6-9. - Propter hanc iustitiae romanae protectionem gratus, valde laudavit potestates civiles, a Deo ordinatas; atque erga eas commendavit obedientiam, timorem et honorem: Rom. XIII, 1-7. - Cfr. *Milligan*, *Dobschütz*, *Findlay*.

Pro historia interpretationis cfr. appendicem II.

Modus autem tam mysteriosus loquendi Apostoli in hac materia, non solum quadrat cum ordinario stylo apocalyptico, sed etiam imponebatur, in hypothesi praecitata, quando adhuc exstabat imperium Romanum, quod aeternum a Civibus aestimabatur. Plerique Patres ita velatum modum loquendi S. Pauli explicarunt. Sic v. gr., ut unum tantum testimonium afferamus, *S. Hieronymus:* " Nec vult aperte dicere Romanum imperium destruendum, quod ipsi qui imperant aeternum putant. Unde sec. Apocalypsim Ioh., in fronte purpuratae meretricis, scriptum est nomen blasphemiae, id est, *Romae aeternae.* Si enim aperte audacterque dixisset: non veniet Antichristus, nisi prius Romanum deleatur imperium, iusta causa persecutionis in orientem tunc Ecclesiam consurgere videbatur „. - *Ep. ad Algasiam* l. cit. - Cfr. etiam *S. Ioh. Chrysost.*

ut reveletur in suo tempore: εἰς τό. - Expressio haec mere consecutiva est, non vero stricte finalis, cfr. I Th. II, 16. - Ideo Domini parousia non est imminens, sed nec ipsius Antichristi manifestatio instat, quum impedimentum adhuc adsit quo retinetur Antichristus. Sicut autem parousia Domini dicitur habere tempora sua (I Th. V, 1, I Tim. VI, 15); ita et homo peccati revelandus est *in tempore suo:* ἐν τῷ αὐτοῦ καιρῷ, i. e. in tempore a Deo definito.

Ergo id quod Antichristum detinet: τὸ κατέχον non est, secundum intentionem loquentis Apostoli, *decretum divinum in se.*

α) Nam Antichristum *tunc* tantum esse venturum, *quando Deus permiserit*, omnes sciebant ac sciunt; ideo si hoc intendisset Paulus, vel nihil dixisset vel dixisset quae patent per se.

β) In hac sententia minus bene explicaretur masculinum ὁ κατέχων (v. 7).

γ) Et quomodo diceretur istud decretum *e medio fieri* i. e. *tolli.*

δ) Demum si hoc intendisset, quare non clarius locutus est? - Sed si tale quid clare dixisset, statim fideles (aeque ignari ac olim...) petiissent: Quo demum momento decrevit Deus, Antichristum esse venturum?

Decretum Dei ergo absque dubio determinat tempus apparitionis antichristi; sed, secundum doctrinam apostolicam, insuper determinavit Deus aliquod visibile signum, quod praesentia ac praestigio suo in mundo, impedit effrenatam actionem Antichristi. Hoc *visibile* signum intendit S. Paulus.

Sententiam de *decreto Dei* retinente Antichristum, post alios proposuit *Theodoretus.* Reiecta opinione de

τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν ἐν τῷ αὐτοῦ καιρῷ. 7. *τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας· μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται.* 8. *καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, ὃν ὁ κύ-*

statu Romano, subiungit: " existimo verum esse quod ab aliis dictum est. Statuit enim universorum Deus, ut appareat ille in ipso tempore consummationis. *Dei ergo decretum nunc ipsum detinet quominus appareat* „. (M. P. G. 82, col. 666). - Vere quod nimis probat, nihil probat!...

7. - *Nam mysterium iam operatur iniquitatis: τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας.* - Pro *ἐνεργεῖται* cfr. I Th. II, 13.

Ut manifestum est ex particula *nam γάρ*, haec verba explicant ac determinant sub aliquo aspectu verba praecedentia de *revelatione* hominis peccati in tempore suo. Diximus, ita Apostolus, *revelandum* esse Antichristum; nam *iamiam* (*ἤδη*) *occulte* operatur mysterium iniquitatis, et ideo nondum tam effrenate Christo adversatur sicut adversabitur Ei tempore revelationis suae. Revelabitur autem et publice atque effrenate incipiet operari et Christo adversari, remoto impedimento supradicto.

Istud *mysterium iniquitatis* stat pro ipsa iniquitate seu principio malo occulte operante; quod est principium internum et movens *Antichristi*: *ὁ ἄνθρωπος ἀνομίας = homo iniquitatis* (v. 3), qui similiter: *ὁ ἄνομος = ille iniquus*, vocatur (v. 8). - Dicitur autem *mysterium*, quia occulte est agens, ut oppositum eiusdem Antichristi *futurae revelationi et publicae actioni*. - Pro voce *μυστήριον* apud Paulum, cfr. notam apud *Arm. Robinson*, op. cit., p. 234 sq.

Oppositio inter Christum, Salvatorem benedictum, et Antichristum, satellitem Satanae, magis magisque evolvitur. Nam verbis: *μυστήριον τῆς ἀνομίας*, quibus designatur Antichristus eiusque occultus influxus pessimus in mundo, opponuntur expressiones sequentes de Christo eiusque Incarnatione: *μυστήριον τῆς εὐσεβείας, μυστ. τῆς πίστεως = mysterium pietatis, fidei.* (I Tim. III, 9, 16).

Qui autem hunc iniquum agentem quaerunt in aliqua persona tempore Pauli regnante, videntur altum Pauli sermonem diminuere ac enervare. Non pauci auctores, tam antiqui quam moderni, hunc iniquum agentem assimilarunt nequissimo imperatori Neroni, typo Antichristi. Sed praeter alia inconvenientia, impegit haec opinio in manifestum anachronismum; nam scripta est haec epistola a. 51-52, dum vero Nero incepit regnare anno 54; neque initia regni eum tam impium revelarunt, sicut postea fuit. - Audiatur *S. Augustinus* " *Iam enim mysterium iniquitatis operatur*, Neronem voluerit intelligi, cuius iam facta velut Antichristi videbantur..... Sed multum mihi mira est haec opi-

in suo tempore. 7. Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. 8. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet

7. *tantum ut* etc... legendum: tantum donec *qui detinet adhuc* de medio fiat.

8. Vg: *illustratione adventus sui*; Estius: apparitione praesentiae suae.

nantium tanta praesumptio „ (*De civit. Dei* XX, cap. 19). Cfr. etiam *Estium*.

tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. - Bene notetur textus graecus: *μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται*. Verba: *ut... teneat,* in Vg. sunt addita, supposita ellipsi non supponenda. Nam: *ὁ κατέχων ἄρτι* est considerandum ut *unum* subiectum: *ille adhuc detinens* (secundum versum praecedentem); dum *μόνον... ἕως* simul iuncta indicant limitem occultae operationis... et horam revelationis Antichristi: *donec e medio fiat.* Verba autem: *ὁ κατέχων ἄρτι* propter emphasim posita sunt ante *ἕως* temporale (Gal. II, 10). - Demum sensus verborum: *ἐκ μέσου γένηται* est clarus: *de medio fiat*, i. e. *tollatur*, fere ut Col. II, 14.

Versio litteralis ideo huius phraseos est: *tantum donec qui tenet adhuc, de medio fiat;* et formalis sensus verborum patet: operatur occulte iniquitas, quamdiu subsistit istud retinaculum, quo remoto revelabitur Antichristus...

8. *et tunc revelabitur ille iniquus*, quando scil. e medio factus seu remotus fuerit *ὁ κατέχων ἄρτι* = *qui adhuc detinet.* Particula *tunc* = *καὶ τότε*, emphatice opponitur praecedentibus: *nunc, iam, adhuc* = *νῦν, ἤδη, ἄρτι* (v. 6, 7). *Iniquus*, determinatus articulo: *ὁ ἄνομος*, evidenter ille iniquus est, qui supra vocatur: *ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀνομίας*, cuius principium internum movens est: *τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας* (v. 3, 7); ille iniquus, qui totus iniquus est in natura sua, in principio movente, in scopo suo, est *Antichristus.*

quem Dominus Iesus interficiet etc... - Phrasis relativa describens sortem finalem illius iniqui, et victoriam Christi super Antichristum. Verba desumuntur ex Is. XI, 4: *et percutiet* (*Messias*) *terram* (legendum: *tyrannum*) *virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Cfr. etiam Iob. IV, 9.

— Verbum *ἀνελεῖ* (*αναλοι, Findlay;* alii *αναλωσει*) forma futuri post-classica ex aor. 2 verbi *ἀναιρέω*: auferet vel removebit; Vg: *interficiet* - Verbum hoc in *Actis* est frequens (19), semel apud Matth., bis apud Lucam; apud Paulum hic tantum et semel in ep. ad Heb. X, 9.

spiritu oris sui: τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ. - Alii: *mero*

ριος Ἰησοῦς ἀνελεῖ τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ, 9. οὗ ἐστιν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ

halitu oris sui Dominus Iesus destruet hunc superbum, potentem hominem peccati, sicut in apocrypho IV Esdr: *perdet eos sine labore.* - Alii, sicut in loco cit. Isaiae, ubi *spiritus* est parallelus ad *virgam* i. e. *sceptrum*: *de praecepto seu iussu oris sui.* Ita Oecumenius: Spiritum... oris vocat iussum ac praeceptum, et *S. Hieronymus* (l. cit. ad Algasiam): " divina videlicet potestate, et suae maiestatis imperio, cuius iussisse, fecisse est „.

Est metaphora in theophaniis describendis frequenter usitata ad designandum instrumentum divinum tremendae destructionis, v. gr. Is. XXX, 33: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam; ibid. a v. 27 ad 33 *passim;* Ps. XXXIII (XXXII Vg.) 6, CIV (CIII) 30. - Sicut ergo flatus Domini describitur ut principium creationis, ita et potentissimum instrumentum erit destructionis; hoc dictum ita intellectum correspondet I, 7. - Comp Apoc. I, 16. II, 12, XIX, 15, 21, et IV Esdrae XIII, 10.

et destruet illustratione adventus sui etc.... *καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ.* - Verbum *καταργέω* est causativum verbi *ἀργέω,* (ab *ἀργός: otiosus,* v. gr. II Petri II, 3: *otior, cesso*) ergo significat: *reddere otiosum, cessare facere;* Vg. *destruere.* Apud S. Paulum frequentissimum, 26 vicibus, (incl. Heb., ubi semel); extra Paulum semel tantum: Luc. XIII, 7.

Quantum ad subst. *ἐπιφάνεια* notandum est, hic tertiam vocem haberi designantem gloriosum reditum Messiae. 1) *παρουσία*, cfr. I, II, 19; 2) *ἀποκάλυψις*, II, I, 7; 3) *ἐπιφάνεια.*

Vox *ἐπιφάνεια*, non-classica, frequens est in recentiori graeca lingua de subita apparitione... praecipue divinitatis, in inscriptionibus etiam de ingressu imperatoris; sicut notatum est pro *παρουσία*, cfr. *Deissmann* Licht vom Osten [2] p. 283-284.

Apud LXX aliquando legitur, v. gr. II Reg. VII, 23, Esther V, 1, Amos V, 2, II Macch. II, 21, III, 24, V, 4, XII, 22, XIV, 15, et in apocrypho III Macch.; verbum autem correspondens frequenter in Psalmis occurrit de Iahweh se manifestante. In N. T. apud Paulum tantum, et quidem praesente loco excepto, in ep pastoralibus exclusive, ubi quinquies: quater cum sensu eschatologico (I Tim VI, 14, II Tim. IV, 1, 8, Tit. II, 13), semel de manifestatione Salvatoris in ipsa Incarnatione (I Tim. I, 10).

Apud auctores ecclesiasticos demum adhibetur de omni manifestatione Verbi Incarnati, quo sensu in festo *Epiphaniae* recolimus non solum Christi agnitionem a Magis, sed et Eius baptisma in quo agnitus est ac manifestatus a Patre, et a Iohanne Baptista.

spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum: 9. cuius est adventus secundum operationem satanae, in omni

Non includit sensum splendoris aut illustrationis (Vg.); melius cum Estio vertitur: *apparitione praesentiae suae.* Ita Ioh. Chrys.: Christus iussu solo et praesentia Antichristum tollet. - Cfr. *Milligan,* p. 148.

9. *cuius est adventus:* οὗ ἐστιν ἡ παρουσία. - Tempus praesens stat pro futuro, sicut infra πέμπει v. 11 (Vg. *mittet*), I Th. V, 3, I Cor. III, 13. Hic habetur altera phrasis relativa, referenda ad v. 8*a*: *tunc revelabitur ille iniquus.* Prima phrasis relativa, in 8*b*, describit sortem finalem illius iniqui, seu eius destructionem sola praesentia Iesu; haec altera redit ad describendum eius adventum et eius operationis naturam.

Sicut Dominus Iesus ergo habebit suam gloriosam parousiam, ita et ille Iniquus seu Antichristus; cfr. etiam Apoc. XVII, 8. Sicut verus Christus, ita et Antichristus aget sub influxu supernaturalis principii, et uterque mirabilia faciet. Sed omnino opponetur Christi operationi haec operatio Antichristi: 1) quoad principium (*ex Satana,* cfr. verba seq.), 2) quoad intimam naturam (*in mendacio,* cfr. verba seq.), et 3) quoad finem (*ad seductionem,* cfr. v. 10). - Apparitio ergo et praesentia Antichristi inter homines erit:

secundum operationem Satanae: κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ. Sicut Antichristus non erit neque est ipsum abstractum principium mali, sed concretus quidam personalis; ita non erit ipse Satanas, sed homo quo Satanas tamquam instrumento usurus est: ὁ Σατανᾶς ὀργάνῳ κέχρηται ἐκείνῳ (*S Cyril. Hieros.,* Catech. XV, 14; M. P. G. 33, col. 888). Ut ad Deum se habet Christus, sic e contrario ad Satanam se habet antichristus, medius inter Satanam et homines perditos. - *Bengel.*

sec. oper. Sat. in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus (graece: *mendacii*). - Hic de solo Antichristo dicuntur, quae a Domino nostro (Mc. XIII, 22 *l. p.*) pluribus tribuuntur scil. pseudo-christis et pseudo-prophetis. Notetur graece differentia inter κατ' ἐνέργειαν (*sec. operationem*) et ἐν πάσῃ δυνάμει (*in omni virtute*): δύναμις dicit *facultatem, potentiam aliquid faciendi,* hic, prout ex *seq.* patet, facultatem ad facienda signa et portenta; dum vero ἐνέργεια dicit ipsam potentiam in exercitio seu actu, cfr. Eph. III, 7. - Vox autem ἐνέργεια in Novo Test. (tantum apud Paulum, octies) semper dicitur de supernaturali activitate divina (cfr. Eph. I, 19, III, 7, IV, 16; Phil. III, 21; Col. I, 29, II, 12), hic tantum de operatione Satanae eiusdemque operatione erroris, II Th. II, 9, 11. Apud LXX vox non occurrit; in libris graecis V. T. aliquoties: Sap. VII, 17 al., II Macch. III, 29, etiam in apocrypho III Macch. - Inter Graecos inde ab Aristotele. - Cfr. *Robinson:* Ephesians, p. 242

τέρασιν ψεύδους 10. *καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ ἀδικίας τοῖς ἀπολλυμένοις, ἀνθ' ὧν τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο εἰς τὸ σω-*

Ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασιν ψεύδους (*in omni virtute, et signis et prodigiis mendacibus*). A plerisque primum et ultimum verbum (*omni* et *mendacii*) referuntur ad tria... Melius autem cum *Dobschütz* et *Findlay*, sicut in Vg. caeteroquin, *ἐν πάσῃ* restringetur ad *δυνάμει*, et *ψεύδους* ad duo praecedentia; haec duo enim dicunt in quibus illa virtus satanica sese manifestatura sit; aliter esset dicendum si, ut plerumque, vox *virtus* in plurali legeretur. Erunt ideo opera satanica Antichristi: *signa et prodigia quae mendaci consilio ad decipiendos homines edentur;* ita Dominus noster de diabolo dicit: "cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater eius „. Ioh. VIII, 44.

In sacro codice saepissime leguntur coniunctae hae duae voces: *σημεῖα κ. τέρατα* (hebraice: *ôthot umophthim*); vel inverso ordine rariore (v. gr. Sap. X, 16; Ioel, II, 30 (?); in N. T. tantum in *Actis* II, 22, 43, VI, 8, VII, 36). Saepe etiam additur in plurali: *δυνάμεις*, v. gr. Act. II, 22; cfr. Rom. XV, 19. Vox autem *τέρας* (*prodigium* vel *miraculum*) numquam sola adhibetur in N. T.; visa est ergo scriptoribus sacris minus apta ad designanda Iesu vel Apostolorum supernaturalia opera, quae erant *signa*, non tantum *mira;* non enim fiebant ad excitandam sterilem admirationem, sed propter fidem. Unde pulchre simul ac profunde scribit *S. Augustinus:* " Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo... Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi, verbum nobis est „. (*In Ioh. ev. tract. XXIV; ad cap. VI Joh. v. 1 sq*).

Etymologice quidem haec tria nomina differunt: *τέρατα* dicunt *portenta,* admirationem moventia; *σημεῖα signa,* i. e. quae in mentem aliud faciunt venire; dum vero *δυνάμεις* ipsas vires designant, unde profluunt portenta et signa.

Vox *virtus* ideo describit miraculum ab eius origine vel *causa; signum,* ab eius *fine* vel *significatione; prodigium,* sicut ipsa vox *miraculum* vel *mirum,* ab eius natura extraordinaria, quae admirationem movet hominum.

Indiscrimatim tamen saepe fere ut synonyma adhibentur

— Intra limites huius generalis et sobriae descriptionis parousiae ac operis Antichristi sistit Apostolus; apocryphi libri autem mira et portenta ad beneplacitum multiplicant; v. gr. *Orac. Syb.*: Ex Sebastenis veniet postea Beliar, elevans montes, sistens mare, solem igneum magnum atque lucentem lunam, suscitans mortuos, et faciens signa multa inter homines. Perfectio autem in ipso non est, sed seductio, itaque multos homines seducet... (III, 63-68). Cfr. Frame, p. 269.

Finis operationis Antichristi nunc indicatur:

virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, 10. et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt: eo quod charitatem veri-

10. *et in omni seductione iniquitatis*: *καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ ἀδικίας*. - *Ἀπάτη* (ab *ἀπατάω*: *seducere, decipere* II, II, 3) *fraus, fallacia*, Eph. IV, 22, Col. II, 8;... *τοῦ πλούτου*: fallacia seu seductio divitiarum, Matth. XIII, 22 = Mc. IV, 19. - Iniquitas ergo censetur potentia seducens et fallens... sed non omnes. Antichristus iniquus ipsa iniquitate sua decipiet et in iniquitatem impellet... sed non omnes; additur enim:

iis, qui pereunt: *τοῖς ἀπολλυμένοις*, (dat. incommodi): *perditis*, i. e. praescitis ad perditionem (*Thom.*), vel iamiam dignis perditione aeterna (*Theodt.*), qui agunt ita ut digni iam perditione, certo ad perditionem perventuri sint. - Vox paulina: I Cor. I, 18, II Cor., II, 15, IV, 3, non alibi; opponitur *τοῖς σωζομένοις*, v. gr.: Verbum enim crucis *pereuntibus* = *perditis* quidem stultitia est, iis autem, qui *salvi fiunt*, id est, nobis, Dei virtus est, I Cor. I, 18; cfr. II Cor. II, 15, Luc. XIII, 23, Act. II, 47, similiter non alibi. - Cfr. I, v, 8.

eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. - Pro *ἐδέξαντο*: *susceperunt* libero consensu, hic, cum supernaturali amore, I, II, 13. - Particula composita *ἀνθ' ὧν* = *ἀντὶ τούτων*: *propterea quod*, classica est; frequenter occurrit apud LXX; apud S. Paulum hic tantum; in singulari cum eodem sensu: *ἀντὶ τούτου*, Eph. V, 31.

charitatem veritatis: *τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας*, cfr. v. 12. Sublimis ac vere paulina expressio composita, quae hic tantum occurrit, et paronomastice simul ac contradictorie opponitur praecedenti: *ἀπάτῃ ἀδικίας* = *seductio iniquitatis*.

Haec verba: *charitas veritatis* leguntur in stemmate *Rev.mi et Venerabilis Patris H. M. Cormier*, LXXVi successoris S. Dominici et fundatoris nostri *Collegii Angelici*.

Veritas, hic designata, non est quaecumque veritas naturalis, sed Evangelium, veritas autonomastice quae salvare possit homines, seu *Veritas sanctificans et salvifica* (Gal II, 5, 14; Col. I, 5): Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et *sanctitate veritatis*, Eph. IV, 24; comp. Ioh. VIII, 31-32.

Non sufficit autem audire, accipere et retinere veritatem, sed oportet *diligamus veritatem* (*ἀγάπη τῆς ἀληθείας gen. obiect.*), *ut haec veritas in nobis vivat et fructificet*, - sicut semen, quod cecidit in terram bonam, sub influxu solis crescit et fructus multos producit (Matth. XXIII, 23). Oportet ergo *faciamus veritatem in charitate* (Ioh. III, 21, Eph. IV, 15) *ut sanctificemur in veritate* (Ioh. XVII, 17 sq. - Quare notat *S. Thomas*: " dicit (*Apostolus*) charitatem veritatis, quia nisi

θῆναι αὐτούς. 11. *καὶ διὰ τοῦτο πέμπει αὐτοῖς ὁ θεὸς ἐνέργειαν πλάνης εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει,* 12. *ἵνα κριθῶσιν ἅπαντες* [1] *οἱ μὴ πιστεύσαντες τῇ ἀληθείᾳ ἀλλὰ εὐδοκήσαντες τῇ ἀδικίᾳ.*

13. *Ἡμεῖς δὲ ὀφείλομεν εὐχαριστεῖν τῷ θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ κυρίου, ὅτι εἵλατο ὑμᾶς ὁ θεὸς*

[1] N. ed. 2 *πάντες.*

sit formata fides per charitatem nihil est: " Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum„. I Cor. XIII, 2.

Patres Graeci, post *S. Chrysost.*, *charitatem veritatis* intellexerunt de Christo, fere ut Ioh. I, 11: et sui eum non receperunt. Ita ergo princeps commentatorum S. Pauli: " utraque enim erat (*Christus*) et propter utraque accesserat, et *homines diligens, et pro veris rebus* „.

Lux autem venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, Ioh. III, 19. Quapropter puniendi sunt impii... et iam puniuntur, nam magis magisque tenebris obvolvuntur:

11. *Ideo mittet illis Deus* - *καὶ διὰ τοῦτο*: *et propter hoc*, scil. quia charitatem veritatis non receperunt; *πέμπει*: *mittit*, praesens pro futuro (Vg. corrigenda, W. W.). - Indicatur non tantum actio permissiva Dei, sed vindicativa: executio iudicii divini iam hic punientis impios. - Ita *Pirke Aboth c. IV*: " Festina ad praeceptum leve tamquam ad grave, et fuge transgressionem; praeceptum enim trahit praeceptum, et transgressio transgressionem: quia merces praecepti praeceptum est, et transgressionis transgressio „. Cfr. *B. Weiss*, Römer[9], p. 87, nota.

operationem erroris: *ἐνέργειαν πλάνης*, gen. obiectivum indicans huius operationis terminum i. e. errorem, deceptionem. - *Ἐνέργεια πλάνης* parallelum est ad *ἐνέργεια τοῦ Σατανᾶ* (v. 9), nam Satanas est *ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην*: *qui seducit universum orbem*, Apoc. XII, 9, XIII, 14, XX, 10, cfr. Ioh. VIII, 44. - Hic legendus est textus *ep. ad Rom.* I, 24, 26, *28*: " Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum: ut faciant ea, quae non conveniunt etc „.

ut credant mendacio. - Opponitur *charitati veritatis* quam reiecerunt (*ψεῦδος* oppos. *ἀλήθεια*); nunc, pro punitione sua, cadunt ab abysso in abyssum errorum (Rom. I, 28 sq.)... - " Unde diximus, concludit *Estius*, quaedam ita esse peccata, ut etiam praecedentium poenae sint peccatorum „. - Completio huius verbi Domini: Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit, in nomine suo (*de Antichristo* intelligunt Patres), illum accipietis, Ioh. V, 43.

tatis non receperunt ut salvi fierent. 11. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, 12. ut iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

13. Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias in

11. *mittet;* W. W., sicut in graeco: *mittit.*
13. *dilecti a Deo*, leg.: *a Domino.*
— Vg.: *primitias;* alii: *a principio*, Ambrost., Nestle; cfr. comm.

12. *ut iudicentur omnes*: ἵνα κριθῶσιν, i. e. *ut condemnentur*, prout requiritur contextu (Act. XIII, 27, Ioh. III, 17-18, Rom. II, 27 = Iac. IV, 14), correspondet l. cit. Rom. I, 20: *ita ut sint inexcusabiles*... sed iudicandi i. e. condemnandi. Prout iam notavit *Bornemann*, mira habetur similitudo, quoad doctrinam et ipsa verba, inter praesentem locum II Ep. ad Th. et Rom. I, 18-32; indeque sumit auctor ille validum argumentum pro authenticitate II Thess. - Cfr. *op. cit.*, p. 374-375.

qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati: ἀλλὰ εὐδοκήσαντες τῇ ἀδικίᾳ - Εὐδοκέω in N. T. habitualiter cum ἐν construitur (v. gr. Matth. III, 17 et l. p.); accusativum ter ex influxu linguae heb. occurrit (Matth. XII, 18, Heb. X, 6, 8), semel tantum, et quidem hoc loco, dativum secundum usum communem Atticis.

III. - *Iterata gratiarum actio et exhortatio.* II, 13-15.

α) *Gratiarum actio*, 13-14.

Prout bene notat *Caiet.*: " e regione reproborum, ad electos Thessolanicenses sermonem convertit: materiam gratiarum actionis astruens subiuncta bona „. Dum ergo illi, qui charitatem veritatis non receperunt sed consenserunt iniquitati, condemnandi sunt; propter vestram electionem et propter bona spiritualia a Deo vobis concessa, debemus nos gratias agere Deo. Status ergo sanctificationis et gratia aeternae electionis Thessalonicensium, opponitur statui incredulitatis et futurae aeternae damnationi iniquorum.

Solatium post praedictionem rerum tristium! (*Bengel*).

13. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis.* - Eadem phrasis supra I, 3, cfr. comm.

fratres dilecti a Deo, leg. *Domino.* - Vg. mutavit secundum I, 1, 4, ubi revera dicuntur *dilecti a Deo*, hic autem *a Domino*, i. e. a Iesu Christo, secundum stylum ordinarium S. Pauli; notandum caeteroquin verba: ὑπὸ κυρίου legi inter bis repetitum nomen *Deus*, utpote personam aliam indicantia. - Non sine speciali sensu téneri affectus

ἀπ' ἀρχῆς [1] *εἰς σωτηρίαν ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος καὶ πίστει ἀληθείας,* 14. *εἰς ὃ ἐκάλεσεν ὑμᾶς διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἡμῶν, εἰς*

[1] S *ἀπαρχὴν.*

dicuntur Thessalonicenses: *fratres dilecti a Domino,* post descriptionem illam severam et tremendam iudicii impiorum tempore parousiae Christi. Iam istis verbis: *fratres... dilecti a Domino,* volunt Apostoli anxiis discipulis animum novum et maiorem confidentiam inspirare.

quod elegerit vos Deus: ὅτι εἵλατο, ab *αἱρεῖσθαι = eligere;* verbum rarum apud LXX, cfr. Deut. XXVI, 18 ubi de electione populi sancti; in N. T. adhuc: Phil. I, 22, Heb. XI, 25; praesenti loco autem solum de divina electione ad salutem, pro qua alibi Paulus dicit *ἐκλέγεσθαι* (Eph. I, 4, I Cor. I, 27, 28) vel *προορίζειν* (Rom. VIII, 29, Eph. I, 11). - Cfr. comm., p. 63-64.

primitias. - Graece habetur duplex lectio: *ἀπ'ἀρχῆς = ab initio;* i. e. vel *ab aeterno,* ante saecula (I Cor. II, 7), ante mundi constitutionem (Eph. I, 4; III, 9), a saeculis (Col. I, 26), ita plerique, v. gr. *Bornem., Dobschütz, Knab., Frame;* vel *ab initio praedicati Evangelii* in Macedonia, sec. Phil. IV, 15: *ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου,* ita inter alios *Caiet., Findlay.* - Haec expressio autem *cum sensu temporali* alibi non occurrit apud S. Paulum, quamvis frequens sit in caeteris scriptis N. T. (v. gr. I Ioh. octies). - Hanc lectionem habent Sin., Cod. Bezae, ms. pler., comment. graeci, item Nestle. *Ambrost.,* secundum hanc lectionem bene vertit: *quia assumpsit vos Deus a principio ad salutem.*

Altera lectio: *ἀπαρχήν = primitias* prout refert Vg., cum Vat. etc., hanc admittit recentissima editio critica Soden. - Etiam Lightfoot, Findlay, Milligan huic lectioni favent; et quamvis auctoritas critica potius sit in favorem prioris lectionis, non potest negari tamen, metaphoram *ἀπαρχήν* de *primis electis christianis* omnino esse paulinam, quod de altera expressione dici nequit, cfr. v. gr. Rom. VIII, 23, XI, 16, XVI, 5, I Cor. XV, 20, 23, XVI, 15. - Insuper haec expressio de Thessalonicensibus optime explicatur; statim enim post Philippenses, et generose quidem, amplexi sunt fidem in prima Apostolorum missione Macedonensi, quae in epistola ad Phil. IV, 15 expresse vocatur *ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου.* Fideles Thessalonicenses erant ergo *primitiae fidei* inter ipsos concives suos adhuc infideles, erant *primi fructus Macedoniae et Europae.*

in salutem: εἰς σωτηρίαν, vid. not. I, v, 8. - Statim additur quibus mediis haec salus acquiritur: *in sanctificatione spiritus et in fide veritatis.*

in sanctificatione spiritus: ἐν

salutem, in sanctificatione spiritus, et in fide veritatis: 14. in qua et vocavit vos per Evangelium nostrum, in acquisitionem

14. *in qua*, graece: *ad quod* vel *quapropter*; — *et* del.

ἁγιασμῷ (cfr. I, IV, 7) πνεύματος. - Istud genitivum duplici modo potest explicari:

α) vel ut *obiectivum:* sanctificatio spiritus nostri (paralll. ad I, v, 23), ita " ut spiritus accipiatur humanus, id est, anima, in qua sanctitatis donum principaliter residet „, *Estius;* tunc alterum genitivum: *in fide veritatis* etiam obiectivum est: fides quae est in veritatem. Ita inter recentiores: *Fidlay* et *Wohlenberg*.

β) Vel genitivum istud: *in sanctificatione Spiritus*, sumitur *subiectivum seu causae*, ita ut sensus sit: sanctificatio quae est a *Spiritu Sancto*. Huic sensui favent plerique commentatores etiam moderni ut *Bornem.*, *Lightf.*, *Dobsch.*, *Knabenbauer;* et consonus est hic sensus generali doctrinae evangelicae de Spiritu Sancto, auctore sanctitatis nostrae: I, IV, 7 sq., Rom. XV, 16, 1 Cor. III, 16 sq., et l. par. I Petri I, 2. - Etsi prior sensus non sit improbabilis, hic alter videtur probabilior, et est magis secundum stylum et doctrinam S. Pauli.

et in fide veritatis. - Non gen. qualitatis: *in fide vera*, sed obiectivum: in fide quae est in veritatem scil. Evangelicam nobis revelatam a Iesu. Ergo duplex medium ad salutem exprimunt haec verba, et simul indicant duplex donum Dei ducens ad illam salutem: *gratiam sanctificationis a Spiritu Sancto* et *fidem in revelatam veritatem*. - *S. Thomas* egregie ordinem verborum seq. modo explicat: *Salus* " autem fit primo ex parte Dei per gratiam sanctificantem; unde dicit: *In sanctificatione Spiritus;* secundo ex parte nostra est consensus liberi arbitrii per fidem; ideo subdit: *Et in fide veritatis* „.

14. *in qua:* εἰς ὅ = *ad quod*, referendum ad totam oeconomiam salutis nostrae; vel, cum Dobschütz et Knab., est synonymum particulae διὸ = δι' ὅ = *quapropter*.

(*et*) *vocavit vos per Evangelium nostrum.* - En executio huius electionis divinae, vocavit eos Deus ad fidem, i. e. admisit eos ad fidem. Huius autem admissionis ad fidem medium fuit *praedicatio apostolorum*: per Evangelium nostrum. Comp. Rom. VIII, 30. - Pro voce *Evangelium*, eius sensu et usu, cfr. I, I, 5, p. 64-65. - Pro verbis: *eligere* et *vocare* cfr. I, I, 4, p 63-64.

in acquisitionem gloriae Domini nostri Iesu Christi: εἰς περιποίησιν δόξης κτλ. - Pro περιποίησις cfr. notam I, v, 9, ubi dicitur haec vox duplicem habere sensum, *activum* scil. et *passivum*. Activus autem hic omnino est praeferendus: *ut nobis acquiramus gloriam D...*, utique per gratiam Spiritus Sancti. - Pro δόξα cfr. I, II, 12, et vide supra II, I, 10, 12. - Sensus est ergo:

περιποίησιν δόξης τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. 15. *Ἄρα οὖν, ἀδελφοί, στήκετε, καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις ἃς ἐδιδάχθητε εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν.* 16. *Αὐτὸς δὲ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς καὶ ὁ* [1] *θεὸς ὁ πατὴρ ἡμῶν, ὁ ἀγαπήσας ἡμᾶς καὶ δοὺς παράκλησιν αἰωνίαν καὶ ἐλπίδα ἀγαθὴν ἐν*

[1] S — ὁ

ut mereamur fieri comparticipes gloriae Domini Iesu Christi, secundum illud I Ioh. III, 12. " scimus enim quoniam cum apparuerit, similes ei erimus? „

— *β) Exhortatio*, 15.

15. *Itaque fratres state.* - *State* dicitur per oppositionem ad istud: *cito moveri et turbari*, II, 2. - Particula composita: *ἄρα οὖν = itaque*, est S. Paulo propria, ut diximus I, v, 6, cfr. ibi. - Pro forma *στήκετε*, cfr. I, III, 8. - Pro idea cfr. Col. I, 23, II, 7.

et tenete traditiones, quas dedicistis: *καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις.* Vide idem consilium I Cor. XI, 2. Hic verbum *κράτειν* legitur cum accusativo ut frequentius (38) in N. T.; genitivum octies tantum.

Traditiones idem significant ac *instructiones*; vox *traditio* autem includit notionem acceptionis ab alio, in casu, *a Domino*, in cuius nomine apostolus *tradit accepta*, ut bene dicitur I Cor. XI, 23: " Ego enim *accepi* a Domino quod et *tradidi* vobis „. Traditiones seu instructiones statim determinantur: sive *orales*, sive *scriptae*:

sive per sermonem, sive per epistolam nostram. - Graece *ἡμων* (Vg. *nostram*) refertur ad utrumque. Epistola, ad quam alluditur, videtur absque dubio esse prima. Ad oralem autem institutionem iam provocarunt Apostoli pluries in his epistolis, v. gr. I, IV, 1, 2, II, II, 5 et adhuc infra III, 10. " Hinc est perspicuum, notat *S. Ioh. Chrysostomus* contra futuros protestantes solum *verbum scriptum* ut fontem fidei agnoscentes, - hinc est perspicuum quod non omnia tradiderunt (*Apostoli*) per epistolam, sed multa etiam *sine scriptis* (*ἀγράφως*), et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiae quoque traditionem censeamus esse fide dignam. *Est traditio: nihil quaeras amplius. Hic ostendit multos esse qui labant* „. - *Theodoretus*, expresse nominans *regulam fidei*, scribit " Habetote regulam doctrinae (*ἔχετε κανόνα διδασκαλίας*) sermones quos vobis tradidimus, quos et praesentes vobis praedicavimus, et absentes scripsimus „. - Similiter *Oecumenius*: " Itaque Ecclesiae traditio etiam citra Scripturam observanda est „. *S. Thomas* demum ad h. l.: " Unde patet, quod multa in ecclesia non scripta, sunt ab Apostolis docta, et ideo servanda „. - Revelatio ergo et praedicatio Evangelii, fundatio ipsa et ordinatio Ecclesiae Christi, *haec*

gloriae Domini nostri Iesu Christi. 15. Itaque fratres state: et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. 16. Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit

16. Delendum *et* inter: *Deus* et *Pater noster.*

sunt vita et facta; - inde necessitas ibique fons traditionis oralis seu viventis...

IV. - *Oratio*, II, 16-17.

Rursus precatio post adhortationem: " hoc enim est revera opem ferre „, ita pulcherrime *S. Ioh. Chrysostomus.*

16. *Ipse autem Dominus noster Iesus Christus et Deus (et) Pater noster.* - Graece dubium habetur relate ad articulos, praecipue ante *Deum*; hunc quidem Nestle retinet, von Soden vero omittit.

Eodem modo precatio incipit I, III, 11, V, 23, et II, III, 16... Haec ad verbum respondet I, III, 11, inverso ordine nominum; sicut etiam ultima utriusque epistolae, I, V, 23 = II, III, 16, eodem modo enuntiatur. - Inversio nominum autem qua ponitur primus: *Dominus noster Iesus Christus* (ut II Cor. XIII, 13, Gal. I, 1) explicatur eo quod Dominus Iesus est intermedius et via ad Patrem; sicut inde probari potest S. Paulum aequalem honorem tribuere Iesu ac Deo Patri, sicut iam notavimus I, I, 1, III, 11-12, confer ibi. - Audiatur *S. Ioh. Chrysostomus*: " Ubi nunc sunt qui Filium dicunt esse minorem, quoniam post Patrem nominatur in gratia lavacri? Ecce enim hic est contrarium: ipse primum ait: *Dominus noster Iesus Christus*, deinde: *Deus (et) Pater noster* „. - *Theodoretus*: " Porro autem haec etiam convincunt impietatem Arii et Eunomii, et aperte docent nominum ordinem non significare dignitatum differentiam. Filium enim hoc loco Patri praeposuit, non Patre maiorem esse docens Filium, sed *ordinis mutatione honoris aequalitatem ostendens* „.

qui dilexit nos et dedit. - Haec phrasis relativa probabilius refertur ad: *Deus Pater noster*: " sic enim... dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam „. Ioh. III, 16.

consolationem aeternam. - *Παράκλησις* hic respicit futurum, ergo sensus *consolationis* est servandus, cfr. ad I Th. II, 3. Haec futura aeterna consolatio opponitur tribulationibus huius saeculi, inter quas Thessalonicenses perseverant in fide.

et spem bonam. - Haec et praecedens expressio, quae hic tantum occurrunt, absque dubio a Paulo sunt excogitae et adhibitae ad consolandos *anxios* Thessalonicenses.

in gratia: *ἐν χάριτι.* - Gratuito et in gratia supernaturali dedit nobis Deus hanc aeternam consolatio-

χάριτι, 17. *παρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας καὶ στηρίξαι ἐν παντὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ ἀγαθῷ.*

III, 1. *Τὸ λοιπὸν προσεύχεσθε, ἀδελφοί, περὶ ἡμῶν, ἵνα ὁ λόγος τοῦ κυρίου τρέχῃ καὶ δοξάζηται καθὼς καὶ πρὸς ὑμᾶς,* 2. *καὶ ἵνα ῥυσθῶμεν ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων·*

nem et spem bonam. Gratia est fons omnium bonorum et salutis aeternae.

17. *exhortetur corda vestra*: *παρακαλέσαι*, cfr. I, II, 12.

et confirmet, scil. contra tentationes et difficultates. Pro *στηρίξαι*, cfr. I, III, 2, 13 - Eadem actio divina, in singulari, tribuitur et Iesu et Deo Patri, cfr. notam ad I, III, 11-12.

in omni opere, et sermone bono: *ἐν παντὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ ἀγαθῷ*. Sicut *παντὶ* ita et *ἀγαθῷ* ad utrumque substantivum refertur. - Sensus est: vos exterius interiusque perfectos faciat et conservet Dominus Iesus et Deus Pater noster: in opere et verbo seu cogitatione, i. e. etiam in intimis cordis vestri.

Pars Posterior:

Paraenetica.

III, 1-16.

I. - *Mutua intercessio*, III, 1-5.

Primo petunt Apostoli preces pro felici diffusione Evangelii et ut ipsi liberentur ab improbis, 1-2; deinde votum faciunt pro Thessalonicensium perseverantia, 3-5.

1. *De caetero fratres.* - Cfr. I, IV, 1, ubi eadem verba leguntur in capite posterioris partis. *Τὸ λοιπόν*: *de caetero*, est locutio properantis ad finem.

orate pro nobis. - Cfr. ad I, V, 23.

ut sermo Dei, leg. *Domini*, *ὁ λόγος τοῦ κυρίου*, gen. subiectivum: sermo a Domino, prout I, I, 8 probavimus. - In his quinque versibus *quater* vox: *Dominus* legitur. Hic autem Vg. textum leviter mutavit secundum locos parallelos; haec expressio enim non legitur extra ep. ad Thessalonicenses, ubi bis tantum; alibi Paulus semper scribit: *sermo Dei*. Cfr. p. 68.

currat. - Eadem imago Ps. CXLVII, 4 (15): *velociter currit sermo eius*; similiter Rom. X, 18, sec. Psalmum XVIII (XIX), 5. - Hic recoli potest celebris descriptio famae apud *Virgilium* (Aen. IV, 174-175).

> Fama, malum, quo non aliud velocius ullum,
> Mobilitate viget, viresque adquirit eundo...

et clarificetur. - Non agitur de claritate vel gloria per miracula, sed per admissionem et fidelem agnitionem, sic v. gr. Act. XIII, 48: " Audientes autem gentes gavisae sunt, et glorificabant verbum Domini: et crediderunt „. Cfr. etiam Tit. II, 10. - Lightfoot pulchre per hendyadin vertit: ut sermo Domini habeat triumphalem cursum.

sicut et apud vos. - *πρὸς ὑμᾶς*, cfr. ad I, III, 4. - Consueta laus ut

consolationem aeternam, et spem bonam in gratia, 17. exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.

III, 1. De caetero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, sicut et apud vos: 2. et ut liberemur ab importunis, et malis hominibus; non enim omnium est fides.

1. *ut sermo Dei* leg.: *ut sermo Domini* (W. W.).

I, 1, 5 sq.; II, 13 sq., IV, 1 (*graece*, cfr. ibi); II, 1, 3 sq. Ut notat *Estius*: " Tacitam laudem Thessalonicensium, qua ad maiorem profectum incitentur, haec adiectio continet. „

2. *et ut liberemur*, seu *eripiamur*. - Petitio personalis quidem sed intime connexa cum praecedenti. Persecutiones enim contra ipsos Apostolos impediunt cursum Evangelii. Ita iam notat *Theodt.*: " Duplex quidem videtur esse petitio, sed tamen una est. Superatis enim improbis hominibus, absque impedimento currit etiam sermo praedicationis „. - Cfr. Rom. XV, 30-31; et vid. II Tim. III, 11, IV, 17.

ab importunis = perversis: *ἀπὸ τῶν ἀτόπων*. - Adiectivum *ἄτοπος* sec. etymologiam significat: *quod non est loci*, inde: *non conveniens, non decens*, et in lingua hellenistica sensu ethico: *perversus, improbus*. - Praeter hunc locum adhuc ter in N. T.: Luc. XXIII, 41, Act. XXV, 5, XXVIII, 6; hoc ultimo loco tantum cum sensu *physici incommodi*. - Cfr. M. Milligan: *Vocabulary*, ad hanc vocem.

et malis hominibus: καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων. - *Πονηρός* dicitur de homine active malo, malum agente seu nocente; quum autem legatur praefixus articulus, agitur de *determinatis* importunis et malis, de illis scil. Iudaeis, qui Paulum iam persequuntur Corinthi (Act. XVIII, 12 sq.), sicut eum persecuti sunt in Macedonia: Thessalonicae (Act. XVII, 5) et Beroeae (v. 13).

non enim omnium est fides: *οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις*. - Litotes in omnibus linguis usitatissima: *non omnes*, pro: *pauci, rari*. Hoc scribit Paulus increpando simul et gemendo; cfr. Rom. X, 16: *non omnes obediunt Evangelio*, de Iudaeis resistentibus fidei. Si simul est gemitus super infelices non credentes, etiam est aliquo sensu eorum excusatio: Gratia enim estis salvati per fidem, ita Paulus ad *Ephesios*, et hoc non ex vobis: *Dei enim donum est*; II, 8. - Comparant plerique exegetae hanc litoten cum proverbio nimis profano eiusdem formae: *Μὴ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς;* ita, inquam, plerique post *Wetstenium* sine ullo respectu profana sacris miscentem.

— Oratione pro seipsis petita, nunc Apostoli pro Thessalonicensibus votum faciunt et intercedunt apud Deum.

οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις. 3. Πιστὸς δέ ἐστιν ὁ κύριος, ὃς στηρίξει ὑμᾶς καὶ φυλάξει ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. 4. πεποίθαμεν δὲ ἐν κυρίῳ ἐφ' ὑμᾶς, ὅτι ἃ παραγγέλλομεν [καὶ] ποιεῖτε καὶ ποιήσετε. 5. Ὁ δὲ κύριος κατευθύναι ὑμῶν τὰς καρδίας εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ.

6. Παραγγέλλομεν δὲ ὑμῖν, ἀδελφοί, ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου

3. ***Fidelis autem Deus est***, legendum *Dominus*: πιστὸς δὲ ἐστιν ὁ κύριος. - *Verbalis oppositio* est notanda inter illos, qui non habent *fidem* et *fidelem* Dominum: v. 2 ...ἡ πίστις, 3, πιστὸς δέ... Quidquid de hominibus sit, fidelis est autem Deus (I, v, 24). - Pro eadem oppositione cfr. Rom. III, 3, II Tim. II, 13. - Simul notandus est usus duplicis sensus eiusdem radicis: *πίστις = πιστός*: *fides = fidelis*; fere ut Ioh. II, 23-24 (πιστεύω).

qui confirmabit vos: ὃς στηρίξει ὑμᾶς, cfr. I, III, 2.

et custodiet a malo: non solum Deus confirmabit eos in *bono*, sed et proteget eos contra aggressiones inimicorum. - *A malo*: ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, quod sumi potest *vel ut neutrum* (Luc. VI, 45, Rom. XII, 9); *vel ut masculinum*, ut alibi in N. T., octies ad minus videtur certum. - Simile dubium habetur in oratione dominicali (Matth. VI, 13, Luc. XI, 4), ad quam praesens textus videtur alludi. In oratione autem dominicali videtur masculinum praeferendum, prout intelligunt PP. Graeci, et secundum communiorem usum N. T. (Cfr. *Plummer*: S. Matthew, ad h. l.). Post allusionem ad persecutores Apostolorum: *malos homines*, hic etiam videtur illa expressio intelligenda de instigatore illorum; ita etiam melius apparet oppositio inter Dominum et Eius bonorumque adversarium: τὸν πονηρόν > τὸν κύριον, *Lightfoot*, *Milligan*. - *Dobschütz* quaestionem insolutam relinquit, dicens eam esse minoris momenti. Probabilitas tamen, n. i., maior est pro masculino.

4. *Confidimus autem de vobis in Domino*, etc... - Hac solemni adiuratione videntur Apostoli velle introducere quaedam consilia gravia (v. 6), non autem iterum alludere ad petitionem precum, ut *Lightfoot* et multi alii explicant. - Dicunt autem Apostoli se confidere ἐφ' ὑμᾶς (*loco dativi classici*): *de vobis*, i. e. de bona vestra voluntate; habentque istam confidentiam *in Domino*, qui bene volentibus dat gratiam suam ad complenda proposita et in eis perseverandum.

quoniam quae praecipimus, et facitis et facietis: παραγγέλλομεν, verbum in hoc capite quater occurrens vv. 4, 6, 10, 12; cfr. ad I, IV, 11. Notetur praesens: *praecipimus*; prout autem diximus, Apostoli tam solemnem modum loquendi adhibent, quia daturi sunt praecepta potius severa, quorum adimpletionem confidenter expectant a bona voluntate Thessalonicensium. Talis loquendi modus minus bene explicaretur, si alluderet ad petitionem praeceden-

3. Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo. 4. Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quae praecipimus, et facitis, et facietis. 5. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et patientia Christi.

6. Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini

3. *Deus* leg. *Dominus* (W. W.).
6. *denuntiamus,* melius: *praecipimus.*
— *nostri* del.

tem precum. Quod autem agatur de seq. monitis adhuc clarius apparet ex eo quod, haec monita daturi, Apostoli repetunt idem verbum *παραγγέλλομεν* cum *δέ* metabatico (v. 6).

5. *Dominus autem dirigat corda vestra.* - Si quaedam oppositio ad praecedentia includitur in particula *autem* = *δέ*, intelligi potest ita: Vos facitis et facietis quod in vestra potestate est, Deus autem, qui dat velle et perficere, dirigat corda vestra, etc... - Pro verbo: *κατευθύνω* cfr. notam ad I, III, 11.

in caritate Dei et patientia Christi: *εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ X* (cfr. I, I, 3). Multi, inter quos Findlay et Milligan, hoc duplex genitivum intelligunt tamquam *genit. subiectivum*: in caritate scil. quam Deus pro nobis habet, et patientia quam Christus nobis ostendit. - Melius autem et facilius intelligitur de *genitivo obiectivo*: in caritate erga Deum, quae fluit utique, ex - et nititur in caritate Dei erga nos (Rom. V, 5), et patienti exspectatione Christi venturi (ut I Th. I, 3). Ita concise, more suo, et optime scribit *Caietanus*: " est sermo de dilectione qua diligendus est Deus, et de expectatione qua exspectandus est adventus Christi „.

II. - *Adversus ambulantes inordinate,* 6-12.

Haec pericope ethica post illa, quae in priori parte de signis praecursoriis parousiae dicta sunt, hic exspectabatur. Anxietas enim Thessalonicensium, relate ad parousiam imminentem Domini, multos avertebat a labore et ideo discurrebant per domos eschatologica disserentes et animos turbantes, ita ut egerent sustentari eleemosynis aliorum in dedecus nominis Christi. - Contra hos anxios pigros seu *ἀτάξους* = *inordinatos*, locuti sunt Apostoli I, IV, 10*b*-12, V, 14. - De natura huius inordinationis cfr. ibi IV, 10*b*.

6. *Denuntiamus* autem *vobis fratres in nomine Domini* (*nostri*) *I. C.* - Introducentes hanc exhortationem simul mite et severe loquuntur Apostoli; *mite* quidem, nam verbum faciunt ad " *fratres* „ (cfr. ad I, I, 4); sed *severe* simul, quia praecipiunt ut Apostoli auctoritatem habentes a Iesu, qui manifestatus est tamquam Messias et Dominus. *Milligan.* - Pro verbo *παραγγέλλομεν*, Vg.: *denuntiamus*, melius *praeci-*

[ἡμῶν] [1] *Ἰησοῦ Χριστοῦ, στέλλεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν ἣν παρελάβοσαν* [2] *παρ' ἡμῶν. 7. αὐτοὶ γὰρ οἴδατε πῶς δεῖ μιμεῖσθαι ἡμᾶς,*

[1] N. ed. 2 —; S — *par.* [2] N. ed. 2 *παρελάβετε.*

pimus, cfr. ad v. 4 et I, IV, 11. - Verba solemnia ergo: *in nomine Domini Iesu Christi* (*nostri* Vg. del.) indicant, Apostolos *auctoritative* loqui ut Christi legatos, sicut I Cor. VII, 10 expresse dicit Paulus: *praecipio non ego sed Dominus*; cfr. I, IV, 2: *per Dominum Iesum*; forma autem solemnior hic adhibita: *in nomine* D. I. C, maiorem vim ponit in personam et dignitatem Iesu, qui nobis notus est ut *Christus* et *Dominus*; cfr. ad I, 12.

Iam *S. Ioh. Chrysost.* notaverat monitum contra irrequietos hic severius esse quam in priori epistola: " vide quomodo in priori quidem epistola mitius de hoc disserit (*Apostolus*), ut quando dicit: *Rogamus*, etc. (I Th. IV, 10-12) et numquam *denuntiamus* (praecipimus); neque: *In nomine D. I. C.*, quod quidem est terribile et habet periculum „. - Similiter *Theophylactus* ad v. 10 scribit: " In priori sane Epistola clementius et mansuetius de his disseruit, hic vero austerius agit „. Cfr. p. 39.

ut subtrahatis vos: *στέλλεσθαι ὑμᾶς*, adhuc II Cor. VIII, 20, ideo verbum dis-legomenon. Sed in II Cor. cum primo sensu, scil.: *instituendi* vel *curandi*. Hic vero cum sensu *discedendi*, *abstinendi se ab alicuius usu et consuetudine*, idem ac *ὑποστέλλω* (Act. XX, 20, 27, Gal. II, 12, Heb. X, 38).

Quare ista separatio imponatur, statim dicetur (cfr. v. gr. v. 14); quomodo autem sit intelligenda, in casu simili expresse determinatur, scil. I Cor. V, 11: " *cum eiusmodi nec cibum sumere* „. - Sub hoc respectu etiam praesens monitum severius est quam l. par. prioris epistolae; in hac separatione tamen servanda est charitas, imo imponitur propter motivum charitatis (v. 14-15), cuius exemplum iam dant Apostoli dicentes: *frater...*

ab omni fratre. - Infra explicite charitatis fraternae praeceptum erga inordinatos recoletur: " nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem „, v. 15.

ambulante inordinate: *ἀτάκτως περιπατοῦντος*. - Adverbium *ἀτάκτως* iterum occurrit v. 11, verbum correspondens *ἀτακτέω* v. seq., adiectivum I, cap. V, 14, cfr ibi pro significatione. - Pro verbo *περιπατεῖν* in sensu morali vel religioso, cfr. I, II, 12.

et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. - Vox *traditio* = *παράδοσις* significat hic apostolicam institutionem vel doctrinam sive viva voce, sive scripto traditam (cfr. ad II, 15).

Dubia est lectio verbi *accepe-*

nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. 7. Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imi-

7. *non inquieti fuimus,* melius: *non inordinati fuimus,* vel: *non inordinate nos gessimus.*

runt, quod graece sub seq. formis occurrit.

1) *παρελαβετε* (*Nestle*[2]; *Frame, et multi alii*).

2) *παρελαβοσαν* (*Nestle*[1], *Soden, Lightf., Dobschütz, etc.*).

3) *παρελαβον* - correctio praecedentis formae irregularis.

4) *παρελαβε* - correctio secundum subiectum singulare.

Ideo remanent lectiones 1 et 2. Haec posterior autem philologice et exegetice est difficilior quam prior: *philologice*, quia est aor. 2 cum terminatione aor. 1 (cfr. Blass[2] p. 48, exempla in N. T. Ioh. XV, 22, 24, Rom. III, 13 ex LXX); *exegetice*, quia est plurale post subi. singulare, seu constructio ad sensum: ab *omni* fratre; - dum vero forma 1[a], scil. *παρελαβετε* posset regi subiecto principali, et forte est correctio secundum I Tim. IV, 1. - Lectio ergo *παρελάβοσαν*, cum Vg. *acceperunt*, est praeferenda.

S. Thomas duplicem dat rationem huius praecepti de separatione a malis: "Ex hoc introductum est in ecclesia, quod mali vitentur, et hoc ne infirmiores ex eorum consortio maculentur. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea*, Ecclis. XIII, 1... Item ad sanationem peccantis, ut confusio cedat ei in salutem: *Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam.* Ecclis. IV, 25 „. Cfr. infra vv. 14-15.

7. *Ipsi enim scitis* - Uti diximus I, 1, 5, in his epistolis saepe provocarunt Apostoli ad testimonium lectorum, II, 5.

quemadmodum oporteat imitari nos. - Constructio elliptica pro: *quomodo oporteat ambulare ita ut imitemini nos.* Simili fere modo saepe dicit Paulus: *imitatores mei estote, sicut et ego Christi*, I Cor. IV, 16, XI, 1, Philip. III, 17; cfr. I, 1, 6. - En quaenam sit requisita a praedicatoribus perfectio: Imitantes Christi perfectionem, ipsi debent esse exemplaria virtutis pro fidelibus, tamquam alii Christi, secundum illud dictum de Apostolo: *Cor Pauli, cor Christi.*

quoniam non inquieti fuimus inter vos. - Melius verteretur: *non inordinati fuimus*, vel: *non inordinate nos gessimus.* - *Ἀτακτέω* (= *ατακτως περιπατειν* v. 6) hap. leg., cfr. I, cap. V, 14. Notandum est per *litoten* haec dici; omnino opposito modo enim egerunt Apostoli, ut dictum est in I, 11, et mox iterum dicetur. - Haec verba autem introducta per particulam *ὅτι*: *quia, quoniam*, non dependent ut obiec-

ὅτι οὐκ ἠτακτήσαμεν ἐν ὑμῖν, 8. *οὐδὲ δωρεὰν ἄρτον ἐφάγομεν παρά τινος, ἀλλ' ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ νυκτὸς καὶ ἡμέρας*[1] *ἐργαζόμενοι πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν* 9. *οὐχ ὅτι οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν, ἀλλ' ἵνα ἑαυτοὺς τύπον δῶμεν ὑμῖν εἰς τὸ μιμεῖσθαι ἡμᾶς*. 10. *καὶ γὰρ ὅτε ἦμεν πρὸς ὑμᾶς, τοῦτο παρηγγέλλομεν ὑμῖν, ὅτι εἴ τις οὐ θέλει ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω*. 11. *ἀκού-*

[1] S *νύκτα καὶ ἡμέραν*.

tum a verbo: *scitis*; sed indicant fundamentum scientiae eorum de imitandis Apostolis.

8. *neque gratis panem manducavimus ab aliquo.* - *Panem manducare*, expressio hebraica: *akal lechem* (Gen. III, 19, XLIII, 25, etc...) pro *vesci*, sumere quodvis alimentum (Mc. III, 30, Luc. XIV, 1, Matth. XV, 2).

sed in labore, etc... idem legitur I, II, 9, confer. comm. ibi.

Ubi Vg. habet: *nocte et die*, graece habetur duplex lectio, vel cum accusativo: *νύκτα καὶ ἡμέραν* (*von Soden*), vel cum genitivo: *νυκτὸς καὶ ἡμέρας* (*Nestle*). - Genitivum legitur in loco paral. citato, sicut *semper* in hac espressione apud S. Paulum. Accusativum vero, quod non alibi apud Paulum, in toto N. T. quater tantum ex 17 vicibus. Ideo mutatio ab accusativo ad Paulo consuetum genitivum facile explicatur, non autem a genitivo ad rarum accusativum. Quare accusativum cum v. Soden retineatur. Cfr. l. cit., comm. p. 83.

9. *Non quasi non habuerimus potestatem.* - Haec verba corrigunt aliquo modo praecedentia, ne putarent lectores apostolis esse manibus laborandum pro pane suo: *οὐχ ὅτι* = *non quod*, vel *non dicimus nos non habere potestatem* = *ἐξουσίαν* (I Cor. IX, 4, 12) i. e. *libertatem*, *veniam* seu *ius*, percipiendi scil. panem nostrum ut mercedem laboris spiritualis nostri, sed etc... Elliptice hic et in seq. loquuntur Apostoli. - Sicut legitima gloriatio de labore manuali suo, est characteristica nota quaedam nobilis animi Pauli, ita et libera requisitio iurium apostolatus sui, cfr. v. gr. I Cor. IX, 7-14; vid. not. ad I, II, 7*a*, et 9.

sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. - Notanda est ellipsis, quae esset ita complenda: sed renuntiantes iuri nostro, laboravimus manibus nostris pro pane nostro *ut nosmetipsos* etc... cfr. II, 3. - Pro *ἑαυτούς* (*nosmetipsos*) pron. reflex. 3ae pers. pro 1ª pers., cfr. notam ad I, II, 8. - Pro *τύπον* (*formam*) cfr. ad I, I, 7.

Prout bene notat. *Estius*: " Latet... in praesenti loco argumentum huiusmodi: Si ego, cui stipendium ratione Evangelii annuntiati debebatur, iure meo cessi, nihil a vobis accipiens, sed opere manuum vitae necessaria quaerens: quanto minus ferendum est, ut qui nihil agunt,

tari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos; 8. neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, et in fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus. 9. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. 10. Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. 11. Audivimus enim

9. Loco: *potestatem,* leg. *ius.*
10. *denuntiabamus,* melius: *praecipiebamus.*
11. *audivimus,* graece: *audimus.*
— *inquiete,* melius: *inordinate.*
— *nihil agentes* etc.... melius: *nihil agentes, sed inaniter satagentes;* vel: *nihil agentes sed omnia agitantes;* cfr. comm.

ex alieno vivant? „. Est ideo argumentatio ab exemplo simul et a fortiori.

10. *Nam et cum essemus apud vos,* idem I, III, 4.

hoc denuntiabamus vobis: παρηγγέλλομεν, cfr. ad v. 6: *praecepimus vobis.* Ergo cum exemplo dedimus etiam praeceptum laboris.

quoniam ὅτι recitativum, correspondens duplici puncto.

si quis non vult operari, nec manducet, i. e. non est dignus qui manducet, *Regula aurea laboris* sequens ex Gen. III, 19: " in sudore vultus tui vesceris pane „. Cuius exemplum dedit Ipse Iesus, qui fuit et dictus est filius fabri (Mc. VI, 3). Caeteroquin ipsa natura dictatur lex illa: qui non laborat, manducandum non habet; non habeat ergo, neque est dignus ut detur ei; " haec sit inquietudinis non solum poena sed etiam emendatio „ notat Pelagius.

In Didachê XII, 3 simile praeceptum legitur. Ex libris rabbinicis citat *Wetstenius, Bereschith* R. II, 2: Terra de coelo conquesta: illud, inquit, nutritur ex aerario; *ego vero si non laboro, non edo*; - XIV, 12. R. Hunna dixit: fecit eum servum manumissum coram seipso, ut, *si non laborat, non manducet.* Haec autem conscripta sunt saec. VI, p. Chr. (*Schürer*[4] I, 140), atque non *praeceptum morale,* sed *necessitatem physicam* tantum laboris docent.

Insuper notetur Paulum expresse dicere: *qui non vult...*; nolle enim, quum possumus, hoc demum vitium est; patienter autem ferre impotentiam ad laborem, magnae virtutis est.

In laudem mulieris fortis dicitur, Prov. XXXI, 27: " et panem otiosa non comedit „. - In regula demum S. Patriarchae *Benedicti* legimus: " quia tunc vere Monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut Patres nostri et Apostoli „.

11. *Audivimus enim.* Graece le-

ομεν γάρ τινας περιπατοῦντας ἐν ὑμῖν ἀτάκτως, μηδὲν ἐργαζομένους ἀλλὰ περιεργαζομένους· 12. *τοῖς δὲ τοιούτοις παραγγέλλομεν καὶ παρακαλοῦμεν ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ ἵνα μετὰ ἡσυχίας ἐργαζόμενοι τὸν ἑαυτῶν ἄρτον ἐσθίωσιν.* 13. *Ὑμεῖς δέ, ἀδελφοί, μὴ ἐγκακήσητε* [1] *καλοποιοῦντες.* 14. *εἰ δέ τις οὐχ ὑπακούει τῷ λόγῳ ἡμῶν διὰ τῆς ἐπιστολῆς, τοῦτον σημειοῦσθε, μὴ*

[1] S *ἐκκα...*

gitur praesens: *audimus enim*, sed, ut patet, pro praeterito (I Cor. XI, 18); est praesens historicum, pro quo cfr. *Blass*[3] p. 192.

quosdam ambulare inquiete, cfr. ad v. 6.

nihil operantes, sed curiose agentes: *μηδὲν ἐργαζομένους ἀλλὰ περιεργαζομένους*. - Haec elegans paronomasia graeca, simili latina perfecte reddi potest: *nihil agentes, sed inaniter satagentes*. - Ita v. gr. apud *Quintil.* Inst. orat. VI, 3, 54: " Venuste Domitius Afer Mallium Suram, multum in agendo discursantem, salientem, manus iactantem, togam deiicientem et reponentem, *non agere dixit, sed satagere* „.

Verbum *περιεργάζομαι*, *hap. leg.*, etiam Ecclis. III, 23, et apud auctores graecos (cfr. *Stephani* Thesaurum); adiectivum derivatum Act. XIX, 19, I Tim. V, 13. Verbum significat: *curiose ago, inaniter satago*. Hic ergo dicitur de illis anxiis pigris, qui huc illucque discurrebant: *nihil agentes = sed omnia agitantes*. Notat *Theopylactus*: " Otiosiorum enim propriae sunt nugae, futilisque loquacitas, et inutilis curiositas „. Exempla paronomasiae sequentia apud S. Paulum videri possunt: Rom. XII, 3, I Cor. XI, 29 sq., II Cor. IV, 8, X, 2 sq., Phil. III, 2 sq., - cfr. Blass[2] p. 305-306.

12. *Iis autem, qui eiusmodi* (= *τοιούτοις*: *tales*) *sunt, denuntiamus et obsecramus in D. I. C.* - Apostoli nunc dirigunt sermonem ad ipsos *ἀτάκτους*: *inordinatos, irrequietos*. - *Παραγγέλλομεν* (cfr. *supra*) *καὶ παρακαλοῦμεν* (cfr. I, II, 12): *praecipimus et exhortamur*. - *In Domino...* in Eius nomine, cum Eius auctoritate utpote Eius Apostoli.

ut cum silentio operantes: *μετὰ ἡσυχίας*, i. e. *cum quiete* (*Ambrost.*) cfr. loco par. I, IV, 11, ubi occurrit verbum correspondens.

suum panem manducent: cfr. v. 10. En ideo quod non faciebant *ἀτάκτοι*: non laborabant, sed omnia agitabant, ita ut deberent panem suum mendicare... ad dedecus Evangelii et nominis Christi. (Cfr. comm. ad I, IV, 10*b*-12).

III. - *Consilia pro bonis*, 13-15.

Post illa severa praecepta pro inordinatis et turbulentis, bonos alloquuntur Apostoli, eos ad perseverantiam in omni bono adhortantes rogantesque ut notent et vitent inobedientes.

13. *Vos autem, fratres...* qui boni

inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. 12. Iis autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. 13. Vos autem fratres nolite deficere benefacientes. 14. Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut

12. *cum silentio*, leg.: *cum quiete.*
13. *nolite* etc... melius: *ne fatigemini a bono faciendo.*
14. *et ne commisceami cum illo*, Ambrost : (*et* suppresso) *nolite cum eo conversari.*

scil. estis; oppositio enim habetur ad illos irrequietos otiosos, de quibus hucusque locuti sunt Apostoli.

nolite deficere benefacientes, melius: *ne fatigemini a bono faciendo* = *μὴ ἐγκακήσητε καλοποιοῦντες*; notanda est oppositio verbalis seu paronomasia inter *κακον...* et *καλον...*, radices utriusque verbi; reddi posset seq. modo: *nolite hoc facere malum a bono desistendi.* - Verbum *ἐγκακέω* (alibi *ενκ...* pro vulgari *ἐκκακέω*): *lassus sum, defatigor*, adhuc occurrit Luc. XVIII, 1, II Cor. IV, 1, 16, Gal. VI, 9, Eph. III, 13, apud profanos non exstat praeter Polybium, 4, 19, 10 (*Grimm.*). - Sensus verbi alterius: *καλοποιέω*, *hap. leg*, videtur dubius. Omnes omnino antiqui, et inter modernos adhuc *Dobsch.*, *Knab.*, intelligunt hoc cum Vg. in sensu: *benefaciendi*, seu *eleemosynas dandi* Sic, dicunt hi auctores, habetur naturalis connexio cum praecedentibus. Audiatur v. gr. *S. Ioh. Chrysostomus*: " Vide quomodo statim fracta sunt paterna viscera. Non potuit ulterius prosequi increpationem, sed rursus eorum est misertus... Subtrahite, inquit, vos ab ipsis, et eos increpate: ne tamen eos fame intereuntes despicite... Nam, dic, quaeso, si fratrem haberes carnalem, eumne despiceres fame pereuntem?„ - Et *Theophylactus* breviter ac optime: " ne vincat vestram munificentiam illorum improbitas! „. - Inspecta autem hac generali exegesi etiam graecorum, non potest dici impossibilis hic sensus, pro quo videtur tamen unica ratio esse contexta oratio.

Iamvero haec ratio non sufficit. Nam verbum *καλοποιεῖν* potius significat modo generali: *bonum facere* ut Gal. VI, 9. *Benefacere* autem dicitur *ἀγαθοποιεῖν*, vel *ἀγοθοεργεῖν* Tim. VI, 18. Sensus *bonum facere* etiam hic est admittendus, quia nunc loquuntur Apostoli ad bonos quos exhortantur ad perseverantiam in bono, sicut I, v, 21. - Hic sensus iam propositus a *S. Ioh. Damasceno*, tenetur a plerisque modernis inter quos Bornem., Milligan, Frame, etc.

14 *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam*: *τῷ λόγῳ ἡμῶν* (non *ὑμῶν*, Vat., *Ioh. Chrysost.*, etc.)

συναναμίγνυσθαι[7] *αὐτῷ, ἵνα ἐντραπῇ·* 15. *καὶ μὴ ὡς ἐχθρὸν ἡγεῖσθε, ἀλλὰ νουθετεῖτε ὡς ἀδελφόν.* 16. *Αὐτὸς δὲ ὁ κύριος τῆς εἰρήνης δώῃ ὑμῖν τὴν εἰρήνην διὰ παντὸς ἐν παντὶ τρόπῳ. ὁ κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν.*

17. *Ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου, ὅ ἐστιν σημεῖον ἐν*

[7] S ...*νσθε*.

διὰ τῆς ἐπιστολῆς: *verbo nostro hac epistola vobis misso*; notetur graece articulus. - Verba *διὰ τῆς ἐπιστολῆς* ideo non sunt connectenda cum seq.: *in epistola* (*vestra*) *hunc notate*; 1°) quia talis sensus repugnat ordini verborum; 2°) quia articulus ante *ἐπιστολῆς* abundaret; 3°) quia articulus indicat praesentem S. Pauli epistolam.

hunc notate: *τοῦτον σημειοῦσθε*. - Verbum hoc, *hap. leg.* in N. T., significat: *signo notare*, prout resultat ex contextu, cum sensu *improbandi*. An hoc fuerit faciendum epistola Paulo mittenda; aut privatim, v. gr. in sensu *observandi*; aut publice, v. gr. *denuntiando*, non apparet.

et ne commisceami cum illo. - Et abundat; graece habetur *asyndeton*, infinitivum pro imperativo: *μὴ συναναμίγνυσθαι*, Ambrosiaster vertit: *nolite cum eo conversari*. Idem verbum adhuc occurrit I Cor. V, 9, 11: " non habete commercium cum eo „ et ibi in particulari designatur societas convivii vitanda. Cfr. ad v. 6.

ut confundatur. - En ratio et scopus huius severae disciplinae: charitas scil. et desiderium illorum emendationis, vel poenitentiae. Verbum *ἐντρέπω*: *inverto*... aliquem in semetipsum ut pudore afficiatur; *passive*: pudore suffundor, Tit. II, 8.

15. *et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem*. - Pro *ἡγέομαι* cfr. I, cap. V, 13; pro *νουθετέω* ibid. v. 12. - Haec ultima phrasis complet et corrigit aliquantulum praecedentia: commercium utique cum illo est vitandum, sed tamen non ut inimicus est habendus, sed ut frater... aegrotus et ideo curandus. Comp. I Cor. V, 11, II Cor. II, 6-7. Qua occasione recolatur textus S. Iacobi de charitate et misericordia spirituali: " Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius a morte, et operiet multitudinem peccatorum „. *Iac.* V, 19-20.

IV. - *Oratio*, III, 16.

16. *Ipse autem Dominus pacis*: *αὐτὸς δὲ κτλ*... - Pro inceptione orationum ad Deum in ep. ad Thessal. cfr. I, cap. V, 23. Pro titulo *ὁ κύριος* (*θεὸς*) *τῆς εἰρήνης*, et voto pacis, *ibidem*. Hic specialem rationem adhuc habet *votum pacis*; ob severa monita illa scil. contra inordinatos, quapropter iam dixerant

confundatur: 15. et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. 16. Ipse autem Dominus pacis, det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis.

17. Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni

16. *in omni loco*, leg.: *modo.*
— *sit* deest W. W.

Apostoli: nolite quasi *inimicum* existimare, etc...

det vobis pacem: δώῃ, forma hellenistica optativi pro δοίη; cfr. Rom. XV, 5, II Tim. I, 16, 18, II, 25, Eph. I, 17 (?) - *Blass*[2] p. 51. Pax, sine qua non habetur beatitudo; pax " quae est dux ad vitam aeternam „ (*Ambrost.*) ; pax, quae est vita Dei in animis per veritatem et iustitiam; pax ergo fundatur in iustitia, et est praemium iustitiae!...

sempiternam: διὰ παντός, per omne, *suppl.*, tempus, seu semper.

in omni loco. - Graece dubia est lectio. *Nestle*, *von Soden* cum plerisque exegetis, ut *Knab.*, *Frame*, legunt ἐν παντὶ τρόπῳ: *in omni modo* ; - *in apocr.* III, Macch. VII, 8 (A), Phil. I, 18, Rom. III, 2 < II Th. II, 3. Alii e contra legunt cum *Vg.* ἐν παντὶ τόπῳ: *in omni loco*, ita *Lightfoot.* Probabiliter haec ultima lectio est mendosa, sub influxu frequentioris usus huius expressionis in ep. paulinis: I Th. I, 8, I Cor. I, 2, II Cor. II, 14, I Tim. II, 8.

Dominus sit cum omnibus vobis: ὁ κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν. - I Th. V, 28: μεθ' ὑμῶν, omisso πάντων, hic forte addito cum respectu ad inordinatos, quibus etiam *pacem* et Domini praesentiam optant Apostoli: Est votum simul et oratio: *sit* Dominus cum omnibus vobis, prout bene in Vg., *non* enim *erat* cum inordinatis, irrequietis illis. Cfr. I, Th. V, 28, et *Robertson-Plummer*, I Cor. XVI, 24; - idem II Cor. XIII, 13. - Angelicus Doctor pie notat occasione huius voti: " *nihil aliud bene habetur, nise ipse* - Deus - *habeatur per fidem et charitatem* „.

Salutatio et Benedictio.
III, 17-18.

17. *Salutatio, mea manu Pauli*: ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου, idem legitur I Cor. XVI, 21, Col. IV, 18. - Subauditur γέγραπται = *scripta est.* - *Pauli* autem est genitivum appositionis ad: *mea* = ἐμῇ. Secundum morem generalem huius temporis, utebatur Paulus amanuensi (Rom. XVI, 22; - I Pet. V, 12). Nunc calamo ab eo accepto, hic apponit salutationem suam et nomen, ne dubium moveatur de authenticitate huius epistolae, et simul via praecludatur spuriis. (I, v, 27; II, II, 2, III, 14). Videtur autem Apostolus propria manu scripsisse epis-

πάσῃ ἐπιστολῇ· οὕτως γράφω. 18. *ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν.*

tolam *ad Philem.* (Cfr. vers. 19) et forte *ad Gal.* VI, 11: " Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu „, litteris scil. difformibus... et grandibus, quasi operarii. (Cfr. *Cornely* in II ad Cor. et Gal. p. 605; *Deissmann*, Paulus, p. 36).

Notavit *Milligan* subscriptionem epistolarum papyracearum saepe esse ab alia manu; et simili modo Pompeius fecit in epistola, de qua *Cicero*, *ad Attic.* VIII, 1, 1, " *in extremo*, *ipsius manu* „.

quod est signum in omni epistola, scil. haec mea salutatio, non autem impressio cuiusdam sigilli nec monogramma quoddam... Notandum tamen est hanc salutationem tantum legi in I Cor. et Col.; unde conclusit *Lightfoot*, hoc ad praecedentes deperditas epistolas esse extendendum; *Bornemann* vero dixit hoc esse intelligendum de futuris epistolis ad Thessal...; sed in vanum haec supponuntur. - Licet forte exinde erui, Paulum habitualiter

epistola : ita scribo. 18. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

aliquid propria manu opposuisse (? II Cor. XIII (12 —) 13 ; Gal. VI, 11-18 ; Philipp. IV (21 —) 22, praeter II Th., I Cor. Col.) ; sed non facile nunc appareret quid ipse scripserit Paulus.

ita scribo : lectores attentos reddit ad propriam scriptionem et ad propria verba.

18. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* - Cfr. I, v, 28. - En ergo Pauli etiam ad nos salutatio christiana : gratia Iesu, pretium Eius sanguinis, pignus vitae nostrae aeternae, sit cum *omnibus* nobis ; *cum omnibus*, nullus enim excluditur, v. 16. - Ita sit, per intercessionem eiusdem Apostoli, ut Deus sit omnia in omnibus.

Nostra ergo pax et gaudium
Sis, vita, Iesu, et praemium :
Sis ductor et lux in via
Merces, corona in patria !

(*Ex off. Comm. Passionis, ad laudes*).

APPENDICES

I. — De Tempore Parousiae Domini (*I Th. IV, 15 sq.*).

§ I. — **Status quaestionis.**

§ II. — **Decretum Commissionis Biblicae.**

§ III. — **Historia Interpretationis.**

§ IV. — **Thesis**: *S. Paulus in epist. ad Thessal. non insinuat, nequidem tamquam conjecturam personalem, proximitatem secundi adventus Domini.*

II. — Historia Interpretationis II Th. II, 1-12.

§ I. — **Traditio patristica.**

§ II. — **Explicatio polemica Reformatorum.**

§ III. — **Explicationes historicae.**

§ IV. — **Schola mythica.**

I.

DE TEMPORE PAROUSIAE DOMINI

Interpretatio 1 Th. IV, 15 sq.

---

§ I. Status quaestionis.

Thessalonicensium inquietae otiositati et de mortuis fratribus tristitiae subiacebat error circa tempus secundi adventus Domini.

Si enim nolebant amplius laborare nec pro crastina die thesaurizare; si lugebant super fratres mortuos, defraudatos, uti aiebant, spectaculo et benedictionibus gloriosi adventus Domini, ratio subiacens erat, quia putabant hunc adventum instare, cuius ipsi quidem superstites mox felices testes forent.

Origo huius erroris quaerenda videtur in praeiudiciis iudaicis de regno messianico, cuius gloria et felicitas miris verbis descriptae fuerant a prophetis. Horum vero vaticinia Iudaei exclusive de terreno regno intelligebant. " Quum ergo iam venisset Messias, aiebant iudaizantes, sed regnum Israël politicum non restaurasset, certe mox gloriosus rediturus erat ad consummanda promissa messianica „.

Doctrina messianica utique proprium depositum religiosum Iudaeorum erat, sed revera subiacet tamquam lapis angularis Ecclesiae Christi; ideo vaticinia et promissa Veteris Testamenti, completa in Christo Iesu, primum obiectum erant praedicationis apostolicae, prout apparet ex sermonibus Petri et ex toto ministerio Pauli. Praedicato autem ab Apostolis vero Regno Dei spirituali et universali, statim iudaizantes — *subintroducti falsi fratres* — spargebant zizania praeiudiciorum suorum inter communitates pagano-christianas, e quibus Thessalonicensis ecclesia erat.

Quam manifeste et ingenue haec impatiens exspectatio apparet in quaestione Apostolorum ad suscitatum Messiam: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Act. I, 6 (1).

Iamvero in pericope I Th. IV, 13 sq. docet S. Paulus mortuos non esse lugendos; quia omnes in parousia, tam mortui quam vivi, aequales erunt: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini*, NON PRAEVENIEMUS EOS, *qui dormierunt;...* SIMUL RAPIEMUR CUM ILLIS *ἅμα σὺν αὐτοῖς... et sic semper cum Domino erimus.*

Formaliter ergo docet S. Paulus paritatem sortis mortuorum et superstitum tempore parousiae.

Sed quare loquitur in prima persona plurali? Nonne se sociosque suos atque lectores includit inter testes imminentis parousiae Domini? " Si nude spectantur — haec verba — illam explicationem admittere libentes fatemur; in suo autem contextu considerata, illam prorsus excludere contendimus „. Ita clar. *Cornely*, Introd. III, p. 412.

Hanc difficultatem, omnibus obviam, iam ipsi SS. Patres solvere conati sunt, prout vidimus et nunc attentius examinabimus. Haec unica conclusio nunc sufficiat: errorem omnem relate ad parousiae tempus ex scriptis paulinis penitus excludunt.

Inerrantiam Apostoli etiam novatores strenue propugnaverunt, *Polus* v. gr. contra ipsos *Romanenses*, prout vocat

---

(1) Ad haec verba notat cl. CORNELIUS A LAPIDE: *Errant* (Apostoli) in eo, quod putent regnum Messiae fore temporale, quale fuit Davidis et Salomonis, non spirituale. Sed hic communis Iudaeorum... aevi illius fuit error. Unde Iohannes et Iacobus petierunt dextram et sinistram in regno Christi. Et duo discipuli euntes in Emmaüs: Sperabamus, inquiunt, quod ipse redempturus esset Israël...

Simili modo cl. CALMETUS: Discipuli igitur isti continere se non potuerunt, quin sciscitarentur, dies ne adesset Regni Israëlitici restituendi; *nam ad ipsam usque Pentecostes diem persuasione firmum tenuerunt Apostoli, Regnum temporale constituendum fore a Iesu Christo in terris...*

Comp. supra p. 24, ubi lin. 28, loco: *illae ideae messianicae,* legendum est: *vaticinia messianica.*

catholicos, cfr. infra. Inter pseudo-reformatos vero, qui primus errorem admiserit, nominatur Grotius († 1646); inde vero ab initio saeculi XIX, generalis est opinio illa; imo plerique, praecipue Germani, errorem extendunt ad Ipsum Iesum, Eiusque evangelistas. Hanc opinionem extremam exponit et damnat propositio XXXIII decreti *Lamentabili:* " Evidens est cuique, qui praeconceptis non ducitur opinionibus, Iesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum aut maiorem partem ipsius doctrinae in Evangeliis synopticis contentae authenticitate carere „. Cf. *Lemonnyer: Fin du monde* (Dict. Apol., fasc. VI, p. 1912).

Sed et inter ipsos catholicos, inde a medio saec. XIX, multi, ne dicam plerique, errorem in scriptis apostolicis admittunt, prout mox videbitur. Hi autem inerrantiam Scripturae inspiratae tamquam dogma vere fundamentale religionis christianae admittentes, distinguunt inter id quod auctor sacer *intendit docere* et id quod *declarat aut supponit ex persona propria, quin intendat illud docere.* In priori casu, iudicia sunt iudicia ipsius Spiritus Sancti, ideoque vera veritate divina; in altero vero casu, error, si quis habeatur, imputandus est soli auctori humano.

Ita foret in textu Thessal., aiunt auctores isti. Affirmatio explicita et formalis, ideo vera veritate divina, est: *paritas sortis mortuorum vivorumque tempore parousiae;* supposita autem idea personalis S. Pauli, seu eius coniectura, quae sub illa explicita et formali doctrina apparet, esset: *imminentia vel saltem proximitas huius parousiae.*

Quid de hac distinctione cogitandum sit, videbimus infra.

Difficultatem *de tempore parousiae* examinamus et solvimus prout in epistolis ad Thessal. tantum habetur; etsi alibi (1) adhuc occurrat.

---

(1) *Le Camus*, qui errorem in scriptis paulinis admittit, scribit: " Cette attente de la Parousie prochaine n'est pas particulière à Paul, bien qu'il en ait parlé plus souvent que les autres, non seulement dans ses deux ép. aux Thess., mais *I Cor.*, I, 7, 8; III, 13; IV, 5; V, 5; VII, 29-31;

§ II. **Decretum Comm. pontificiae de Re Biblica.** (1).

De Parousia seu de secundo adventu Domini nostri Iesu Christi in epistolis Sancti Pauli Apostoli.

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit:

I. Utrum ad solvendas difficultates quae in epistolis sancti Pauli aliorumque Apostolorum occurrunt, ubi de " Parousia „, ut aiunt, seu de secundo adventu Domini nostri Iesu Christi sermo est, exegetae catholico permissum sit asserere, Apostolos, licet sub inspiratione Spiritus Sancti, nullum doceant errorem, proprios nihilominus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit?

Resp. Negative.

II. Utrum prae oculis habitis genuina muneris apostolici notione et indubia sancti Pauli fidelitate erga doctrinam Magistri; dogmate item catholico de inspiratione et inerrantia sacrarum scripturarum, quo omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto; perpensis quoque textibus epistolarum Apostoli, in se consideratis, modo loquendi ipsius Domini apprime consonis, affirmare oporteat, Apostolum Paulum in scriptis suis nihil omnino dixisse quod non perfecte concordet cum illa temporis Parousiae ignorantia, quam ipse Christus hominum esse proclamavit?

Resp. Affirmative.

X, 11; XV, 22-25 et 28; *II Cor.*, V, 1-10; *Heb.* X, 25; etc., Tous les apôtres la partagent, *Iac.* V, 7-9; *I Pierre*, I, 5, 7, 13; *II Pierre*, III, 7-12, sans parler des discours, *Act.* II, 16-20 et 40; III, 19-21; *I Iean*, II, 18; *Apoc.* I, 3, 7; III, 10; XVI, 15 etc. „ — *L'œuvre des Apôtres II*, p. 342 note 1. — (Cf. tamen observationes *Lemonnyer*, l. cit., p. 1919).

(1) Cfr. *Acta Apostolicae Sedis*, 1915, 20 iulii, p. 357-358.

III. Utrum attenta locutione graeca " *ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι* „ ; perpensa quoque expositione Patrum, imprimis sancti Ioannis Chrysostomi, tum in patrio idiomate tum in epistolis Paulinis versatissimi, liceat tamquam longius petitam et solido fundamento destitutam reiicere interpretationem in scholis catholicis traditionalem (ab ipsis quoque novatoribus saeculi XVI retentam), quae verba sancti Pauli in cap. IV, epist. I ad Thessalonicenses, vv. 15-17, explicat quin ullo modo involvat affirmationem Parousiae tam proximae ut Apostolus seipum suosque lectores adnumeret fidelibus illis qui superstites ituri sunt obviam Christo (1)?

Resp. Negative.

Die autem 18 iunii 1915, in audientia infrascripto Reverendissimo Consultori ab Actis benigne concessa, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XV praedicta responsa rata habuit et publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 18 iunii 1915.

Laurentius Janssens, O. S. B.
Abb. tit. Montis Blandini.
Consultor ab Actis.

Conclusiones.

1. Uti dictum est in statu quaestionis, multi auctores catholici, inde a medio saeculo praeterito, admittebant ad solvendas difficultates de Parousia, errorem quem dicunt materialem, qui scilicet tribuendus esset auctori, non quatenus inspirato, sed quatenus auctor est mere humanus.

(1) Ex his ultimis verbis non equitur superstites tempore parousiae, secundum Comm. Bibl., non esse morituros priusquam assumantur cum Christo. (Cfr. supra p. 134 et 141). Manifeste enim decretum utitur tantum modo loquendi Apostoli, qui, prout diximus, docet universalitatem mortis sequentem ex universalitate peccati. Cfr.: *The Tablet* 9 oct. 1915, p. 458; et *The Irish Theological Quartely,* ian. 1916, p. 110.

Talem distinctionem reiicit Com. Bibl.: exegetae catholico permissum NON est asserere, Apostolos... proprios... humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit.

Haec responsio, quae habet applicationem generalem, etsi detur pro casu particulari *Parousiae*, haec responsio, inquam est *negativa, rejicit scil. solutionem modernum.*

2. Secundo determinatur *positive* quid Apostolus docuerit: Apostolus Paulus in scriptis suis nihil omnino dixit quod non perfecte concordet cum illa temporis Parousiae ignorantia, quam ipse Christus hominum esse proclamavit; uno verbo: *Paulus nescivit, et ignorantiam diei Domini docuit sicut Ipse Christus voluit.*

Hoc autem affirmari oportet, consideratis:

α) genuina muneris apostolici notione;

β) et indubia sancti Pauli fidelitate ergo doctrinam Magistri;

γ) dogmate item de inspiratione et inerrantia S. Scripturarum;

δ) consonantia demum inter verba Apostoli et modum loquendi ipsius Domini.

3. Ad textum veniens, I Th. IV, 15-17 determinat Com. Bibl. non licere, interpretationem reiicere in scholis catholicis traditionalem, quae verba ista explicat quin ullo modo involvant affirmationem Parousiae tam proximae ut Apostolus seipsum suosque lectores adnumeret fidelibus illis, qui superstites ituri sunt obviam Christo; — uno verbo: *ita sunt explicanda haec verba, quin ullum contineant errorem relate ad tempus Parousiae.*

§ III. Historia interpretationis.

I Th. IV, 15-17.

— *nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini...*
— *ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου...*

Patres Graeci:

S. Iohannes Chrysost.: Illud autem *nos* non de seipso dicit: non enim erat mansurus usque ad resurrectionem, sed dicit fideles.

Theodorus Mops.: Quod dixit *nos*, non de se neque de illis qui in praesenti vita tunc habebantur dicit, sed de illis fidelibus qui tunc victuri sunt quando resurrectio est futura. *Nos* dixit, hoc est fideles, eo quod et ipse talis erat et ad tales scribebat, unde et adiecit: *qui subrelinquimur in adventu Domini;* ostendens quoniam non de illis qui eius tempore vivebant dicit, sed de illis qui in consummatione sunt victuri.

Theodoretus Cyr.: Illud enim, *nos qui vivimus*, non de sua ipsius persona posuit, sed de iis qui erunt illo tempore superstites.

S. Iohannes Dam.: Non hoc innuit, se superstitem fore usque ad tempus resurrectionis, sed, cum de viventibus ei sermo esset, ipseque dum haec aiebat in vivis ageret, communi loquendi more dixit, *nos qui vivimus*. Quod autem hic dicti istius sit sensus, indicat subiungendo, *qui residui sumus.*

Oecumenius: " *Quod nos*, „ Non de seipso hoc dicit, neque enim usque ad id tempus corporaliter victurus erat, sed suam personam verbi causa profert. — *Oecum.* citat approbando explicationem *Methodii (De resurr.)* secundum quem: Vivere dicit animas, dormire vero corpora etc...

Theophylactus:.. cum dicit, *Nos qui vivimus*, non de seipso dicit (neque enim ad resurrectionem usque victurus erat), sed

fideles intelligit: propterea adiecit: *Qui relinquimur in adventum Domini.* In sua enim persona omnes qui tunc invenientur viventes indicat. — *Methodii* sententia etiam citatur.

Origenes, quem etiam citat *S. Hieronymus* mystice vitam et dormitionem intelligit de peccato et gratia: Vivi appellantur qui numquam peccato mortui sunt; qui autem peccaverunt, et in eo quod peccaverunt, mortui sunt.

*
* *

Patres latini, et commentatores catholici usque ad medium saeculum XIX.

S. Augustinus: Sed quaeri solet, utrum illi quos hic viventes inventurus est Christus, quorum personam in se atque illos qui tunc secum vivebant, transfigurabat Apostolus etc... (*De civ. Dei* XX, 20, 2).

S. Hieronymus: Ex his dictis probare conantur, Apostolum Paulum, et qui cum eo scribebant Epistolam putasse se non esse morituros, sed reperiendos in die consummationis in corpore. Quod si verum est, erravit Paulus, et humana aestimatione deceptus est, ut arbitraretur se inveniendum in corpore: quod falsum esse, rerum exitus approbavit. Hoc intellexerant et ipsi Thessalonicenses, sacramenta sermonis mystici nescientes, et coniecturis variis fluctuabant, dicebantque: Si Paulus inveniendus in corpore est, proximus est dies iudicii. Unde corrigit eos, secundam Epistolam scribens. — Mystice autem S. Doctor explicat, post Origenem, vivere de vita spirituali, dormire autem de morte peccati. (Ep. CXIX, M. P. L. 22, col. 971).

Pelagius: Semper Apostolus diem Domini fecit habere suspectum, quasi eos in corpore inveniret. (Cit. etiam apud *Primasium*).

B. Rabanus Maurus (s. IX): Quod dixit *nos*, non de se, neque de illis, qui in praesenti vita tunc habebantur dicit, sed de illis fidelibus, qui tunc victuri sunt, quando resurrectio

est futura; *nos* dixit, hoc est, fideles, eo quod et ipse talis erat, et ad tales scribebat. Unde et adiecit, *qui subrelinquimur in adventu Domini*, ostendens quoniam non de illis, qui ejus tempore vivebant, dicit, sed de illis qui in consummatione sunt victuri.

Haymo (s. IX): Sic videntur haec verba Apostoli sonare quod Apostolus suo tempore demonstraverit diem iudicii venturum. Unde et Thessalonicenses legentes hanc epistolam putaverunt tempore Apostoli diem iudicii venturum. Quapropter alloquitur et adhortatur eos in secunda epistola, inquiens: Nolite terreri per epistolam quasi instet dies Domini. Considerandum est ergo, quod ex persona electorum loquitur, qui vivi inveniendi sunt in adventu Domini...

V. Herveus (s. XII): Nam *voce iustorum* qui tunc viventes in carne sunt inveniendi, locutus est nunc Apostolus, quia et ipse iustus erat, atque in carne vivebat, et novissimos sanctos fore communionis suae praevidebat, ideoque verbis eorum utebatur. Sed Thessalonicenses hoc non intelligentes, putaverunt quod Paulus et qui cum eo scribebant epistolam, dicerent se reperiendos in die consummationis in carne, et coniecturis variis fluctuabant atque dicebant: Si Paulus inveniendus in corpore est, proximus est dies iudicii. Unde corrigit eos in secunda Epistola. Putabant enim quod in diebus eorum futura esset generalis resurrectio, quoniam Apostolus verbo praesentis temporis dixerat, *nos qui vivimus*. Qua causa praecipue coactus est aliam illis epistolam scribere. Viventes namque et residuos, ut diximus, nominavit, non quo vellet intelligi se cum sociis suis tempore resurrectionis in corpore reperiendos, sed *nos* dixit pro eo quod est, iustos, de quorum numero et ipse erat.

Petrus Lombardus (s. XII): Et nota quod ait: *nos qui vivimus*. Sic enim videntur haec verba Apostoli sonare, quasi Apostolus suo tempore demonstraverit diem iudicii venturum. Quocirca et Thessalonicenses legentes hanc epistolam, putaverunt tempore Apostoli diem iudicii venturum. Unde et alia scribitur epistola, ubi hortatur eos ne terreantur, quasi instet

dies Domini. In persona ergo electorum loquitur qui vivi in corpore, inveniendi sunt in adventu Domini; et se illis ultimis ideo commemorat, quia cum eis unum corpus est etc.

S. Thomas Aquinas: *Quia nos qui vivimus*, i. e. illi, qui sunt vivi; non prius sortientur consolationem ex adventu Christi quam mortui. Et ideo dicit: *Nos qui vivimus.* Ex quo videtur non intelligentibus (*sic!..*) quod Apostolus hic dicat, quod adhuc Apostolo vivente hoc fieret, et hoc etiam Thessalonicensibus videbatur. Et ideo scribit eis aliam epistolam, in qua dicit: *Non moveamini a vestro sensu.* Sed non loquitur ex persona sua, et tunc existentium, sed eorum qui tunc vivi reperientur. *Qui residui sumus*, id est, erunt residui post persecutionem Antichristi.

— II Th. II, ad v. 2: Et dicit: *Neque per epistolam tamquam per nos missam.* Quia in prima epistola nisi bene intelligatur, videtur dicere, instare Domini adventum, ut illud: Deinde nos qui vivimus, etc.

Caietanus († 1535):... pronomen *nos* non demonstrat Paulum, Silvanum, Timotheum et reliquos illius aetatis Christianos, sed electos qui tempore adventus Domini ad iudicium universale relinquentur vivi.

— II Th. II, ad v. 2.: Ansam autem accipiebant ex epistola eo quod in prima persona dixerat, nos qui vivimus etc.. Et haec videtur ad litteram ratio huius secundae epistolae: ad tollendum scil. ab eis huiusmodi intellectum.

Estius († 1613): Loquitur Apostolus in prima persona, dicens: *Nos qui vivìmus, qui residui sumus*, etc. non velut dubius aut incertus, ut nonnulli suspicati sunt, an forte se vivo futurus esset Domini adventus: nam huiusmodi opinionem instantis diei Domini natam ex suis verbis, diserte *in 2. epist.* reiicit, docens quaenam et quanta sint quae illum diem adhuc praecedere debeant: sed ita loquitur, partim quidem ut Thessalonicensium animos in exspectationem adventus Domini teneat erectos atque suspensos, quo diem illum quasi brevi venturum semper habeant prae oculis, semperque ad eum parati sint; id enim admonet eos mox *cap. seq:* partim vero,

quod personam induat electorum qui in adventu Dominico residui, sive superstites erunt, id est, vivi reperientur; nolens explicare num iidem illi, an alii futuri sint ab iis qui tunc vivebant.

Cornelius a Lapide († 1637): Paulus ita de se loquitur, atque si victurus esset usque ad adventum Domini, hoc est usque ad diem iudicii; non quod ita futurum putaret, sed ut illius diei terribilis et incertae memoriam nobis et timorem perpetuum incuteret, ut semper suspensi illum diem expectemus et ad eum nos comparemus. Est ergo hic *enallage personae: Nos qui vivimus*, id est quicumque vivent sive ex nobis, sive ex posteris nostris, quorum ego personam hic induo et subeo, ut de iis in mea persona loquar.

Calmetus († 1757): Ita scribit Paulus, quasi ipse et ii, quos alloquitur, generalem resurrectionem, veluti sua aetate eventuram, viventes ac superstites essent spectaturi. Hinc veterum complures sibi persuaserant, supremam Iudicii diem proxime imminere. At interpretes praestantissimi optime existimavere, ita loqui Apostolum, quasi se ipse proponat ceu exemplum earum rerum, quas superstites tunc homines sunt spectaturi. Si hoc nostra aetate contingat, neque ego neque vos antevertemus eos qui diu antea obierunt etc.

Videtur nonnullis, omnino putasse Paulum fieri posse, ut ipse viveret Iudicii generalis tempore, illudque ipse cerneret ante obitum... At Paulus ipse hanc opinionem evertit in 2ª ad Thess., ubi docet, non ita eam diem imminere, multaque illi praeitura. Praeterea qui fieri potuit, ut falleretur in ea re quam divinitus didicit, atque *in verbo Domini* nunciavit?

* * *

Commentatores catholici, inde a medio saeculo XIX, a traditione dissentientes.

Ad. Maier *(Komm. über den Brief an die Römer,* 1847, Freiburg in Br.; p. 387-388 ad cap. XIII, 11.): Man kann,

ohne den einzelnen Worten Gewalt anzuthun oder das Ganze willkürlich zu behandeln, aus dieser Stelle die Vorstellung von der Nähe der Wiederkunft des Herrn und des Weltendes nicht entfernen, so wenig als aus den Stellen I Th. IV, 15 sq... Der Ap. hält sich hierin in der gewöhnlichen Vorstellungsweise seines Zeitalters (1)...

Aug. Bisping (*Exegetisches Handbuch zu den Briefen des Ap. Paulus* III², 1. — Münster 1865) ad I Th. IV, 15 sq.: Aus dieser Fassung der Worte geht unzweifelhaft hervor, dass er sich selbst mit zu denjenigen rechnet, die das Eintreten der Parusie Christi vielleicht noch erleben würden. Dass er aber sein Erleben der Parusie nur als subjective Vermuthung, nur als Hoffnung ausspreche, erhellt sofort aus Kap. V, 1 ff., wo er die Unbestimmbarkeit des eigentlichen Zeitpunktes ihres Eintritts voraussetzt. Worauf es ihm hier ankam, das war die Wahrheit, dass die bei der Wiederkunft Christi noch Lebenden von den bereits Gestorbenen Nichts voraushaben würden, und hierauf allein erstreckte sich der *λόγος κυρίου* auf welchen er sich beruft. Ob dieser Zeitpunkt noch bei seinem Leibesleben eintreten werde oder nicht, war Nebensache; er hofft es aber, ja er erwartet es. Und in dieser Erwartung der Wiederkunft Christi als einer nahe bevorstehenden, da sie doch noch Jahrtausende verziehen sollte, lag von Seite des Apostels kein eigentlicher Irrthum, noch auch thut sie seiner Unfehlbarkeit irgendwie Eintrag (2) etc...

---

(1) Nisi singulis verbis fiat vis, vel totum ad libita tractetur, non potest ex hoc loco (*Rom. XIII, 11*) removeri suppositio proximitatis reditus Domini et finis mundi, sicut neque ex I Th. IV, 15 sq.. Apostolus in hoc sequitur ideas ordinarias temporis sui.

(2) Ex tali explicatione verborum indubie sequitur Paulum seipsum annumerasse illis, qui in vita sua forte adhuc Parousiae interforent. Quod autem suam praesentiam facto Parousiae, tantum ut subiectivam-personalem coniecturam, tantum ut spem emitteret, sequitur etiam ex cap. V, 1 sq ubi incertitudinem momenti huius facti proponit. Hic tantum intendebat docere, viventes tempore parousiae, nullatenus iam mortuis excel-

I. Corluy S. I. (*La science catholique, 1887,* p. 284-300; 337-346) : Il nous semble donc qu'aucune raison dogmatique (1) ne s'oppose à cette conclusion: l'apôtre S. Paul dans les deux passages que nous venons d'étudier (I Th. IV; I Cor. XV, 51-53) n'enseigne rien de précis sur la proximité de la fin du monde ; mais la manière dont il s'exprime nous révèle quelle était sur cet objet son opinion personnelle en dehors de toute influence de l'inspiration. Il lui semblait non seulement possible mais probable que la génération contemporaine ne s'éteindrait pas (2) avant l'époque de la fin du monde présent ; il n'était pas sans espoir de voir le second avènement du fils de l'homme avant de s'endormir du sommeil de la mort...

Obiectione vero facta ex *II Th. II, 1-3* concedit clar. Auctor, Paulum non considerasse parousiam ut *imminentem*, sed ut *proximam:* Autre chose est de dire ou de croire qu'un événement est *peu éloigné*, distant p. ex. de quelques années ; autre chose d'affirmer ou de faire croire qu'il est *imminent.*

---

lentiores fore; atque in hoc tantum ferebat *λόγος κυρίου* ad quem provocat. An istud momentum adhuc ipso vivente venturum sit vel non, res erat secundaria ; hoc tamen sperat, imo exspectat. Atque haec exspectatio reditus Christi tamquam facti imminentis — quamvis adhuc per millia annorum tardaret — non continebat realem errorem Paulo Apostolo imputandum, neque ullo modo nocet eius infallibilitati, etc...

(1) Distinctione facta a cl. auctore inter S. Scripturae *verbum formale*, quod totum est a Deo, et ideo verum; et *verbum materiale* seu expressionem et stylum, quae sunt ab homine, et quae possunt supponere falsum. Talis distinctio sive dissectio verbi inspirati a thomistis non admittitur, secundum quos omnia quae sunt in S. Script. sunt a Deo, tamquam a causa prima, et ab homine, tamquam a causa secunda. Supposita autem distinctione R. Patris Corluy, petimus : quonam criterio ducti distinguere possumus inter verbum formale et materiale ? Nonne error — si admittatur — arbitrarie tribuetur verbo materiali, ut salvetur inerrantia alterius? Ac nonne potius error primi converteretur in errorem alterius?..

(2) Allusio ad Mc. XIII, 30 ; hic textus vero intelligendus est de destructione Jerusalem, et non de fine mundi. Cfr *Lagrange*: S. Marc. ad h. l.

S. Paul *se contente de nier l'imminence* de la fin du monde et il appuie sa négation sur l'absence de certains signes, qui doivent précéder le jour du Seigneur. Ces signes eux-mêmes sont ils proches ou éloignés? L'apôtre ne le dit pas. Il laisse pourtant entendre qu'il *les regarde comme prochains* lorsqu'il dit: Car déjà s'opère le mystère de l'iniquité etc.. (II Th. II, 7.)- l. cit., p. 296-297.

Ejusdem auctoris cfr. etiam articulum in *Dict. d'Apol.* (1ª ed, 1889), cujus titulus: *Fin du monde*, col 127-33.

Ch. Pesch S. I. in praeclaro opere *De Inspiratione* idem non obscure admittit: si apostoli, ut quibusdam placet, *putaverunt secundum Christi adventum proxime instare*, et *si quaedam eorum loquendi formulae hanc opinionem innuere videntur*, hoc non pertinet ad inspirationem, quia de hac re nihil affirmant nisi tempus secundi adventus non esse a Deo revelatum ideoque occultum... (*p. 459, nota 1*).

Idem opinantur plerique auctores hodierni:

Le Camus (*L'œuvre des Apôtres*, II, p. 342, nota 1; p. 343 sq., nota 5. Verba hujus cl. auctoris valde categorica sunt: Les efforts qu'on a tentés pour supprimer l'*évidente* illusion de l'Apôtre sur la proximité de la Parousie sont *aussi superflus que désespérés* etc., etc.

A. Lemonnyer O. P. (*Epîtres de St Paul.*, I, p. 40): La Parousie, si elle n'est pas imminente, est prochaine. St. Paul a l'impression que lui-même et l'ensemble de ses correspondants seront encore vivants quand elle se produira, I Th., IV, 17 etc.

Idem in *Dict. Apol. de la Foi catholique* (A. D'Alès) fasc. VI: *Fin du Monde*, p. 1911 sq. Pagina 1919 proponit duplicem conclusionem: 1°) La parousie, la fin du monde, est proche. Cette énonciation est posée d'une manière assez ferme et semble commune à toute la première génération chrétienne... 2°) La génération présente verra peut-être, vraisemblablement même, l'avènement glorieux du Seigneur et la fin du monde.

P. M. Magnien O. P.: *La résurrection des Morts*, R. B. 1907, p. 349-382. Cfr. p. 365-366.

F. Prat S. I.: *La Théologie de St Paul*, vol. I, p. 108 sq.; et p. 154: Paul serait-il hanté par la perspective prochaine de la parousie? Il ne faut pas le nier *a priori*. Sur ce sujet, nous l'avons dit, il n'enseigne rien et a coscience de ne rien savoir. Mais faute de science certaine, il pouvait avoir une opionion fondée sur des probabilités ou des conjectures et, du moment qu'il avertit de son ignorance, qu'il se défend de rien enseigner, on ne voit pas d'impossibilité absolue à ce qu'il règle sur ces probabilités sa conduite et ses conseils.

I. Belser (1): *Die Briefe des hl. Johannes* 1906, p. 53.

C. Toussaint: *Épîtres de St Paul* (1910), I, p. 124-125.

Fr. Tillmann demum quaestionem parousiae Domini in epistolis paulinis methodice tractans, in eodem sensu pericopen I Th. IV exposuit: *Die Wiederkunft Christi nach den paulinischen Briefen* (1909), p. 49 sq. Cfr. recensiones hujus operis: *Biblische Zeitschrift*, 1909, p. 217; et R. B. 1909, p. 646.

B. Bartmann: *Lehrbuch der Dogmatik*. (1911). Cfr. recensionem: *La Ciencia Tomista*, t. VIII, p. 76.

Plerique ergo auctores catholici moderni admittunt apud S. Paulum errorem relate ad tempus Parousiae Domini: *L'accord tend à s'établir entre catholiques sur les faits essentiels. St Paul et cela jusqu'à la fin de sa carrière regarde la fin du monde comme prochaine.* (*Lemonnyer*, *Dict. Apol.*, l. cit., p. 1916).

---

(1) *Dr. Th. H. Van Oppenraay* adhuc citat: *I. E. Belser*: Der zweite Brief an die Korinther, 1910, p. 163; *Camerlynck*: Comment in epist. catholicas, 5ª ed., 1909, p. 121. (*De Tijd*, 2 Aug. 1915: *Christus' Wederkomst als Rechter*). — Item catholica versio *Westmonasteriensis* in lingua anglica; auctor vero, *R. P. Lattey, S. J.*, edito decreto Com. Biblicae, statim correctionem publicavit in *The Tablet* (9 Oct. 1915, p. 456-458). — Cfr. etiam *The Eccles. Review* (1913, *Dec.*; - 1914, *March*, *May*, *July*, *Aug.*) doctam discussionem inter *RR. PP. Lattey* et *Drum*, S. J.

Auctores vero moderni catholici, qui traditioni remanserunt fideles, sequentes citari possunt:

R. Cornely S. I. pluries:

Introductio	III,	p. 412 sq.	
Comm. ad Rom.	XIII,	11-12,	p. 689 (1).
„ *I ad Cor.*	VI,	14,	p. 151.
„ „	VII,	21,	p. 200.
„ *II ad Cor.*	IV,	14,	p. 131.
„ „	V.	1-2,	p. 148.

I. Knabenbauer, S. I., Comm. I Th. IV, p. 92.

A. Schäfer, F. Gutjahr ad eumdem locum I Th. IV.

C. Fouard, *St Paul, ses Missions* (ed. 6, 1900), p. 197.

W. Drum S. J., *Cath. Encyclopedia* (vol. XIV: *Thess.*) (2)

M. Sales O. P., in suo optimo comm. italico ad N. T.

B. Allo, O. P., in R. B. 1915, p. 393-455: *L'Apocalypse et l'époque de la Parousie* (cfr. p. 434-437).

* * *

Reformatores saec. XVI.

Nec Lutherus nec Melanchton fecerunt commentarium in epistolas ad Thessal.; commentarius vero Calvini maximi aestimatur: *Of the three great exegetes, Luther, Zwingli and Calvin, the greatest is Calvin*; ita Frame, p. 60.

Calvinus († 1564): Quod autem in prima persona loquens, se quasi unum facit ex eorum numero, qui usque ad diem extremum victuri sunt: eo vult Thessalonicenses in exspecta-

---

(1) Cfr. etiam *Lagrange: St Paul aux Romains,* p. 319 sq.

Fusius circa: *La Questione parusiaca* scripsit etiam *Can. A. Cellini* in: *La scuola cattolica,* 1907, p. II, p. 17, 157, 296, 414, 527, 670. Clar. Auctor diligenter et apte iam per plures annos instruit lectores huius periodici circa quaestiones biblicas modernas.

(2) Cfr. etiam in *The Eccles. Review* (*Oct.* 1915): *The Bibl. Comm. and the Parousia.*

tionem erigere: adeoque pios omnes tenere suspensos, ne sibi tempus aliquod promittant. Nam ut demus ipsum ex peculiari revelatione scivisse venturum aliquando serius Christum : hanc tamen ecclesiae communem doctrinam tradi oportuit, ut fideles omnibus horis parati essent. Interea simul ansam curiositati multorum praecidi oportuit, quod prolixius deinde faciet. Caeterum quum dicit, *nos qui sumus superstites*, tempus praesens loco futuri more hebraico usurpat.

Huic traditioni, inerrantiam Apostoli defendenti, remansit fidelis *exegesis protestantica,* paucis exceptis, *usque ad saec. XIX.* Audiantur ac sufficiant sequentes, qui sunt inter meliores:

Poole (lat. *Polus*) († 1679). *Synopsis Criticorum aliorumque Sacrae Script. Interpretum* ad h. l.: *Nos qui vivimus* i. e. quicumque ex nobis aut ex posteris nostris vivet tunc. Non loquitur de seipso, aut de istis qui tunc vivebant, quasi se (aut illos) superfuturos putaret, in die ultimo, et proinde diem illum instare; quod diserte refellit II Th. II, 1; sed exempli causa dicit, *nos*; sic loquens tum in persona eorum qui tunc superstites erunt, tum ut eorum animos in exspectationem Domini teneat erectos ac suspensos, ut diem illum, quasi brevi venturum semper habeant prae oculis, semperque ad eam parati sint. (Deinde citatur opinio *Grotii*, cfr. infra). *Demum : Sententia haec Baronii aliorumque Romanensium: Errasse Apostolos, finemque mundi suo tempore futuram credidisse blasphema est et homine christiano indigna* (1).

Bengel († 1752) *Gnomon Novi Test.* ad h. l.: Unaquaeque generatio, quae hoc vel illo tempore vivit, occupat illo vitae suae tempore locum eorum, qui tempore adventus Domini victuri sunt. Sic τὸ *nos* hic ponitur, ut alias nomina *Cajus* et *Titius*: idque eo commodius, quia fidelibus illius aetatis am-

(1) Optime sane pro condemnatione! — fatemur vero nos talem opinionem nondum legisse nec apud cl. *Baronium*, nec apud *alios catholicos*, Romanenses dictos.

plum temporis spatium usque ad finem mundi nondum distincte scire licuit. Tempus praesens in utroque participio est praesens pro ipso adventu Domini ut Act. X, 42, et passim. Neque eo asseruit Paulus, tam propinquum esse diem Christi, vid. II Th. II, 2 sq.

***

A traditione *dissentientes*, inter protestantes, nominantur primi: *Piscator, Grotius* et *Moldenhauer,* (ehrenvolle Ausnahmen!! prout scribit Bornemann, p. 204).

Sufficiat hic citari:

Grotius († 1646) ad h. l.: Omnino putavit Paulus, fieri posse, ut ipse viveret iudicii generalis tempore, idque non ex his tantum verbis satis apertis liquet, sed et ex 1 cor. XV, 31, 52, 53; et 2 cor. V, 1, 2, 3... Ergo quod futurum discrimen inter homines pios ait, certum est, id a Christo ipsi patefactum, non item in utra classe ipse futurus esset. Nam quod *ea in re Paulus maluisset, magisque opinatus est*, id non evenit, nullo tamen ipsius damno. *Κοίνωσις* (seu *enallage personae*) hic locum habere non potest etc.

Quantum vero ad *statum praesentem exegeseos protestanticae* notat v. Dobschütz: Erst Usteri (1824) und Daehne (1835) haben nach vereinzelten Vorgängern wie Piscator, Grotius und Moldenhauer dies Vorurteil gebrochen, das in der neueren protestantischen Exegese aller Richtungen als aufgegeben betrachtet werden darf. (1) (*Op. cit.*, p. 200).

Post illa verba inutile erit citare auctores protestantes, qui apud S. Paulum errorem supponunt: *Lünemann, Bornemann, v. Dobschütz, Milligan, Frame, Kennedy*, etc... Exegetae angli

(1) Primi Usteri (1824) et Daehne (1835), post paucos praedecessores, ut Piscatorem, Grotium et Moldenhauer, *hoc praeiudicium (de Pauli inerrantia) fregerunt, quod in recentiori exegesi protestantica cuiuscumque scholae ut definitive derelictum considerari potest.*

prudentiores sunt et aequiores quam germani, imo maxima auctoritas exegetica inter Anglos, cl. LIGHTFOOT, allegat opinionem Bengelii ac laudat eam dicens: *Bengel says very wisely and truly*, i.-e. *Bengel dicit sapientissime ac rectissime*; cuius orthodoxam explicationem vide supra.

CONCLUSIONES.

I. Unanimis est traditio exegetica in tuenda inerrantia S. Pauli relate ad tempus Parousiae. Ipsi novatores, paucis exceptis, remanserunt huic traditioni fideles usque ad saeculum XIX; circa medium saec. XIX primae voces discordes inter catholicos audiuntur. Hodie protestantes omnes errorem in scriptis apostolicis admittunt, imo ipsum Iesum de errore arguunt; plerique etiam catholici admittunt apud Paulum errorem, tamquam eius opinionem personalem.

II. A S. Iohanne Chrysostomo dependent commentatores graeci; antiquiores vero latini omnes a S. Hieronymo. Utrobique haec dependentia quandoque est verbalis.

III. Secundum Graecos: *nos* stat pro *fidelibus* victuris tempore parousiae; hoc innuitur, aiunt, ex additis verbis: *οἱ περιλειπόμενοι* (*Theod. Mops.*, *S. Ioh. Dam.*, etc.).

Idem notant plerique Latini; sed observant insuper Thessalonicenses male intellexisse haec verba, ac si S. Paulus se suosque coaetaneos adnumerasset inter testes imminentis parousiae; quapropter, dicunt, Apostolus scripsit alteram epistolam ut errorem hunc relate ad tempus parousiae refelleret. Ita primus *S. Hieronymus*, ac post eum plerique Latini, v. gr. *S. Thomas Aq.*

Allegorice explicavit *Origenes* (quem citat S. Hier.) *vivere et dormire* de vita gratiae et de morte peccati; statim vero haec singularis opinio derelicta est.

IV. Rationem, quare Apostolus usus sit prima persona (per figuram, ut dixit primus *Cornelius a Lapide*, ENALLAGES PERSONAE); rationem talis usus, inquam, non quaesierunt antiqui.

Simpliciter explicant *nos* de *futuris testibus* parousiae, ut Pauli innerrantiam salvent.

Dicunt quidem pronomen *nos* designare totum corpus fidelium, quorum in die iudicii alii mortui, alii superstites invenientur.

Attamen, recte notante cl. Cornely, si talis revera esset extensio pronominis *nos* = *ἡμεῖς*, — quum fiat in ipso corpore fidelium (= *nos*) duplex categoria *mortuorum* et *viventium* — debuisset pronomen legi in genitivo, sequenti modo: *ὅτι ἡμῶν οἱ ζῶντες* etc. = *quod* EX NOBIS (scil. ex corpore fidelium) *viventes usque in parousiam Domini, non praeveniemus eos qui* EX NOBIS *dormierunt*: *ἡμῶν τοὺς κοιμηθέντας*. (Cfr. Cornely, Introd. III, p. 413).

V. Rationem usus primae personae plur. assignant sequentem aliqui exegetae catholici moderni: *quum nihil sciret S. Paulus relate ad tempus parousiae — nisi eius incertitudinem, prout verbis ipsis Domini declarat statim — loquitur in hypothesi et verbis Thessalonicensium ad statuendam, quod est eius formale intentum, paritatem inter mortuos et vivos tempore adventus Domini.* Hanc explicationem, ad quam independenter ex obiectivo studio solius textus perveneramus, postea legimus apud cl. *Cornely* (Introd. l. cit.), *Knabenbauer* (Ep. ad Thess. ad h. l.), *Schäfer* (ad eumdem locum), *Gutjahr* (ibidem), et in optima nota Redactionis " *Science cath.* „ (ad artic. cit. p. Corluy, 1887, p. 295-296). En verba quae ibi leguntur: Ne voulant pas les éclairer sur ce point (*de l'imminence ou non*) il devait leur répondre d'après leur propre hypothèse... Le sens des paroles de St Paul serait donc celui-ci : Nous qui sommes vivants et qui — d'après ce que vous croyez, d'après l'hypothèse sur laquelle reposent vos plaintes — ne devons pas mourir avant la venue du Seigneur, nous ne serons pas admis devant lui avant ceux qui sont morts. — *Cfr. comm. nostrum ad h. l.*, p. 135 sq.

§ IV. **Thesis.**

Sanctus Paulus in epistolis ad Thessalonicenses non insinuat, nequidem tamquam coniecturam personalem, proximitatem secundi adventus Domini.

Thesis haec ponitur contra opinionem modernam exegeseos catholicae, prout supra exposita est.

Ut enim in tutum ponat inerrantiam divinam Scripturae Sacrae, distinguit inter affirmationes explicitas, quae sunt inspiratae, ideoque verae veritate divina, et suppositas ideas vel insinuatas coniecturas personales auctoris humani. Ita relate ad tempus parousiae: Apostolus Paulus, sicut caeteri primi christiani, parousiam credidit proximam; sed istud non docuit, nec ut auctor inspiratus affirmavit; insinuatum vero apparet tamquam eius opinio et coniectura personalis.

Thesis opposita traditionalis ita enuntiatur a *Com. Bibl. (2 dub.)*: *Paulus in scriptis suis nihil omnino dixit quod non perfecte concordat cum illa temporis Parousiae ignorantia, quam ipse Christus hominum esse proclamavit.*

Probatur: A) INDIRECTE, ex rationibus generalibus theologicis.

1. *Ex genuina muneris apostolici notione et indubia sancti Pauli fidelitate erga doctrinam Magistri.* (Com. Bibl. dubium 2).

Apostolus enim est missus, legatus Christi, quasi echo vocis Eius: *fecit* (Christus) *ut essent duodecim cum illo: et ut mitteret eos praedicare* (Mc. III, 14). Ideo dixit eis Iesus: *quod in aure auditis, praedicate super tecta* (Matth. X, 27). Et mox ascensurus in coelum: *euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (Matth. XXVIII, 19-20); *accipietis virtutem Spiritus sancti in vos et eritis mihi testes* (Act. I, 8).

Iamvero pluries expressissime docuit Christus incertitudinem temporis reditus sui. Post resurrectionem adhuc interrogaverunt Eum Apostoli dicentes: *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël ? - Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate...* (Act. I, 6-7).

In oratione eschatologica pluries repetierat Christus hunc diem incertum esse, ideo semper vigilent homines oportet: *De die autem illa, et hora nemo scit, neque Angeli coelorum* (1), *nisi solus Pater... Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam. Ideo et vos estote parati quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.* (Matth. XXIV, 36, 42-44; l. par. = Mc. XIII, 32 sq.).

Huic doctrinae Magistri tam expressae pluriesque repetitae remansit Paulus fidelis, imo *quoad ipsa verba*, prout ostendetur infra inter argumenta directa.

Non loquamur de rationibus moralibus — etsi convincentibus — quare humilis Paulus, minimus Apostolorum prout seipsum vocavit, non ambierit sapere plus quam Magister.

Sed insuper ut fidelitatem suam affirmet, hic invocat *verbum Domini : Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini...* Utique tam solemni expressione utitur ad probandam mortuorum et vivorum paritatem tempore Parousiae ; attamen, secundum probabiliorem exegesim, quam secuti sumus in comm., expressio ista designat apostolatus gratiam et auctoritatem, quam a Domino consecutus est: *ut sim fidelis* (I Cor. VII, 25); atque non aliud scire contendit: nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum (I Cor. II, 2), depositum custodiens, devitans profanas

---

(1) Loco par. Mc. XIII, 32... additur: " *neque Filius*, nisi Pater „. Inde difficultas, qua iam Ariani abusi sunt contra *Filii* divinatatem. Secundum opinionem traditionalem Patrum et theologorum recte scribit *P. Lagrange:* Le Fils sait, mais il n'a pas mission de communiquer, et, dans se sens, il ignore. (*S. Marc.*, p. 327).

vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae... (I Tim. VI, 20)

2. *Ex dogmate item catholico de inspiratione et inerrantia sacrarum Scripturarum, qua omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Santo* (Com. Bibl. ibid).

Iuxta inspirationis dogma enim, omnia et singula, quae in originalibus Scripturae libris continentur, sunt verbum Dei infallibile et quidem propositum ut dictum ab ipso Deo, nisi aliud indicetur. " Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, *ut ea omnia eaque sola* quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter scribere vellent, et *apte infallibili veritate exprimerent:* secus, non ipse esset auctor sacrae scripturae universae „. Ita encyclica *Providentissimus.*

Atqui hoc in loco nec explicite nec implicite indicatur, verba de Parousiae momento esse a Deo solum ut a Paulo dicta. Ergo sunt a Deo ut a Deo dicta.

Breviter explico: Certe iuxta inspirationis dogma, omnia et singula sunt Dei verba prout et ea ratione, qua in Sacris Libris scripta sunt. Et consequenter si invenitur v. gr. aliqua citatio vel cuiusdam auctoris opinio, sunt a Deo ut citatio et opinio citata. Sed ad hoc ut verbum aliquod Sacrae Scripturae tamquam citatio vel opinio habeatur, oportet hoc explicite dicatur, vel implicita citatio vel opinio " solidis argumentis probetur „ (1). Atqui in casu nostro, coniecturalis opinio S. Pauli, ut patet, non est explicita, nec etiam implicita solidis argumentis probatur, cum asseratur solum ratione difficultatis solvendae; quo motivo inducto licitum esset recusare verbum Dei quandocumque difficultates occurrerent, quod absonum est (2).

---

(1) Cfr. Decretum Com. Bibl. 13 febr. 1905.

(2) Ita *Rev. P. Alph. David, S. M. M.* qui die 4 febr. 1916 hanc thesim optime defendit in nostro *Collegio Angelico.*

Obiiciet forte aliquis: Hoc loco prioris ep. ad Thess. non habetur proprie nec assertio, nec enuntiatio relate ad proximitatem parousiae, sed mera insinuatio. Docet enim Paulus expresse paritatem inter vivos et mortuos tempore parousiae, sed prima persona plurali utendo *insinuat* se coaetaneosque suos futuros esse testes huius parousiae.

Respondetur: *retineri debet tamquam insinuatum a Spiritu Sancto.* (Com. Bibl.). Totum enim iudicium expressum auctoris sacri est inspiratum, ideo verum.

Audivimus optimum patrem Corluy distinguentem inter *verbum formale et materiale* S. Scripturae: " La vérité, objet de cette penseé divine, c'est le *verbum formale*, venant tout entier de Dieu. Mais Dieu abandonne à son secrétaire le *verbum materiale*, c. a. d. l'expression de cette vérité, les mots, le style, l'arrangement des détails „. — Sed haec ultima, scil. *verba*, non sunt meri soni; *continent* enim iudicia et ideo veritatem vel falsitatem... Quonam ergo criterio distinguet lector inter verbi formalis et materialis contentum? Quum ipsum *verbum formale* (seu *veritas divina)* humanis verbis exprimatur, quomodo salvabitur veritas divina, si contineatur falsum in verbo materiali?...

Talis caeteroquin distinctio, quae est dissectio... verbi divino-humani, pugnat cum doctrina encyclicae *Providentissimus* et S. Thomae de inspiratione, ut supra notavimus.

Hic adhuc valet sequens textus eiusdem encyclicae: " Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem „.

Hac difficultate semper praeoccupati fuere exegetae quos refellit thesis Com. Bibl. — Ac vere levior est responsio recens *J. Belser* (1) et *F. Tillmann* (2)*:* " Utique in hoc haberetur

---

(1) Man mag darin einen Irrtum erkennen; aber derselbe war nur ein chronologischer, kein dogmatischer... *(Die Briefe des hl. Johannes*, p. 53).

(2) *Op. cit.*, p. 47.

error, sed error mere chronologicus, non vero dogmaticus „; — ac si error chronologicus non posset esse dogmaticus..., ac si non haberentur facta dogmatica...

Conclusio: exegetae catholico permissum NON est asserere Apostolos, licet sub inspiratione Spiritus sancti, nullum doceant errorem, proprios nihilominus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit. *(Decr. Com. Bibl. dub. 1).*

B) Probatur thesis DIRECTE, ex ipso textu S. Pauli. Omissis textibus, in quibus loquitur Apostolus de morte sua instante (II Tim. IV, 6) vel ordinat statum futurum Ecclesiae (II ad Tim. II, 2) et aliis similibus, qui quidem probant contra *imminentiam* non vero contra *proximitatem* parousiae, ut notant adversarii, v. gr. *Corluy*, l. cit.; — his ergo omissis examinemus ipsas epistolas ad Thessalonicenses.

1. *Contextus.* Probata paritate inter mortuos et vivos tempore parousiae, scribit Apostolus " *De temporibus autem, et momentis fratres non indigetis ut scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet* „ V, 1-2. His verbis manifeste describitur futura incertitudo diei Domini; veniet enim, sicut fur in nocte, *insciis hominibus.*

Ideo vigilemus oportet ut quavis hora parati inveniamur.

Haec verba Pauli sunt echo sermonis eschatologici Domini (Matth. XXIV, 42-43): *Ideo*, concludit Dominus, et *vos estote parati: quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est*, v. 44.

Haec absoluta incertitudo prudentes monet ut semper parati sint, ac si instaret dies Domini (prout revera, ob incertitudinem mortis, unicuique nostrum semper imminet); sed aliud foret positive admittere vel ut probabilem insinuare proximitatem adventus Domini.

Incertus est... ergo practice semper vivamus ac si semper instaret... Vivamus ut semper morituri, ut mortui semper vivamus, prout legitur in sepulcro Card. Aussiae, in basilica

Romana S.tae Sabinae:

Ut moriens viveret
Vixit ut moriturus.

2. *Scopus alterius epistolae.* — Iam *S. Hieronymus* notavit, et omnes Latini post eum (cfr. *supra*), S. Paulum scripsisse alteram epistolam ad Thessalonicenses, quia ex mala intellecta priori epistola concluserant diem Domini instare: " *Rogamus autem vos fratres circa adventum Domini nostri Jesu Christi et nostram congregationem apud Ipsum: ut non cito moveamini a vestro sensu, neque turbemini,... neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini* „, II Th. II, 1-2. Priusquam veniat dies Domini, pergit Apostolus, oportet appareant quaedam signa praeambula, quae nondum apparent... Unde non instat parousia.

Sed quandonam venturus sit Dominus post illa signa praeambula, vel quandonam ipsa haec signa manifestanda sint, non determinat, nec insinuat Apostolus.

3. " *Perpensis quoque textibus epistolarum Apostoli, in se consideratis, modo loquendi ipsius Domini apprime consonis* „ (Com. Bibl. dubium 2); i. e. concordia verbalis inter Iesum et Apostolum probat etiam concordiam doctrinalem.

Revera mirum est quanta cum cura S. Paulus in his locis eschatologicis verba Domini repetat; hinc quoque probatur quantum primitivi christiani hac exspectatione, verbis Domini expressa, praeoccuparentur. Alibi e contra rara est concordia verbalis inter Synopticos et Paulum (1).

(I), IV, 16-17: ipse autem Dominus... in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo... deinde nos, qui vivimus... rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera.

Matth., XXIV, 30-31: et videbunt Filium hominis in nubibus coeli... et mittet Angelos suos cum tuba [et voce] magna et congregabunt electos ejus (*l. par. Mc, XIII, 26-27; Luc, XXI, 27*).

(1) Milligan, p. LX sq.

(I), V, 1: de temporibus autem et momentis...	*Matth., XXIV, 36:* de die autem illa et hora... *Comp.* Act. I, 7: tempora vel momenta..
— V, 2: dies Domini sicut fur in nocte ita veniet...	*Matth., XXIV, 43:* si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset (*l. par. Luc., XII, 39; II Petri, III, 10*).
— V, 3: tunc repentinus eis superveniet interitus.	*Luc., XXI, 34:* et superveniat in vos repentina dies illa tamquam laqueus.
— V, 3: (sicut dolor in utero habenti...	*comp.* Joh., XVI, 21).
— V, 3: et non effugient.	*Luc., XXI, 36:* ut digni habeamini fugere ista omnia.
— V, 4 (*sicut in v. 2*).	
— V, 5: omnes enim vos filii lucis estis.	*Luc., XVI, 8:* filii lucis (*comp.* Joh., XII, 36: credite in lucem, ut filii lucis sitis).
— V, 6: vigilemus.	*Matth., XXIV, 42:* vigilate ergo XXV, 13 *et l. par.*).
— V, 6: et sobrii sumus.	*comp.* Luc., XXI, 34.
— V, 7: et qui ebrii sunt nocte ebrii sunt.	*comp.* Matth., XXIV, 48-49; Luc., XII, 45: et coeperit... edere et bibere et inebriari.

(II), I, 7: in *revelatione* Domini Iesu de coelo, etc.	*Luc., XVII, 30:* qua die Filius hominis *revelabitur*...
— II, 1: nostrae congregationis in ipsum.	*Matth., XXIV, 31:* et congregabunt electos...
— II, 2: neque terreamini.	*Matth., XXIV, 6:* ne turbemini (*gr. idem verbum*).
— II, 3: ne quis vos seducat.	*Matth., XXIV, 5:* ne quis vos seducat.
— II, 3: discessio = *apostasia a fide.*	(*comp.* Matth, XXIV, 5, 12, 24; Luc., XVIII, 8).
— II, 3: et revelatus fuerit homo *iniquitatis.*	*Matth., XXIV, 12:* quoniam abundavit iniquitatis.

(II), II, 4: ita ut in templo Dei sedeat.	*Matth., XXIV, 15:* stantem in loco sancto...
— II, 9-10: cuius est adventus secundum operationem satanae in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt...	*Matth., XXIV, 24:* surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae: et dabant signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi... (Mc., XIII, 22).

Hoc caput secundum ergo epist. II ad Th., quod tam singulare apparet in scriptis S. Pauli, fere totum dependet, etiam quoad verba, a c. XXIV Matth., seu ab oratione eschatologica Iesu: " It is no exageration to say, *ita Kennedy*, that Matt., XXIV, is the most instructive commentary on the chapter before us „ (1). Similiter *R. P. Magnien*, sententiae modernae strenuus defensor, occasione relationis inter I Th., V, 3, et Luc., XXI, 34, fatetur: " Cette description de la fausse sécurité des impies aux approches de la parousie répond à celle que le Christ lui-même a esquissée dans Matthieu et Luc. L'ESCHATOLOGIE DU DISCIPLE ET CELLE DU MAÎTRE SONT D'ACCORD SUR LA REDOUTABLE INCERTITUDE DU DERNIER JOUR... „. Et paulo infra: " Une fois de plus, dans la péricope que nous venons d'expliquer, SAINT PAUL NOUS APPARAÎT COMME L'INTERPRÈTE FIDÈLE DES ENSEIGNEMENTS DE JÉSUS TOUCHANT LA FIN DES TEMPS „ (R. B., 1907, p. 382).

Talis ergo doctrina Apostoli qualis Magistri!

Pro interpretatione textus I Th., IV, 15-17, cfr. commentarium ad h. l., p. 136 sq., et ea quae supra p. 251-252 dicta sunt.

Liceat nobis concludere cum sequenti consideratione, quam nobis suggerit historia huius quaestionis.

---

(1) *St Paul's conceptions of the last Things* (1904), p. 56.

Vidimus quam unanimiter ac firmiter omnes Sancti Patres et exegetae, tam catholici quam protestantes, S. Paulum ab omni errore immunem habuerint, ne error Apostoli verteretur in errorem Spiritus Sancti.

Huic traditioni in quaestione dogmatica standum erat, ac mordicus steterunt omnes usque ad medium saeculum decimum nonum.

Sed illico, una voce dissona audita, plerique, forte novitate et libertate allecti, traditionem tam gravem audacter reliquerunt.

Hic ergo monitum recolendum est Apostoli ad carissimum suum Timotheum: *Depositum custodi!...* (I Tim., VI, 20).

II.

HISTORIA INTERPRETATIONIS

II Th. II, 1-12.

On n'entend les prophéties que quand on voit les choses arrivées.
PASCAL.

Nullum forte caput totius Scripturae plures majoresque difficultates exegetae praebet quam hoc caput secundum. Totum est aenigmaticum, mysteriis refertum.

Minores difficultates, v. gr. de natura discessionis (*ἡ ἀποστασία*, in v. 3), de templo Dei (in v. 4), sufficienter iam solvimus in commentario.

Nunc totam attentionem nostram devovebimus historiae interpretationis de ANTICHRISTO ejusque RETINACULO.

Vidimus enim — iuvat haec iterum recolere — vidimus duo signa nuntiatura esse parousiam Domini: apostosiam scil. magnam a fide et effrenatam Antichristi operationem. Iamiam quidem Antichristus seu Iniquitatis mysterium operatur occulte (v. 7), ab operatione vero libera et publica impeditur. Hoc impedimentum seu Retinaculum vocatur v. 6: *τὸ κατέχον* et v. 7: *ὁ κατέχων ἄρτι*. — Quid est istud, vel, quis est iste? Dicit Apostolus Thessalonicenses hoc scire; ac nonnisi adumbrate de eo loquitur.

Diversae sententiae omnes ad sequentia capita reduci possunt, — simul observata chronologica successione illarum sen-

tentiarum; hoc iterum tamen notandum est, exegesim modernam ad antiquam traditionem reverti.

§ 1. Traditio *patristica;* — quam referunt theologi catholici fere omnes, et ad quam redeunt exegetae hodierni.

§ 2. Explicatio *polemica* Reformatorum.

§ 3. Interpretatio *historica.*

§ 4. Schola *mythica.*

---

§ I. Traditio patristica.

Tertullianus, *Apolog.* c. 32 (P. L. 1): Est et alia maior necessitas nobis orandi pro imperatoribus, etiam pro omni statu imperii rebusque Romanis, qui vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam saeculi acerbitates horrendas comminantem Romani imperii commeatu scimus retardari. Ita quae nolumus experiri, ea dum precamur differri: Romanae diuturnitati favemus.

Idem: *De resurrectione carnis* c. 24 (P. L. 2): *Jam enim arcanum iniquitatis agitatur; tantum qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat.* — Quis, nisi Romanus status? cuius abscessio in decem reges (1) dispersa Antichristum superducet.

— Ad quem locum notatur in *ed. Migne* (col. 876): Tanti viri, tamque apostolorum temporibus propinqui interpretationem, ut rei de qua agebatur convenientissimam, communi omnium postea scriptorum consensu comprobatam fuisse animadvertimus.

S. Cyrillus Hier., *Catech. XV, n. 12* (P. G. 33): Veniet porro praefatus iste Antichristus, cum Romani imperii completa fuerint tempora.

Ambrosiaster (P. L. 17): Sed ut locum aut occasionem fallendi, quam se putat habere, non habeat impudentissimus

---

(1) Allusio ad *Dan. cap. VII*, quod subiacet huic interpretationi traditionali.

Satanas, tempus et signa adventus Domini designavit, quia non prius veniet Dominus, quam regni Romani defectio fiat et appareat antichristus, qui interficiet sanctos, reddita Romanis libertate, sub suo tamen nomine... Quamobrem ex circumcisione, aut circumcisum illum venire sperandum est, ut sit Iudaeis credendi illi fiducia... Mysterium iniquitatis a Nerone inceptum est, qui zelo idolorum apostolos interfecit, instigante patre suo diabolo, usque ad Diocletianum et novissime Iulianum, qui arte quadam et subtilitate coeptam persecutionem implere non potuit, quia desuper concessum non fuerat. His enim ministris utitur Satanas, ut interim sub turba deorum ad seducendos homines unius veri Dei manifestatione illudat, quamdiu steterit regnum Romanum, hoc est, quod dicit: " Donec de medio fiat. „...

Post defectum regni Romani appariturum Antichristum dicit, sicut memoratum est. Novissimo enim tempore sciens diabolus imminere sibi interitum, deficiente autem Regno Romano, et ille de coelis mittetur deorsum, proiectus in terram (sicut dictum est in Apocal. Ioh. Apost.) subornavit sibi in quo et per quem signa quaedam virtutis permissu iusti Dei faciens, se commendet ut adoretur, quasi sit Deus. Imitabitur enim Deum, ut sicut Filius Dei divinitatem suam homo natus vel factus signis ac virtutibus demonstravit; ita et Satanas in homine apparebit, ut virtutibus mendacii ostendat se Deum.

Pelagius (P. L. 30): Nisi Antichristus venerit, non veniet Christus. Quod autem discessionem hic dicit, alibi *refugium* (pro: *refugam*) appellavit. In Latinis exemplaribus utrumque ita intelligendum est, quod nisi venerit refuga veritatis, sive sui principatus desertor, sive discessio gentilium a regno Romano, sicut in Daniele per bestiae imaginem dicitur... (Cfr. verbotenus idem apud *Sedulium Scotum*, P. L. 103 p. 222-223).

Nam mysterium etc... In his qui falsis doctrinis eius praevium faciunt iter: quos beatus Iohannes in mundum dicit exisse.

S. Iohannes Chrysostomus (P. G. 62): Merito quaesierit quispiam quid sit illud, *Quod detinet* (τὸ κατέχον v. 6), et postea

velit discere cur tam obscure hoc ponat Paulus. Quid est ergo, *Quod detineat ut reveletur ipse*, hoc est, quod prohibeat ut reveletur? Alii quidem dicunt *gratiam Spiritus* (i. e. charismata); alii autem *Romanum imperium:* quibus ego maxime assentior. Quare? Quoniam, si voluisset dicere Spiritum, non dixisset obscure, sed aperte, quod nunc quoque detineat gratia Spiritus, hoc est charismata seu dona gratuita. Alioqui autem oporteret eum iam advenisse, siquidem esset adventurus, cum defecissent charismata: nam iam olim defecerant. Quoniam autem hoc dicit de Romano imperio, merito iam aenigmatice et adumbrate est loquutus: neque enim volebat supervacaneas suscipere inimicitias et inutilia pericula. Nam si dixisset futurum iam ut paulo post Romanum everteretur imperium, eum protinus tamquam exitiosum et pestiferum hominem confodissent, et fideles omnes, ut qui sub eo viverent et militarent...

(*Mysterium... iniquitatis*) *Neronem* hic dicit, ut qui sit typus Antichristi: ille enim volebat existimari Deus... Sic obscure dixit, neque eum voluit reddere manifestum, non propter timorem, sed nos erudiens ne supervacaneas suscipiamus inimicitias, cum nihil sit quod urgeat. Ita hic quoque dicit: *Tantum ut qui tenet etc...* Hoc est, quando Romanorum imperium de medio fuerit sublatum, tunc ille veniet. Et merito etc... Sicut enim eversa sunt quae ante illud fuerunt regna, ut Medorum a Babyloniis, Babyloniorum a Persis, Persarum a Macedonibus, Macedonum a Romanis: ita hoc quoque ab Antichristo, et ille a Christo, et non amplius retinebit. Et hoc cum magna evidentia nobis tradit Daniel...

S. Ephraem Syrus: Itaque si Evangelium non venerit, quia vetus ministerium adhuc tenet, quomodo antequam novum praedicatum sit, et vetus tacens cessaverit, revelabitur ipse ad vindictam capiendam de iis, qui non obedierunt, dum adhuc non est evangelizatus? Et ubi est illud, quod dictum est: *Egredimini ad omnes Gentes, et docete?* aut illud: *primum praedicetur*, id est ante revelationem Antichristi annuntietur Evangelium istud per omnem mundum? Nisi ergo evacuetur

antiquus cultus, qui tunc tenet, per destructionem civitatis iam paratam; et nisi detineat se insuper apostolatus, qui nunc praedicat, et ingrediatur post ipsum doctrina, non veniet dies Domini nostri, quam seductores illi fallaces hodie venisse vobis praedicant.

Theodorus Mops.: " Hominem „ equidem eum nominavit iusta ratione, eo quod et homo erit, daemone in eo omnia inoperante, sicut et in illum hominem qui pro nostra salute sumptus est, Deus Verbo omnia perfecisse videtur.

" *Et nunc quid detinet etc.* „ quidam dixerunt Spiritum gratiarum hoc in loco dixisse apostolum *et nunc quod detinet,* eo quod tunc (inquit) ille videbitur, at ubi Spiritus gratiae ad plenum destiterit, et perficere inoperationes in aperto cessabit sed hoc mihi non videtur esse apte dictum, eo quod et cessaverunt ex multo iam tempore inoperationes Spiritus. Si vero quis voluerit dicere non cessasse eo quod et ab aliquibus adhuc per orationem fiant aliqua, licet si et rare; secundum igitur hunc modum neque cessare adsero, eo quod neque deficere ad plenum sancti umquam poterunt. Erunt enim et tunc qui non suscipient eius doctrinam, qui et clari erunt contemplatione pietatis decertantes adversus eum. — Dicit autem *quod nunc detinet* eo quod diabolus quidem dudum voluerit hoc idem facere, Deus vero interim retinet eum, eo quod *tempus statuit consummationis saeculi istius,* secundum quam videri concedit eum. Hoc apostolus nominavit *quod nunc detinet, Dei* dicens *definitionem* detinere eum, unde et adjicit: *(ut) reveletur* idem *in suo tempore,* quasi qui prohibeatur nunc videri usque tunc, eo quod *divina definitione* ad praesens teneatur, videbitur vero tunc in saeculi fine, quando et concedet illi Dominus suam ostendere malitiam etc...

Theodoretus (P. G. 82): Quidam, (*τὸ κατέχον*) *id quod detinet,* intellexerunt imperium Romanum: quidam autem gratiam Spiritus. Detinente enim, inquiunt, gratia Spiritus, ille non accedit. Sed fieri non potest, ut omnino cesset gratia Spiritus. Quomodo enim possint illius machinationes superare qui sunt spirituali auxilio destituti? Sed nec imperio Romano aliud

succedet imperium. Per quartam enim belluam divinissimus Daniel Romanum significavit imperium. In hac autem parvum cornu productum est, quod gerebat bellum cum Sanctis. Hic autem ipse est, de quo divinus Apostolus dixit quae praedicta sunt. *Neutrum horum puto dixisse divinum Apostolum*, sed existimo verum esse quod ab aliis dictum est. Statuit enim universorum Deus, ut appareat ille in ipso tempore consummationis. *Dei ergo decretum nunc ipsum detinet quominus appareat.* — Existimo autem aliam etiam habere haec verba intelligentiam. Cum enim didicisset divinus Apostolus, dixisse Dominum, oportere Evangelium praedicari in omnibus gentibus, et tunc finem futurum, videret autem adhuc vigere cultum idolorum, Dominicam sequens doctrinam dixit, fore *ut prius evertatur superstitio, et ubique fulgeat divina praedicatio,* et tunc appareat veritatis adversarius.

Mysterium iniquitatis nonnulli Neronem vocatum esse dixerunt, et impietatis artificem exstitisse. Ego autem existimo Apostolum *exortas haereses* significare. Per illas enim diabolus, multis a veritate abductis, praeparat exitium deceptionis.

S. Johannes Damascenus (s. VIII; P. G. 95): *Mysterium iniquitatis* vocat doctrinas haereticorum, eorumque falsa placita. Illius enim sunt antecessores, cuius et viam expediunt, tempus et occasionem deceptioni parantes. Atqui apostolorum aetate haereses iam emerserant. Quocirca Iohannes evangelista consimili modo dicit: *Sicut audistis quia Antichristus venit et nunc antichristi multi sunt* (I Ioh. II, 18): quae quidem de haereticis prolocutus est.

(*Tantum qui tenet nunc*: ὁ κατέχων, v. 7). Romanum imperium innuit. Eo namque exstincto, Antichristus veniet.

Oecumenius (s. XI; P. G. 119): " Homo ille peccati „ Quisnam iste est? utrumne Satanas? nequaquam, sed homo aliquis qui universam eius accipiat operationem. — Ad imitationem Salvatoris venturus est Satanas in isto homine. *Alio modo.* Hominem peccati dicit ipsum Antichristum. Neque enim Satanas erit Antichristus, sed homo obsessus ac directus a Satana etc...

Hominem autem quempiam Hebraeum dicit ipsum, in cuiusvis magiae ac veneficii scientia provectum.

(Pro caeteris, scil.: *τὸ κατέχον... τὸ μυστήριον... τῆς ἀνομίας* idem ac apud S. Ioh. Chrysostomum).

Theophylactus (s. XI; P. G. 124): Breviter et dilucide, more suo, doctrinam exponit Chrysostomi quam tenendam proponit concludens: *Tu vero divi Iohannis Chrysostomi enarrationem, ceu veritati magis consonam, suscipe.*

Eodem modo Euthymius Zigabenus.

Nota. — Post *S. Ioh. Chrysost.* citavimus exegetas graecos, qui omnes aliquo modo ab eo dependent; similiter post SS. Augustinum et Hieronymum, citabimus exegetas latinos.

S. Augustinus (*De civit. Dei XX, 19; P. L. 41*): Quod autem ait, *Et nunc quid detineat scitis*, id est, quid sit in mora, quae causa sit dilationis eius, *ut reveletur in suo tempore*, scitis: quoniam scire illos dixit, aperte hoc dicere noluit. Et ideo nos qui nescimus quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id quod sensit Apostolus, cupimus, nec valemus: praesertim quia et illa quae addidit, hunc sensum faciunt obscuriorem. Nam quid est, *Iam enim mysterium iniquitatis operatur. Tantum qui modo tenet teneat, donec de medio fiat; et tunc revelabitur iniquus? Ego prorsus quid dixerit, me fateor ignorare.* Suspiciones tamen hominum, quas vel audire, vel legere potui, non tacebo.

Quidam putant hoc de imperio dictum fuisse Romano; et propterea Paulum apostolum non id aperte scribere voluisse, ne calumniam videlicit incurreret, quod Romano imperio male optaverit, cum speraretur aeternum: ut hoc quod dixit, *Iam enim mysterium iniquitatis operatur*, Neronem voluerit intelligi, cuius iam facta velut Antichristi videbantur. Unde nonnulli ipsum resurrecturum et futurum Antichristum suspicantur. Alii vero nec occisum putant, sed subtractum potius, ut putaretur occisus; et vivum occultari in vigore ipsius aetatis, in qua fuit, cum crederetur exstinctus, donec suo tempore reveletur, et restituatur in regnum. Sed multum mihi mira est

haec opinantium tanta praesumptio. Illud tamen quod ait Apostolus, *Tantum qui modo tenet teneat, donec de medio fiat:* non absurde de ipso Romano imperio creditur dictum, tamquam dictum sit, Tantum qui modo imperat imperet, donec de medio fiat, id est, de medio tollatur. *Et tunc revelabitur iniquus*: quem significare Antichristum. nullus ambigit. — Alii vero et quod ait, *Quid detineat scitis;* et *mysterium operari iniquitatis,* non putant dictum, nisi de malis et fictis, qui sunt in Ecclesia, donec perveniant ad tantum numerum, qui Antichristo magnum populum faciat, et hoc esse mysterium iniquitatis, quia videtur occultum. Hortari autem Apostolum fideles, ut in fide quam tenent tenaciter perseverent, dicendo: *Tantum qui modo tenet teneat, donec de medio fiat:* hoc est, donec exeat de medio Ecclesiae mysterium iniquitatis, quod nunc occultum est... (1) etc.

S. Hieronymus (*epist. ad Algasiam*, 121, cap. 11. — *P. L. 22*):

Et nunc quid detineat etc... hoc est, quae causa sit, ut Antichristus in praesentiarum non veniat, optime nostis. Nec vult aperte dicere Romanum imperium destruendum, quod ipsi qui imperant, aeternum putant. Unde secundum Apocalypsim Iohannis, in fronte purpuratae meretricis scriptum est nomen blasphemiae, i. e. Romae aeternae. Si enim aperte audacterque dixisset, non veniet Antichristus, nisi prius Romanum deleatur imperium, iusta causa persecutionis in orientem tunc Ecclesiam consurgere videbatur. — Ita etiam *Herveus* (s. XII, P. L. 181).

---

(1) Haec ultima sententia, hic prima vice occurrens, admittitur etiam post paucos ab *Estio* infra citando. Haec vero interpretatio sat dura, quam absolute loquendo pati posset *mala* versio latina, minime convenit cum textu graeco, ubi: ὁ *κατέχων ἄρτι* (*qui tenet adhuc*) manifeste *subiectum est* huius: *ἐκ μέσου γένηται* (*ex medio fiat*). - Dum illa singularis opinio supponit pro verbo: *tenet, teneat*, subiectum aliud quam pro: *ex medio fiat;* scil. pro primo: *fidelis*, pro ultimo: *Antichristus,* prout scribit *Estius:* " quicumque tenet Christum... firmiter retineat, donec de medio Ecclesiae fiat apostasia „.

(*Mysterium iniquitatis*). Multis malis atque peccatis, quibus Nero impurissimus Caesarum mundum premit, Antichristi parturitur adventus: et quod ille operatus est postea, in isto ex parte completur; tantum ut Romanum imperium, quod nunc universas gentes tenet, recedat, et de medio fiat.

— Ita *Romanum Imperium* consideratur a tota traditione catholica tamquam potestas impediens apparitionem publicam Antichristi. Ita sentiunt v. gr. *Primasius* (P. L. 68) *M. Aurelius Cassiodorus* (P. L. 70, p. 1551), *Sedulius Scotus*, *Walafridus*, *Haymo Halberst.*, *Atto Verc.*, *B. Lanfrancus* etc... — Sequentia adhuc notatu digna sunt.

Haymo Halberst. (s. IX, P. L. 117): Nascetur Antichristus in Babylone de tribu Dan, iuxta quod Iacob dicit: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita* (Gen. XLIX). Et cum venerit Hierosolymam, circumcidet se, dicens Iudaeis: Ego sum Christus vobis promissus; tunc confluent ad eum omnes Iudaei... etc.

S. Bruno (s. XII, P. L. 163): *Discessionem* vocat Ambrosius, quoniam *Romanum, id est Christianum imperium*, quocumque mutetur, sive Constantinopoli, sive alibi, nihil impedit SOLUMMODO CHRISTIANUM DURET IMPERIUM. Quoniam, inquam, hoc Christianum imperium dissolvetur, quod nec reges erunt qui haereticos puniant, pervasores ecclesiarum destruant, nec Romano pontifici, qui spirituale imperium habet, mundus in unitate fidei subiectus erit, sed sic ab utroque Christiano imperio, et saeculari, sicut sunt reges, et spirituali, ut papa, mundus discedet; tunc primum paratum erit iumentum, quod ascendet Antichristus, id est infideles, qui membra Antichristi certatim in destructione fidei cooperentur tali capiti, et facta hac discessione, veniet Antichristus in sua opportunitate...

Hugo de S. Victore (s. XII; P. L. 175): Nota quod legitur quod Antichristus nascetur in Babylone de tribu Dan. Iuxta quod Iacob ait: *Fiat Dan coluber in via, et cerastes in semita* (Gen. XLIX). Qui cum primum se manifestabit veniet Hierosolymam, et circumcidet se dicens: Ego sum

Christus Iudaeis promissus. — Ita etiam *P. Lombardus* (P. L. 192).

— Supra iam *S. Bruno* Romanum imperium, impediens adventum Antichristi, intellexit de imperio christiano, sive temporali sive spirituali. Obiectio enim obvia erat propter deletum Romanum imperium, cui respondet *S. Thomas.*

S. Thomas Aquinas (*In commentario ad hunc locum*): Sed quomodo est hoc, quia iamdiu Gentes recesserunt a Romano imperio et tamen necdum venit Antichristus? Dicendum est, quod nondum cessavit, sed est commutatum de temporali in spirituale, ut dicit Leo Papa in sermone de Apostolis. Et ideo dicendum est quod discessio a Romano imperio debet intelligi, non solum a temporali, sed a spirituali, sc. a fide catholica Romanae ecclesiae. Est autem hoc conveniens signum, quod sicut Christus venit quando Romanum imperium omnibus dominabatur, ita e converso signum Antichristi est discessio ab eo...

... Et ideo dicunt quidam, quod Antichristus est de tribu Dan, cuius tribus inter alias duodecim non nominatur Apoc. VII, etc...

... Sed tamen Augustinus confitetur se nescire quid Apostolus illis loquitur, qui iam sciebant. Unde dicit: *Quid nunc detineat, scitis. Et propterea hoc non erat multum necessarium ad sciendum.*

Caietanus (*In comment. ad h. l.*): Intelligitur autem de apostasia ab imperio Romano, praedicit eis oportere primum deficere gentes ab imperio Romano quam veniat Christus...

... Alterum mysterium quod declarat est quod quum dixisset nisi venerit apostasia primum, intellectum fuisset nihil aliud significari nisi defectionem multarum gentium ab imperio Romano, nisi modo adiungeret donec de medio fiat: aperte significans quod ante adventum Christi oportet non solum esse defectionem gentium a Romano imperio, sed etiam totaliter aboleri Romanum imperium, hoc est enim de medio illud tolli. Quocirca quum adhuc non sit de medio sublatum Roma-

num imperium, adhuc non est impletum quod Paulus dicit, donec de medio fiat... etc.

Estius: Reiicit opinionem, post S. Ioh. Chrysost. et S. Augustinum, valde diffusam inter antiquos, secundum quam *ἡ ἀποστασία* sumitur pro *desertore* vel *refuga;* deinde allegat et reiicit explicationem de *apostasia* a Romano Imperio; allegat et execratur explicationem protestantium de defectione a fide in Ecclesia catholica, additque: " Imo vero illi qui haec excogitant, et quicumque cum illis generalem hanc ab Ecclesia Catholica, et ab obedientia capitis eius Romani Pontificis, apostosiam promovent, viam haud dubie sternunt Antichristo „.

Probat *Antichristum* non esse diabolum, sive in spiritu, sive in corpore assumpto; neque Antichristus est Romanus Pontifex, quam opinionem protestantium vocat Estius: *impietatem Antichristi praecursoribus dignam.*

Τὸ κατέχον non est, secundum *Estium:* α) gratia Spiritus; β) *Romanum imperium*; γ) incompleta evangelizatio mundi (Matth. XXIV). — Sed est *ipsa apostasia* de qua supra " quae quoniam res admodum tristis est et odiosa, non erat hic nominatim repetenda „. — Ac demum desperans repetit cl. exegeta notissima verba S. Augustini et S. Thomae de impossibilitate et inutilitate haec sciendi!

Mysterium iniquitatis non est Nero (ob rationem chronologicam, cfr. comm. p. 204).

Tantum ut qui tenet nunc etc. — Reiecta opinione traditionali de *imperio Romano* adiungit: " Quocirca praesens locus ad hunc modum poterit explicari: Mysterium iniquitatis nunc agitur, erupturum aliquando in apertam apostasiam; interim vero dum agitur, quicumque tenet Christum, et veram eius religionem, firmiter retineat; donec de medio Ecclesiae fiat apostasia. — Hanc singularem opinionem etiam S. Augustinus proponit. (Cfr. supra, ibique eam reiecimus).

— Omnes exegetae posteriores non solum catholici sed etiam reformatores et plerique reformati moderni repetunt

relate ad istud Retinaculum Antichristi, quae a Patribus proposita sunt. — *Bornem.*, p. 416

Plerique *Romanum Imperium* considerant ut *τὸ κατέχον* — romanum imperium, inquam, propter aequam eius legislationem quae nunc adhuc in statu christiano viget, ita v. gr. *Bisping*, *Findlay*, *Milligan* etc... Alii pauci opinantur pro *decreto divino*, v. gr. Gutiahr; alii pauciores adhuc, ita Calvinus, pro *diffusione universali evangelii* (1).

Conclusiones.

A. — Antichristus.

1. *Nomen.* — Antichristi nomen explicite non legitur in epistolis S. Pauli; et quidem Apostolus de eo non loquitur extra II epist. ad Thessalonicenses. Hic describitur sequentibus nominibus; v. 3: *ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀνομίας* (*homo iniquitatis*, vg. *peccati*); *ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας* (*filius perditionis*); v. 4: *ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος* etc. (*qui adversatur et extollitur*); — v. 7: *τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας* (*mysterium iniquitatis*); — v. 8: *ὁ ἄνομος* (*iniquus*).

Antichristi nomen legitur tantum apud S. Johannem: in I Ep. II, 18, 22, et II Ep. 7. In primo textu bis, semel in singulari et in plurali. Huic formae plurali comparari potest Matth. XXIV, 24 et Mc. XIII, 22, ubi occurrunt voces *ψευδόχριστοι* et *ψευδοπροφῆται* (*pseudochristi* et *pseudoprophetae*). Sed dum hi *pseudochristi* falso fingunt verum-exspectatum Christum; *antichristi* illi potius directe Christo adversantur, quo sensu sunt imitatores vel praecursores ipsius Antichristi.

Praeter hos textus, tamquam principalis fons biblicus doctrinae Antichristi assignanda est Iohannis *Apocalypsis*, XI, 7,

(1) *Calvinus* ad h. l. " Haec igitur dilatio erat, donec completus esset evangelii cursus: quia gratuita ad salutem invitatio ordine prior erat;... matura erat ultio post repudiatam gratiam „.

XII, XIII, XVII; ubi fusius doctrina haec tractabitur (1). Citandus est etiam *Daniel*, VII-XII; et libri *apocryphi*: III l. Orac. Sybil., IV Esd. V, 4-6; Apoc. Baruch c. XL; Asc. Is. c. IV.

2. *Natura Antichristi.* — Secundum scripta biblica N. T., abstractione facta ab Apocalypsi, cuius lingua apocalyptica metaphoris redundat.

In I Ioh. II, 22 Antichristus describitur tamquam haereticus " qui negat quoniam Iesus est Christus...; qui negat Patrem et Filium „; *ibidem* cap. IV, 3, non confitetur Iesum; demum in II ep. v. 7 concipitur Antichristus tamquam *doceta*, qui non confitetur Iesum Christum venisse in carnem.

— Textum *S. Pauli* supra commentati sumus: Antichristus est quasi incarnatio iniquitatis, et superbiae se supra Deum elevans, et cultum divinum appetens. Inimicus est operis Christi, homines a Christo avertet... Christum fingendo. Eius opus erit tamquam satanica parodia operis salvifici Christi. (*Cfr. comm.* p. 198 sq.).

Veniet ante parousiam Christi; — tamquam alter praecursor Christi...

Non est ipse Satanas incarnatus (*Ambrost.*), sed eius emissarius et satelles, eius instrumentum, prout dicit S. Cyrillus Hieros.: *ὁ Σατανᾶς ὀργάνῳ κέχρηται ἐκείνῳ.* (Cfr. comm. p. 198, 207).

Non est principium abstractum mali in mundo contra Deum ac bonum operantis; nam a S. Paulo manifeste describitur tamquam homo, tamquam agens concretus et personalis (2).

Non est tempore Apostoli persona publice agens et Christum persequens; nam latere dicitur ab Apostolo.

Demum non est persona, quae iam in historia apparuit, nec imperator quidam, ut Nero (*S. Aug.* et alii, cfr. supra),

---

(1) Cfr. *Swete*: The Apocalypse of S. John, pp. LXXIV sq.
Hastings' Dictionary of the Bible, vol III, *Man of sin.*

(2) Cfr. *Plummer*: The Epistles of S. John (*App. B: Antichrist.*), p. 160.

nec haeresiarcha quidam, neque Romanus Pontifex, (de quibus mox loquemur).

3. *Origo Antichristi.* — Inter Patres Latinos, inde ob auctore qui vocatur *Ambrosiaster*, non pauci scribunt Antichristum futurum esse Iudaeum vel verum vel fictum, atqui oriundum ex *tribu Dan.* Haec suppositio nititur textibus Gen. XLIX, 17, et Apoc. VII (ubi nomen Dan deest); sed ut patet hi textus nihil probant. — Est mera hypothesis anti-semitica (1) (Cfr. supra *Haymonem Halberst.*, *S. Thomam,* etc.).

B. — Retinaculum (*τὸ κατέχον*).

1. *Natura Retinaculi.*

Apud S. Patres et exegetas catholicos antiquos, supra citatos, sequentes opiniones occurrunt.

Id quod adventum Antichristi publicum impedit est:

α) *charisma,* vel *gratia Spiritus sancti.* — Haec opinio valde antiqua communiter reiicitur; cfr. v. gr. S. Ioh. Chrys., Theodt., et Theod. Mops.

β) *decretum Dei.* — Hoc tenent Theod. Mops. et Theodt.; reiicitur in nostro commentario. Recentius tenetur a Gutiahr. — Cfr. *comm.* p. 203.

γ) *idololatria,* vel *incompleta diffusio Evangelii.* — Proponitur iam a S. Ephraemo Syro et a Theodoreto; paucos habuit patronos inter exegetas posteriores; tenetur tamen a Calvino.

δ) *apostasia.* — Haec singularis sententia, quam iam innuit Hipponensis, exponitur ac tenetur a cl. Estio. Cfr. supra notam ad S. Aug. p. 270.

ε) *imperium Romanum.* — Haec sententia revera dici potest generalis ac traditionalis inter S. Patros et antiquos exegetas catholicos. Huius autem opinionis fundamentum videtur esse visio *Danielis*, cap. VII; forte secundum aliquam

(1) D. B. V., vol. I, col. 660 (Antéchrist, *J. Turmel*).

traditionem apostolicam, tam antiqua enim et unanimis est opinio haec; — sed quis hoc probare aut cum certitudine affirmare auderet? Traditio autem haec est antiquissima, atque ascendit usque ad saeculum secundum (1).

2. At iam divisum est ac cecidit Romanum Imperium; et nondum apparuit Antichristus, neque gloriose venit Christus.

Ut obviaretur huic obiectioni, inde iam a S. Brunone audivimus Romanum Imperium non esse sumendum tantum pro politico ac temporali regno, sed praecipue formaliter pro spirituali regno iustitiae, in Romana scil. Ecclesia. " Est autem hoc conveniens signum, notat *Aquinas*, quod sicut Christus venit quando Romanum imperium omnibus dominabatur, ita e converso signum Antichristi est discessio ab eo „.

Romanum ergo imperium utique cecidit si *materialiter* consideratur; *eius vero iustitiae sensus, eius legislatio aequa* transiit ad societates christianas; imo societas christiana orta est ex illius ruinis, — sicut flores multi crescunt, ubi cecidit flos sparsis eius seminibus. Quo sensu scribit Findlay: *Nor did Roman law fall with the Empire itself, any more than it rose therefrom. It allied itself with Christianity and has thus become largely the parent of the legal systems of Christendom.* (Op. cit. p. 179).

Status christianus ergo est potentia impediens discessionem generalem a Deo et a principiis moralibus; ille ideo, in quantum successit Statui Romano, impedit revelationem " hominis peccati „. — Ita verbotenus Bisping (2).

3. Ratio autem quare S. Paulus tam mysteriose et adumbrate loquitur de hoc retinaculo, eadem legitur apud omnes patronos huius sententiae; ne scil. implicite praedicens finem

---

(1) Pro traditione iudaica huic traditioni christianae correspondente, cfr. *W. Bousset*: Der Antichrist., p. 77 sq.

(2) Der christliche Staat ist es also, der als hemmende Macht dem allgemeinen Abfalle von Gott und von den Grundprinzipien der Sittlichkeit entgegentritt und so das Erscheinen des " Menschen der Sünde „ noch aufhält (ad h. l. 2 Aufl. p. 98).

futurum Romani imperii, excitaret in se suosque discipulos odium et persecutionem Romanorum credentium imperium fore aeternum. — Cfr. v. gr. *S. Ioh. Chrysostomum et S. Hieronymum.*

---

§ II. Explicatio polemica Reformatorum.

In commentario vidimus descriptionem paulinam Antichristi partim desumptam esse ex Daniele (XI, 36), ubi agitur de Antiocho Epiphane; inde facilis erat transitus ad considerandum illum Antiochum et impios reges, ut tot Antichristos vel Antichristi praecursores, quo sensu etiam S. Iohannes *haeresiarchas* vocat *Antichristos.* (I Ioh. II, 22, IV, 3; II Ioh. 7).

Eodem sensu extenso loquitur S. Gregorius papa scribens *Cyriacum*, episcopum Constantinopolitanum, Antichristum praecurrere, quia ille se vocat sacerdotem universalem.

" Ego autem fidenter dico, ita *S. Gregorius*, quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum praecurrit, quia superbiendo se caeteris praeponit. Nec dispari superbia ad errorem ducitur, quia sicut perversus ille (i. e. *Antichristus*) Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste sit, qui solus sacerdos appellari appetit, super reliquos sacerdotes se extollit „. (P. L. 77; epist. l. VII, ep. XXXIII). — Ergo quicumque superbi, super caeteros se efferentes, imitantur et praecurrunt Antichristum, atque hoc sensu vocari possunt Antichristi.

Inutile foret notatu, haec a S. Gregorio Papa dicta esse contra Cyriacum, epum CPolitanum, universalem vel oecumenicum patriarcham se vocantem; minime autem contra *successores Petri*, Principis apostolorum, cui Dominus Iesus commisit *universam* gregem et claves regni coelorum; imo S. Gregorius, et ipse Summus Pontifex, tam vehementer insurgit contra Cyriacum utendo iurisdictione universali successoris

Petri in cathedra Romana. Hoc, inquam, inutile foret notatu, si protestantes hoc textu non abuterentur ad considerandum Gregorium tamquam praecursorem Reformatorum, qui Romanum Pontificem proclamarunt Antichristum.

Eodem sensu lato loquitur Arnulphus, epus Aurelianensis, in concilio Rhemensi (a. 991) declarans Romanum Pontificem, charitate destitutum et inflatum scientia, esse Antichristum.

Quid simile, inter multas alias hypotheses, refert V. Herveus (s. XII) scribens: " Vel Romanus Pontifex, qui tenet nunc Ecclesias, teneat illas donec de medio fiat, id est donec ab ipsa Romana Ecclesia, quae est medium et cor Ecclesiarum, fiat iniquitas, ob quam ab ea multae discedant Ecclesiae. „ (P. L. 181, ad h. l.).

P. J. Oliva demum, cuius non omnia dicta sunt probanda, eodem sensu loquitur quando in *postilla super Apocalypsim* scribit: " Quidam putant quod tam Antichristus mysticus quam propius et magis erit pseudopapa (1) „.

* * *

Qui aperte Pontificem Romanum proclamarunt Antichristum, primi nominandi videntur Hussitae, prout notat *Bornemann* (2).

Apud Wicklefum tamen frequenter innuitur haec blasphemia; v. gr. *in Dial.* (3) XXXI legitur: " Christus enim dedit humiliter tributum cesari et multipliciter ampliavit suum dominium, et non sibi vel suis apostolis aliquod tale dominium adquisivit (4). *Et sic videtur papam non esse Christi vicarium sed vicarium antichristi*, cum dimisso coelesti officio

(1) Cfr. *Milligan*, p. 168. — *Swete*, op. cit. p. CCIX — *Bornemann*, p. 406.

(2) Die eigentlichen Träger und Verbreiter dieses Gedankens scheinen dann in besonderem Masse die Hussiten gewesen zu sein. (p. 414).

(3) Ed. Wyclif Society; p. 73.

(4) Alludit W. ad dominium temporale Romani Pontificis.

terrenum sic attemptatur. Et sic prelati cesarii obliviscendo hortacionis humilis et sancte predicationis Christi et suorum apostolorum usurpant potestative tirannidem antichristi, et in talibus prelatis specialiter ordinatis conversus est retrorsum et in suis filiis qui ipsos secuntur, dimittendo doctrinam Christi et sequendo vestigia antichristi „.

Consuetus est Wicklefo ille indignus modus loquendi de papa et clero, praecipue in scripto polemico cui titulus: *De Christo et suo adversario Antichristo.*

Lutherus inde ab anno 1518 idem suspicatur, aperte vero affirmat in scripto: *adversus execrabilem antichristi bullam.*

" Revocatio mea erit ista, (ita 24 martii 1521): papam prius dixi esse Christi vicarium, nunc revoco et dico: papa est Christi adversarius et apostolus diaboli. Hoc me cogit bulla sceleratissima et sacrilega, qua Christum aperte damnant (1) „.

Luthero autem non pepercerunt apologetae catholici contemporanei; ita addiscimus ex ipso eius nomine probari posse, ipsum et non alium esse Antichristum: numerus enim bestiae, secundum Apocalypsim, est *sexcenti sexaginta sex,* quem numerum indicat *Lutheri* nomen hebraice scriptum (2): L (*lamed* = 30) U (*waw* = 6) L (*lamed* = 30) T (*taw* = 400) R (*resch* = 200); quae simul sumpta: 30 + 6 + 30 + 400 + 200 aequivalent huic numero bestiae seu Antichristi, scilicet: 666. (*Apoc. XIII, 18*).

---

(1) *Preus H.*: Die Vorstellungen vom Antichrist im späteren Mittelalter, p. 130. Adhuc notandae sunt duae sequentes confessiones Lutheri: *" persuasissimus (sum) papam esse... praedictum Antichristum „. " Scito ergo papam esse germanum illum et tota scriptura prophetatum Antichristum. „ (Ibidem* p. 142). — Pro ortu et evolutione huius doctrinae cfr. opus citatum Preuss. Nescimus an ullus hodie serius vel religiosus protestans hoc opus legere possit quin erubescat ac sibi conscius fiat, nec veritatem nec reformationem haberi, ubi tam indignae audiuntur calumniae.

(2) *Malvenda*: De Antichristo, p. 71. — Notabit lector, in hac paronomasia adiunctam esse alteram litteram *l*, seu scripum esse *Lulther*, loco *Luther*.

Tantumque successum obtinuit doctrina ista antipapalis, ut mox considerata sit inter protestantes ut dogma certissimum ac omnino admittendum. Ita in art. *Smalcaldiensibus* II, 4: " Haec doctrina praeclare ostendit papam esse ipsum verum antichristum, qui supra et contra Christum sese extulit et evexit, quandoquidem Christianos non vult esse salvos sine sua potestate, quae tamen nihil est et a Deo nec ordinata nec mandata est. Hoc proprie loquendo est " se efferre supra et contra Deum „ sicut Paulus II Th. II loquitur. Et hoc profecto nec Turcae nec Tartari faciunt, quantumvis sint Christianorum atroces hostes, sed permittunt, ut credat in Christum, quicunque voluerit, et accipiunt tributum et oboedientiam externam sive corporalem a Christianis „.

Similiter in Anglia ambae *Domus Convocationis* decreverunt anno 1606: " si quis affirmaverit superbiam intolerabilem Episcopi Romani, in hoc praesenti tempore..., non probare perfecte illum esse Virum peccati, de quo Apostolus, ille valde errat (1) „.

Item Melanchton in tractatu *de potestate et primatu papae:* Constat autem Romanos pontifices cum suis membris defendere impiam doctrinam et impios cultus. Ac plane notae antichristi competunt in regnum papae et sua membra. Paulus enim ad Thessal. (II, II, 3 sq.) describens antichristum, vocat eum adversarium Christi, extollentem se super omne, quod dicitur aut colitur Deus, sedentem in templo Dei tamquam Deum. Loquitur igitur de aliquo regnante in ecclesia, non de

(1) In England both Houses of Convocation decreed in 1606 that " if any man shall affirm that the intolerable pride of the Bishop of Rome, for the time still being,... doth not argue him plainly to be the Man of Sin. mentioned by the Apostle, he doth greatly err. „ And a few years later the Translators of our A. V. complimented King James for having by means of his tractate *Apologia pro Juramento Fidelitatis* " given such a blow to that man of sin, as will not be healed „. A section of the Westminster *Confession of Faith* is devoted to defending the same view. — *Milligan*, op. cit. p. 169.

regibus ethnicis et hunc vocat adversarium Christi, quia doctrinam pugnantem cum evangelio excogitaturus sit, et is arrogabit sibi auctoritatem divinam.

Haec odiosa doctrina dogma authenticum erit sectae protestanticae omniumque eius doctorum, paucis exceptis ut v. gr. Grotio, per duo ad minus saecula; cfr. Bornemann l. cit.

— Operae pretium erit, hic citare exegesim nostri textus secundum hanc mentem evolutam apud POLUM († 1679):

Nos vero dicimus, hunc Antichristum Papam esse cum suo clero. Haec defectio evenit sensim, primum per Mahometem, qui omnino, et re et professione, a Christo defecit, magnamque orbis partem seduxit; deinde per Episcopos Christianos, praesertim Romanum, qui sub nomine Christiano, Antichristianam tyrannidem in Ecclesiam invexit...

...Describit hic insignem ac magnum Antichristum, Papas scil. cum clero suo, quae communis est Protestantium sententia. Is certe et rectissime omnium, homo peccati dicendus est, qui, cum Deum et Christum perpetuo in ore habeat, gravissimorum tamen errorum et scelerum patronus est... etc...

Is certe pro Deo se ostentat, qui iactat, se Ecclesiam pro suo arbitrio regere, leges condere, legum divinarum vim dissolvere, coelum quibus velit claudere vel aperire, se errare non posse, nemini in terris rationem reddere teneri etc...; qui quotidie dicitur: *Sanctissimus Dominus noster*, non minore impietate quam quod olim de Domitiano dicebatur: *Dominus et Deus noster sic fieri praecepit.*

Τὸ κατέχον: Mens Apostoli est, non prius revelandum esse Antichristum quam deletum ac dissolutum sit Romanum Imperium (huic patristicae traditioni, ut supra notavimus protestantes remanserunt fideles).

...Papa se Antichristum esse patefecit, ratione dominii; tum 1) *Ecclesiastici,* sub Bonifacio III, qui a Phoca tyranno titulum impetravit universalis Episcopi; tum 2) *politici*, per Gregorium VII dum Imperatores a Pontifice et constituuntur et imperio exuuntur.

Idem probat Bengel († 1752) per conclusiones viginti et unam!! — Et adhuc recenter, anno 1877, *W. Engelhardt* hoc dogma protestanticum probavit factis contemporaneis v. gr. definitione infallibilitatis; mysterium vero iniquitatis est Iesuitismus (1).

§ III Explicationes historicae.

In infinititum... et in vanum abierunt qui quaesierunt explicationem et completionem huius prophetici capitis in historia, sive temporis Pauli (explicationes historicae = *praeteristicae*), sive temporis posterioris et contemporanei (explicationes historicae = *futuristicae*).

Iam apud S. Patres audivimus plures, qui *mysterium* iniquitatis viderunt in Nerone, Antichristum vero in *Nerone redivivo*. (Cfr. supra *S. Augustinum*). Haec idea antiqua nonnullis modernis etiam placuit, qui magis (seu, prout dicunt ipsi, *scientifice*) hanc ideam evolverunt, affirmantes retinaculum fuisse Vespasianum eiusque filium Titum; apostasiam vero, desperatum bellum Iudaeorum adversus Romanos. Ita *Kern* (2), quem secutus est *Baur* (3). Recentius adhuc *Weizsäcker* (4) et *Holtzmann*. — " Pro hac descriptione, ita Holtzmann (5), sedit *Nero*, in quo iam Augustini contemporanei invenerunt *adversarium*. (*De civ. Dei XX, 19: cuius iam facta velut Antichristi videbantur*). *Qui tenet nunc* (ὁ κατέχων ἄρτι) in

(1) Cf. *Bornemann*, p. 418.

(2) *Tübinger Zeitschrift für Theol.* 1839, p. 145 sq.

(3) *Theol. Jahrbücher* 1855, p. 141 sq.

(4) *Das Apost. Zeitalter*[3] (1902): " gemeint kann nichts anderes sein, als der neronische Antichrist, der ietzt noch durch den lebenden Kaiser aufgehalten ist „ (p. 503).

(5) Lehrbuch der historisch-kritische. Einleitung in das N. Test.[3] (1892) p. 216-217.

hoc casu esset Imperator, quo regnante Paulus epistolam scripsit, *Claudius* scil., vel ut *retinens* thronum, vel ut adhuc existens septum: " *qui claudit* „... Nero demum, qui primo mitis incepit, Antichristus denominatus est post caedem Christianorum anni 64... „

Pro Wetstein († 1754) Antichristus est Titus... non vero Papa: " Non intelligo Pontificem Romanum, qui nec unus est, qualem designat pronomen demonstrativum... ter repetitum, nec se Deum facit, nec in templo Dei sedet, neque quicquam negotii cum Thessalonicensibus aut eorum posteris habet... „

Iam s. XVII hanc evolutam exegesim initiavit Grotius († 1645) cuius placet hic diffuse applicationem transcribere:

" De *Caio* „ hic agere incipit Paulus... " Ab horum bonis hac in parte institutis defecit Caius, et quidem summa cum impietate, quae in sequentibus *depingitur plane velut in re praesenti, ita ut difficile sit ullam reperire prophetiam cui exitus exactius respondeat...*

(*Et revelatus fuerit*, v. 3). Denudet ingenium suum Caius. Nam initio principatus bonum se simulando spem omnium excitaverat...

(*Super omne quod dicitur Deus etc...* v. 4). Sic et Caius omnibus se Diis gentium praetulit, etiam Iovi Olympio et Capitolino: ac si qui dubitarent, an maior Iove esset, eos pessime tractavit: Lunam sibi dixit concubinam: Castores ianitores...

(*In templo Dei*): Recte autem dicitur Caius semet posuisse... in templo Dei... quia simulacrum suum ibi collocari iussit.

(*Τὸ κατέχον*): L. Vitellius, quum Paulus ista diceret, et haec scriberet, Syriam et Iudaeam tenebat, vir apud Iudaeos gratiosus, et magnis exercitibus imperans, cui propterea facile fuisset, si tam graviter Iudaeorum animos exasperasset Caius, eorum tutelam suscipere et provinciam sui facere iuris. Ideo Caius, antequam propositum exsequeretur, tempus exspectabat, quo L. Vitellius et provincia decederet, et successorem acciperet Petronium, cui non erat par auctoritas.

(*Mysterium iniquitatis* v. 7). Iam arcanae impietatis istius motiones ponuntur, per Heliconem nempe et Aegyptios alios.

(*Et tunc revelabitur ille iniquus* v. 8). Hactenus impium principem descripsit: nunc venit ad impium doctorem, alteram Christianorum, ac maxime eorum, qui ex Iudaea erant, tentationem. Recte autem impius dicitur *Simon magus,* qui paulo post initia Claudiani principatus Romam venit, ut homines a Christo abduceret...

— Hucusque *Grotius,* quem auctorem vocant iuris internationalis... Nunc, eo duce, Paulum reperimus historicum et politicum!!

Huius ergo interpretationis historicae innumera fuerunt tentamina, quae inde iam vana apparent, quia se mutuo destruunt... ac phantasiae tantum fecundae fructus sunt. " Multum mihi mira est haec opinantium tanta praesumptio! „ Ita S. Augustinus.

§ IV. **Schola mythica.**

Sed adhuc magis mira est praesumptio scholae mythicae... Pro hac schola ergo, cuius Gunkel corypheus iure vocatur (1): omnia quae in *Bibliis* leguntur, a *Babele* derivari dicuntur.

Itaque doctrina *Antichristi* eiusque *Retinaculi* proveniret ex Babylonia: " Ἄνομος et κατέχων non sunt determinationes mere historicae, ita *Gunkel.* Hae indicationes considerandae sunt ut allusiones ad apocalypticas traditiones iudaeo-christianas. In ultimis diebus magna apostasia exspectabatur simul ac effrenata actio cuiusdam impiissimi... Quod novum apparet in ep. II ad Thessal. (II, 6) non requirit significationem historicam; nondum nobis erat notum illud κατέχων vel κατέχον. Attamen habemus eius parallela plus minusve vicina.

(1) Cfr. *Zum religionsgesch. Verständnis des N. T.* (1903).

Potestates coelestes et infernales, quae in ultimo tempore apparebunt, iam, secundum fidem iudaicam, operantur. Quaestioni vero, quare nondum in mundo sese revelarent, respondetur: Aliquid alicubi adesse debet, quod eas detinet... (*Et nunc Babel loquatur et audiatur !!*). Horrendae locustae Abaddonis iam nunc sunt in Abysso; sed egredi non possunt, quia abyssus est clausa, sed quando aperta fuerit, tunc venient super terram... *Vel* quatuor angeli, qui tertiam partem hominum occident, sunt iam parati ad magnum flumen Euphratem, sed vincti sunt. Quando autem impletum fuerit tempus, solventur vincula eorum... *Simili modo* quatuor ventis, qui in ultimo tempore super terram et mare calamitates sufflabunt, nunc a quatuor angelis detinentur... „. Ita *Gunkel* (1).

Idem tenet Dibelius (2) et confirmat aliis exemplis: " sicut incepit mundus cum pugna inter Deum eiusque adversarium, ita et cessabit mundus. Nondum vero apparet adversarius, quia detinetur. In principio huius legendae mythicae, adversarius Dei est diabolus... qui decursu temporum formam accepit in impio homine, prout erat Antiochus Ephiphanes; demum non iam Deo, sed Messiae opponitur, est anti-Messias seu Antichristus „.

Etiam von Dobschütz (3) scribit: " Hic habetur antiquum *motivum* pugnae draconis, serpentis Tiâmat coelo minantis, Gigantomachiae etc.... adversarius quidem Dei conatur locum Dei occupare „.

Mox — atque eodem omnino iure —, fons doctrinae de Antichristo erit universalis oppositio inter bonum et malum, pugna inter lucem et tenebras! Deest ergo hic relatio positiva inter Babelem et Biblia.

---

(1) *Schöpfung und Chaos in Urzeit und Endzeit* (1895), p. 221 sq.

(2) *Die Geisterwelt im Glauben des Paulus* (1909), p. 58 sq.

(3) *von Dobschütz*, p. 294-5: " Es ist das uralte Motiv des Drachenkampfs, der den Himmel bedrohenden Schlange Tiâmat, der Gigantomachie u. s. f.: ein widergöttliches Wesen sucht sich an Gottes Stelle zu setzen „.

Sed etiam si positive nexus indicaretur inter biblicam hanc doctrinam et legendas illas mythologiae balylonicae, hoc pro interpretatione et intelligentia Novi Testamenti nullius esset subsidii nec momenti, prout scribit *Bousset* (1); nam sicut non iuvat scire quid *posset* textus aliquis significare, sed quid secundum scriptoris mentem significet, ita nostra non interest addiscere quid in primitivis legendis babylonicis intelligatur sub notione adversarii mundi eiusque retinaculi, sed quid S. Paulus inspiratus a Deo intenderit loquens de Christi adversario seu Antichristo, eiusque retinaculo. Probabilius autem Apostolus tamquam retinaculum Antichristi designavit *Romanum Imperium* formaliter consideratum in aequa eius legislatione, quae nunc ad societates christianas transiit et in eis ad ordinem superiorem elevata est.

Concludamus. — Obscura remanent ac semper remanebunt multa in hac prophetica pericope de signis praecursoriis parousiae Domini. Recolamus, praeter Spiritum sanctum, historiam seu completionem nobis unicam interpretem esse prophetiarum (2), secundum illud *Pascal: On n' entend les prophéties, que quand on voit les choses arrivées.* Ideo prudentis est, non desperantis, *sapere ad sobrietatem* (Rom. XII, 3);

---

(1) *Der Antichrist in der Überlieferung des Judenthums, des neuen Testaments und der alten Kirche* (1895), p. 82, nota 1ª: Gunkel vermutet, dass in dem *κατέχων* bei Paulus noch eine ältere mythologische Überlieferung enthalten sei. Dass Paulus selbst unter dem *κατέχων* das römische Reich verstanden hat, ist mir nach den bis in seine Zeit hinabreichenden Parallelen nicht zweifelhaft *Was unter κατέχων ursprünglich verstanden wurde, ist für das Verständnis des neuen Testaments verhältnismässig irrelevant.*

(2) Eodem sensu verissime notat *Findlay*, op. cit., p. 211: History is the expositor of prophecy.

nec anxie quaerenda est evidentia quae nobis impervia est. Stemus intra limites nobis praescriptos.

In his obscuris textibus explicandis nihil exegetae magis decet quam sobria, serena ac sincera humilitas, qua totus subiectus textui inspirato et Spiritui inspiranti, nihil aliud invenire ambit quam id quod hagiographus significavit et Spiritus revelavit. Exegetae incumbit onus istud, quod est mortali honor maximus, ut verbum Dei obiective exponat, sed neque apicem ei imponat, prout scribit *Caietanus:* TEIPSUM EVANGELIO, NON EVANGELIUM TUO ACCOMMODA SENSUI (1).

Ut autem intra hos limites remaneat exegeta, oportet sit corde et mente humilis servus litterae Dei.

Spiritui Sancto acceptum sit devotum obsequium humilitatis nostrae.

---

(1) Comment. ad Matth. V, 32. (Ed. Parisiensis 1540. f. 34 b.).

INDICES

I. — Index lexicographicus graecus.

— Verba hebraica.

II. — Index onomasticus auctorum.

III. — Index analyticus rerum principalium.

IV. — Index generalis.

I. - INDEX LEXICOGRAPHICUS GRAECUS.

Ἀγαθός, 161.
ἀγαθωσύνη, 191.
ἀγαπάω, 61, **126**.
ἀγάπη, **61**, 126, 158.
ἀγάπησις, 61.
ἀγαπητός, 82
ἄγγελοι δυνάμεως, 185.
ἁγιασμός, 111, 117.
ἅγοι, 112-114.
ἅγιοι ἀδελφοί, 171.
ἁγιότης, 111, 117.
ἁγιωσύνη, 111, 117.
ἀγῶνι (ἐν πολλῷ), 75.
ἀδελφοί, 62.
ἀδιαλείπτως, 61, 162.
ἀθετέω, 123.
αἱρέομαι, 212.
αἰφνίδιος, 147.
αἰώνιος (ὄλεθρος), 188.
ἀκαθαρσία, 76, 123.
ἀκοῆς (λόγος), 89.
ἀκριβῶς, 145.
ἀληθινός, 70.
ἅμα σύν, 141.
ἄμεμπτος, 84.
ἀμέμπτως, 84, 169.
ἀμήν, 172.
ἀναγινώσκω, 171.
ἀνάγκη, 106.
ἀναζωπυρέω, 164.
ἀναμένω, 70.
ἀνελεῖ, 205.
ἄνεσις, 184.
ἀνέχομαι, 182.
ἀνθρωπάρεσκοι, 77.
ἀνθ' ὧν, 209.
ἀνίστημι, 134.
ἀνομία, 198.
ἀνταποδίδωμι, 107, 184.
ἀντέχομαι, 160.
ἀντικείμενος, 199.
ἀντίχριστος, 198, 274.
ἀξιόω, 190.
ἀπάντησις, 142.
ἅπαξ καὶ δίς, 97.
ἀπαρχήν, 212.
ἀπ' ἀρχῆς, 212.
ἀπάτη, 209.
ἀπέθανεν (*Jesus*), 134.
ἀπέχομαι, 117, 166.
ἀποδείκνυμι, 200.
ἀποκαλύπτομαι, 198.
ἀποκάλυψις, 25, 185.
ἀπολλύμενοι (οἱ), 209.
ἀπὸ προσώπου, 188.
ἀπορφανισθέντες, 95.
ἀποστασία, 197.
ἀπόστολος, 80.
ἀπώλεια, 199.
ἄρα οὖν, 149.
ἀρχάγγελος, 140.
ἀσπασμός, 227.
ἀσφάλεια, 146.
ἀτακτέω, 221.
ἄτακτος, 159.
ἀτάκτως, 220.
ἄτοπος, 217.
αὐτοὶ γάρ, 73, 125.
αὐτὸς ὁ θεός (κύριος), 167.

Βάρει (*ἐν*), 79.
βασιλεία τ. θεοῦ (*ἡ*), 87, 183.

Γαστρὶ ἔχουσα (*ἡ ἐν*), 147.
γρηγορέω, 149.

Δέχομαι, 88.
διάδημα, 98.
διάκονος, 101.
διαμαρτύρομαι, 122.
δικαία κρίσις, 183.
δικαιοκρισία, 183.
δικαιοσύνη, 19.
δικαιόω, 191.
δικαίως, 84.
δίκην τίνω, 187.
διωγμός, 182.
δοκιμάζω, 77, 165.
δόξα, 78, 87.
δουλεύω (*θεῷ*), 70.
δύναμις, 207.

Ἑαυτοῦ, 82.
ἐγείρω, 134.
ἐγκακέω, 225.
ἐγκαυχάομαι, 181.
ἐγκόπτω, 97.
ἔθνη, 120.
εἰδέναι, 157.
εἶδος, 167.
εἴπερ, 184.
εἰρήνη, 58.
εἴσοδος, 69-70.
εἷς τὸν ἕνα, 155.
εἴτε... εἴτε, 154.
ἐκδίκησις, 186.
ἔκδικος, 122.
ἐκδιώκω, 93.
ἐκκλησία, 58, 91, (*plur.*) 181.
ἐκλογή, 63-64.
ἐν (*instrum.*), 143.
ἔνδειγμα, 182.
ἐνδείκνυμι, 182.
ἔνδειξις, 182.
ἐνδοξάζω, 189.
ἐνέργεια, 207.
ἐνεργεῖται, 89.
ἐνίστημι, 196.
ἐνορκίζω, 171.
ἐν παντί..., 163.
ἐντρέπω, 226.
ἐξαπατάω, 196.
ἐξηχέομαι, 68.
ἐξουθενέω, 165.
ἐξουσία, 222.
ἔξω(*οἱ*), 128.
ἐπιβαρέω, 84.
ἐπιθυμία, 96, 120.
ἐπιποθέω, 105.
ἐπισυναγωγή, 194.
ἐπιφάνεια, 25, 185, 206.
ἔργον, 61.
ἐρωτάω, 114, 155.
εὐαγγελίζομαι, 105.
εὐαγγέλιον, 64-65, 187.
εὐδοκέω, 211.
εὐδοκία, 191.
εὐσχημόνως, 128.
εὐχαριστέω, 60, 179.
εὐχαριστία, 106.
ἐφ(*π*)*ίστεται*, 146.

Ἡγέομαι, 157, 226.
ἡμέρα κυρίου, 145.
ἤπιος, 80.
ἡσυχάζω, 127.

Θαυμάζω, 189.
θέλημα, 117.
θεοδίδακτος, 126.
θεός (*ὁ*), 134; *ἐν θεῷ...*, 58, 74; *ὁ θ... ἡμῶν*, 191.
θεοῦ τοῦ καλοῦντος (*τοῦ*), 86.
θεῷ ζῶντι κ. ἀληθινῷ, 70.

θεῷ ἡμῶν (*ἐν τῷ*), 74.
θλῖψις, 106, 182.
θροέομαι, 195.

Ἴδια (*τὰ*), 127.
ἵνα, 148.
ἰσχύς, 188.

Καθεύδω, 149.
καιρός, 144.
κακόν (*τὸ*), 161.
καλοποιέω, 225.
καλός, 161, 166.
καλῶν (*ὁ*), 169.
καρδία, 77.
καταβαίνω, 138.
καταλαμβάνω, 148.
καταλείπω, 101.
καταξιόω, 183.
καταργέω, 206.
καταρτίζω, 108.
κατευθύνω, 110.
κατέχον (*τὸ*), 201 sq., 276.
κατέχω, 166.
καυχάομαι, 97.
καύχημα, 98, 181.
καύχησις, 98, 181.
κεῖμαι, 102.
κελεύσμα, 139.
κενός, 73, 104.
κλέπτη(α)ς (*ὡς*), 148.
κλῆσις, 191.
κοιμωμένων (*περὶ τῶν*), 131.
κολακία, 78.
κοπιάω, 156.
κόπος, 61, 83.
κρατέω, 214.
κράτος, 188.
κρίνω, 211.
κτάομαι, 118.
κύριος (*ὁ*), 110; *διὰ τοῦ κ...*, *ἐν...*, 114-115, 116, 156.

Λόγος, 195; *...θεοῦ*, *...τ. κυρίου*, 68.
λόγῳ Κυρίου (*ἐν*), 135.
λοιποί (*οἱ*), 132.
λοιπόν (*τὸ*), 114.

Μᾶλλον, 116.
μαρτύρομαι, 86.
μεθύσκομαι, 150.
μεθύω, 150.
μή πως, 104.
μιμηταί, 66.
μνείαν ποιούμενοι, 60.
μόχθος, 83.
μυστήριον, 204.

Νιός, 200.
νεκροὶ ἐν X. (*οἱ*), 140.
νεφέλη, 142.
νήπιος, 80.
νήφω, 149.
νόμος, 19.
νουθεσία, 157.
νουθετέω, 156, 159.
νοῦς, 195.
νυκτὸς καὶ ἡμέρας, 84, 222.
νῦν, 201.

Οἰκοδομέω, 155.
οἵτινες, 187
ὀλεθρος, 147.
ὀλιγόψυχος, 160.
ὁλόκληρος, 168.
ὁλοτελής, 168.
ὁμειρόμενοι, 81.
ὄνομα, 192.
ὅπως, 192.
ὀργή, 72, 94, 152.
ὁσίως, 84.
ὅτι, 138, 145...
οὐ μή, 137.
οὖν, 114.
οὐρανός, 71 (*plur.*), 138.
ὀφείλω, 179.

Πάθος, 120.
παρὰ (*θεῷ*), 184.
παραγγελία, 116.
παραγγέλλω, 128.
παράδοσις, 214, 220.
παρακαλέω, 86, 115.
παράκλησις, 75.
παραλαμβάνω, 88, 115.
παραμυθέομαι, 86.
παρουσία, 25, **99**, 185.
παρρησία, 74.
παρρησιάζομαι, 74.
πειράζων, 104.
περιεργάζομαι, 224.
περικεφαλαία, 158.
περιλειπόμενοι (*οἱ*), 135 sq., 236 sq.
περιπατέω, 86.
περιποίησις, 152, 213.
περισσεύω, 110, 127.
περισσοτέρως, 96.
πιστεύοντες (*οἱ*), 67, 90.
πιστεύσαντες (*οἱ*), 189.
πίστις - πιστός, 218.
πλάνη, 75.
πλεονάζω, 180.
πλεονεκτέω, 121.
πλεονεξία, 76
πληροφορία, 65.
πνεῦμα, 124. 169, 195, 205.
πονηρός, 167, 217.
πονηροῦ (*ἀπὸ τοῦ*), 218.
πορνεία, 117.
πρᾶγμα, 121.
προΐσταμενοι (*οἱ*), 156.
προλέγω, 103.
προπάσχω, 73.
πρός, 70, 102 (*cum accus.*).
πρόφασις, 78.
προφητεία, *προφήτης*, 165.
πρῶτον, 140.
πυρός (*ἐν φλογί*), 186).

Ῥύμενος (*ὁ*), 71.

Σαίνομαι, 102.
σαλευθῆναι ἀπὸ τ. νοός, 194.
σάλπιγξ, 140.
σατανᾶς, 97.
σάρξ, 19.
σβέννυμι, 164.
σεβόμενοι (*φοβούμενοι*) *τ. θεόν*, 7.
σημεῖα κ. τέρατα, 208.
σημειόω, 226.
σκεῦος, 118.
στέγω, 100.
στέλλομαι, 220.
στέφανος, 98.
στήκω, 106.
στηρίζω. 101.
συμφυλέτης, 91.
συναναμίγνυμαι, 226.
συνείδησις, 169.
συνεργός, 101.
σῶμα, 169.
σωτηρία, 152.

Ταχέως, 194.
τέλος (*εἰς*), 94.
τέρατα (*σημεῖα κ....*), 208.
τοιγαροῦν, 123.
τὸ πῶς, 115.
τρόπος, 196, 227.
τροφός, 81.
τύπος, 67.

Ὑιός (*semitismus*), 148, 199.
ὑπάντησις, 143.
ὑπέρ, 108
ὑπεραιρόμενος, 199.
ὑπεραυξάνω, 180.
ὑπερβαίνω, 121.
ὑπερεκπερισσοῦ (*...σῶς*), 108, 157.
ὑπομονή, 62, 182, 219.
ὑστερήματα (*τὰ*), 108.

Φθάνω, 94, 137.
φιλαδελφία, 110, 125.
φίλημα ἅγιον (*ἀγάπης*), 170-171.
φιλοτιμέομαι, 127.
φλογός (*ἐν πυρί...*), 186.

Χαίρω, 107.
χάρις, 19, 58, 172.
χρείαν ἔχω, 129.
Χριστός, 58, *passim*, *ἐν Χρ...*, 164.
χρόνος, 144.

Ψυχή, 168-169.

Ὠδίν (*ἡ*), 147.
ὥρα, 96.
ὡς δι' ἡμῶν, 195.
ὡς ὅτι, 196.

VERBA HEBRAICA.

Beli-ôl, 198.
Chanan, 58.
Cheble-hammashiah, 147.
Goêl, 71.
Goïm, 93, 120.
Hachizonim, 129.
Hêkal, 200.
Jehoshua, Jeshua, Jeshaiahu, 71.
Kabod, 79, 87.
Lanezach, 94.
Lekalah, 94.
Leriq, 104.
Liqrath, 142.
Malkuth Jahweh = shamaïm, 87.
Othoth umophthim, 208.
Qohêl, 91.
Shalôm, 58.
Shekinah, 87.

II. - INDEX ONOMASTICUS AUCTORUM.

Nota. — *Post vocem* "passim„, *qui sequuntur numeri, indicant vel textus excerptos vel citationes maiori consideratione dignas. Numeri vero designant paginas.*

Abbott, T. K., 35.
Aeschylus, 133.
Allo, B., 138, 248.
Ambrosiaster, *passim*, 40, 44, 154, 158, 227, 264.
Ammonius, 144.
Annales ord. praed., 163.
Apocal. Baruch, 202.
Aristoteles, 166.
Arnulphus, 279.
Atto Vercell., 44.
Augustinus (S.), 130, 131, 132, 136, 143, 171, 194, 198, 202, 204, 240, 269.

Bardenhewer, O., 48.
Barnabae epist., 119, 179.
Baronius, 249.
Bartmann, B., 247.
Batiffol, P., 80, 153.
Bauer, B., 33.
Baur, F. C., 33, 95, 283.
Belser J., 247, 256.
Bengel, *passim*, 37-38, 46, 104, 120, 123, 211, 249. 283.
Bisping, Aug., 244, 277.
Blass, Fr., *passim*.
Bodin, E., 40.
Bornemann, W., *passim*, 34, 90, 106, 108, 120, 190, 279.
Bousset, W., 48, 277, 287.
Brassac, A., 6, 12, 14, 90.
Bruno, S., 44, 271, 272.
Cajetanus, *passim*, 45, 56, 73, 79, 104, 106, 122, 124, 140, 147, 151, 156, 157, 159, 182, 211, 219, 242, 272, 288.
Calmetus, 45, 234, 243.
Calvinus, 46, 274.
Catholic Encyclopedia, 248.
Catullus, 133.
Cellini, A., 248.
Cicero, 4, 74, 117, 119, 143-144.
Ciencia Tomista (*La*), 135, 247.
Clemens Alex. (S.), 32, 171.
Clemens Rom. (S.), 179.
Clementis Recognit, 138.
Coppieters, H., 118.
Corluy, J., 142, 245, 256.
Cornelius a Lapide, 234, 243.
Cornely, R., *passim*, 44, 136, 234, 248, 252.
Cyrillus Alex. (S.), 23, 194, 207, 264, 275.

Daehne, 250.
Dalman, G., 47, 87, 183.
Dante, 103, 162, 184.
Deissmann, Ad., 47, 48, 56, 84, 87.
Dhorme, P., 192.
Dict. d'Arch. chrét., 171.
Dict. des Antiq. Gr. et Rom., 4.
Didachè, 31, 65.
Dio Cassius, 4.

Dobschütz, E. (von), *passim*, 44, 131, 149, 155, 157, 191, 250, 286.
Drach, 46.
Drum, W., 247, 248.

Ecclesiastical Review (*The*), 247, 248.
Engelhardt, W., 283.
Ephraem Syrus (S.), 43, 266.
Erasmus, 35.
Esdrae (IV l.), 138.
Estius, G., *passim*, **45**, 72, 79, 84, 88, 89, 103, 111, 118, 133, 139, 155, 180, 186, 188, 189, 190, 199, 201, 210, 213, 217, 222, 242, 270, 273.
Eusebius, 33.
Euthymius Zigabenus, 43, 269.

Felten, G., 48.
Findlay, G. G., *passim*, 104, 152, 277, 287.
Flavius Iosephus, *passim*, 128.
Florus, 44.
Fouard, C., 48, 248.
Frame, J. E., *passim*, 34.
Frey, J. B., 88, 140.
Funk, Fr. X., 31.

Gesenius, 47, 198.
Glossa, 163.
Gregorius (S.), 126, 278.
Grimm, C. L. W., *passim*, 47, 145.
Grotius, H., 15, 46, 114, 136, 142, 235, 250, 284.
Gunkel, H., 48, 285-286.
Gutjahr, 46, 136, 252, 274, 276.

Harnack, Ad., 157.
Hatch, Ed., 47.
Haymo, 44, 241, 247.
Herodotus, 3.
Herveus (V.), 15, 27, 44, 241, 279.
Hetzenauer, M., 40.
Hieronymus (S.), *passim*, VII, 18, 42, 108, 110, 121, 128, 146, 194, 198, 200, 203, 206, 240, 270.
Hippolytus (S.), 194.
Holsten, 33.
Holtzmann, H. J., 153, 283.
Hort, F. J. A., 58.
Hugo a S. Caro, 44.
Hugo de S. Victore, 44, 271.
Hussitae, 279.

Ignatii M. (S.), 31, 65.
Irenaeus (S.), 32, 35, 194.
Irish Theol. Quartely (*The*), 237.

Jacquier, E., 41, 90.
Janssens, Laur., 237.
Johannes Chrys. (S), *passim*, 39, **43**, 66, 68, 82, 96, 105, 109, 110, 116, 120, 127, 129, 130, 131, 136, 149, 150, 158, 164, 167, 170, 180, 181, 188, 207, 214, 215, 220, 225, 239, 265.
Johannes Dam. (S.), 43, 239, 268.
Jülicher, A., 34.
Justinianus, B., 45.
Justinus, (S.), 148, 171.
Juvenalis, 93.

Kennedy, H. A. A., 48, 250, 260.
Kern, 283.
Knabenbauer, J., *passim*, 70, 80, 139, 140, 150, 154, 159, 200, 248, 252.

Lacordaire, P. H.-D., 82.
Lagrange, M.-J., 24, 41, 48, 147, 152, 191, 245, 248, 254.
Lamentabili..., 234.
Lanfrancus, 44.
Lattey, R. P., 247.
Le Camus, Mgr., 48, 235, 246.
Lemonnyer, A., 46, 138, 234, 235, 246.
Lightfoot, J. B., *passim*, 90, 91, 128, 179, 216, 251.

Livius T., 3.
Loman, 33.
Lucretius, 119, 133.
Lünemann, G., *passim*, 46.
Lutherus, 46, 90, 121, 128, 199, 248, 280.

Magnien, P., 132 sq., 247, 260.
Maier, Ad., 243.
Malvenda, 48, 280.
Manzoni, 133.
Marcio, 32.
Mc Giffert, 37, 39.
Megilla Esther, 118.
Melanchton, 248, 281.
Methodius, 239.
Milligan, G., *passim*, 35, 37, 46, 198, 281.
Moffat, J., 31.
Moldenhauer, 250.
Moulton-Milligan, *passim*, 250.
Muratorianum (*fragm.*), 32.
Murray J. O. F., 58.

Nestle, E., *passim*, 41.

Oecumenius, *passim*, 43, 142, 152, 214, 239, 268.
Oliva, P. J., 279.
Oracula Sibyll., 208.
Origenes, 170, 194, 240.

Padovani, 46.
Pànek, 46.
Pascal, 263, 287.
Pastor Hermae, 32.
Pelagius, *passim*, 44, 82, 99, 135, 149, 240, 265.
Petrus Lombardus, 44, 241.
Pernice, A., 5.
Pesch, Chr., 246.
Philo, 119.
Philostratus, 93.
Pierson-Naber, 33.
Pirke Aboth, 210.
Piscator, 250.
Plato, 119, 159.
Plinius, 4.
Plummer, A., 163, 275.
Polycarpus, (S.), 31.
Poole (*lat.*, Polus), 46, 234, 249, 282.
Prat, F., *passim*, 6, 8, 39, 48, 64, 247.
Preuschen, E., 166, 184.
Preuss, H., 48, 280.
Primasius, *passim*, 44.
Providentissimus, p. VII, 255, 256.

Rabbanus Maurus, 44, 240.
Ramsay, W. M., 8, 48, 92, 162.
Regula S. Benedicti, 223.
Reinach, Th., 93.
Resch, 166.
Rivière, 155.
Robertson, A. T., 47.
Robertson-Plummer, 35.
Robinson Arm., 56, 61, 131, 171, 172, 207.

Sales, M., 46, 158, 159, 248.
Sausen, Fr., 45.
Scaglia, 133, 141.
Schäfer, 46, 136, 248, 252.
Schmidt, 33.
Schrader, 33.
Schöttgen, Chr., 118.
Schürer, E., 7, 12, 48, 83, 92, 171.
Sedulius Scotus, 44.
Smalcaldienses artic., 281.
Soden, H. (von), *passim*, 14. 41, 173.
Sohar Levit., 118.
Steck, 33.
Stephanus, 47.
Strabo, 3, 4.
Swete, 275.
Székely, 202.

Tablet (*The*), 237, 247.
Tacitus, 93.
Tafel, 3, 5.
Tasso, 143.
Tertullianus, 33, 119, 194, 202, 264.
Theocrites, 133, 155.
Theodoretus Cyr., *passim*, 43, 132, 136, 158, 160, 173, 184, 204, 214, 217, 239, 267.
Theodorus Mops., *passim*, 43, 161, 239, 267.
Theophylactus, *passim*, 39, 43, 201, 220, 224, 225, 227, 239, 269.
Tholuck, 44.
Thomas Aq. (S.), *passim*, 38, **44**, 59, 107, 132, 136, 139, 142, 152, 156, 159, 181, 189, 192, 197, 213, 214, 221, 242, 272, 277.
Tillmann, Fr., 48, 247, 256.
Toussaint, C., 46, 95, 247.
Tijd (*De*), 247.

Usteri, 250.

Van der Vries, 33.
Van Manen, 33.
Van Oppenraay, Th. H., 247
Virgilius, 216.
Viteau, 47.
Volz, 48.

Walafridus, 44.
Weber, V., 15.
Weiss, B., 210.
Weiss, J., 129.
Weizsäcker, 283.
Westcott, B. F., 86, 126, 153, 169.
Westmonasteriensis Versio, 247.
Wetstenius, *passim*, 46, 217, 248.
Wicklefus, 279.
Wohlenberg, G., *passim*, 159.
Wordsworth-White, *passim*, 40.

Xenophon, 118, 159.
Ximenez, Card., 40.

Zahn, Th., 34, 57.
Zorell, Fr., 47.

III. - INDEX ANALYTICUS RERUM PRINCIPALIUM.

Abbreviationes, 50-51.
Achaia, 67.
Adventus 2us Domini, cfr. *Parousia*.
Aedificare (*translate*), 155.
Agrapha, 135, 148, 166.
Amanuensis, 227.
Amen, 172.
Analysis 1ae ep. 54; 2ae ep. 174.
Anima, 169.
Angeli, (112 sq.), 185.
Antichristus, 198 sq., 263 sq.
  nomen, 274.
  natura, 275.
  origo, 274.
  apparitio et actio, 198.
  parodia Christi, 198 sq., 204 sq.
  satelles Satanae, 207.
  Belial (?), 198.
  Nero, 269, 283 sq.
  explicationes historicae, 283 sq.
  explicationes polemicae, 278 sq.
  Luther, 280.
  Retinaculum, cfr. ad h. v.
Anticlimax, 92.
Antiochus Ephiphanes, 286.
Apostasia, 197.
Apostolatus (*onus-honor*), 79.
Apostolus, 80.
Archangelus, 240.
Arma christiana, 150-151.
Athenae, 101.
Authenticitas, 31 sq., 90-91, 92, 95, 211.

Babel-Biblia, 285 sq.
Belial, 198.
Bibliographia, 43 sq.

Cabiri, 4.
Caritas..., fraterna, 110-111, 125 sq., 226.
  virtus theol. cfr. *fides*.
  vox graeca, p. 61.
Castitas, 116-124 (*117*).
Charismata, 164.
Chiasmus, 148.
Christi-mercatores (*S. Joh. Chrys.*), 129.
Chronologia vitae S. Pauli, 12-13.
Cilicia, 83.
Coemeterium, 131.
Commentarii, 43 sq
Commissio Biblica, V, 136, 236 sq.
Compositio epist. ad Thess.:
  tempus et locus, 13 sq.
  occasio et scopus, 16 sq.
Conscientia, 169.
Consolatio christiana, 143, 154.
Cor, 77, 169.
Corpus, 169.

Decretum Dei (Retinac. Antichr.), 203, 276.
Desperatio paganorum, 132-133, 143-144.
Deus, 19-20; Deus pater, 109.
Dei testimonium, 78.
Dei ignorantia, 120.
Dies Domini :
  nomen, 145.
  incertitudo, 238, 253 sq., 257.
Doctrina epist. ad Thess., 19 sq.
Dominicus, S., (82), 163.
Dormire (*translate*), 131-132, 149, 154.

Ecclesia, 58, 91, (*plur.*) 181.
Electio = vocatio, 63, 191, 212.
Ellipses, 85, 197, 222.
Enallage personarum, 136, 243, 250, 251.
Epiphania, 206
Epistolae papyraceae, *passim*, 56, 61, 130-131, 144, 171, 172, 228.
Eschatologia, cfr.: *parousia*.
Evangelii nomen, 64-65; Ev. Dei..., Christi, 187.
Exaltatio spiritualis, 150.
Exegeseos methodus, VI, 193, 261, 288.
Fides (spes, charitas) 21-22, 61-62, **89-90**, 105, 151, 180.
Filius (*semitismus*), 148.
Filius perditionis, 199; cfr.: *Antichristus*.
finem (*in*), 94.
flamma ignis (*in*), 186.
Fornicatio, 75-76, 117.
Fratres, 62-63, 171; cfr.: *charitas*.

Gaudium (Spiritus), 67, 162.
Gloria Dei, 87.
Goïm = Gentes, 93 (187).
Graecia, 3-4, 67.
Gratia, 58, 193, 229.
Gratiarum actio, 59, 88, 106, 163, 179 sq., 211.

Hendiadys, 144, 216.
Historia Interpretationis:
I Thess. IV, 15-17, pag. 239 sq.
II Thess. II, 1-12, pag. 263 sq.
Homo peccati, 198; *Antichristus*.
Humilitas, 160-161, 287.

Ignis conflagrationis, 186.
Inerrantia S. Script., 238.
Inerrantia S. Pauli, 251.
Inscriptio, 56.
Inspirationis dogma, 255 sq.
Ira Dei, 72, 94.

Jerusalem destructio, 95.
Jesus:
nomen, 71, 91, 109, 110, **192**.
Dominus, 20, 109-110.
nominis frequentia, 109-110.
divinitas, 20, 58, 109, 110, 178, 193, 215.
mors = redemptio, 134, 153.
resurrectio, 71, 134.
reditus, cfr.: *Parousia*.
Judaea, 91.
Judaei:
Thessalonicae, 5.
Pauli adversarii, 7.
eorum peccatum, 93.
misoxenia, 93.
et Messias, 93.
eorum reiectio, 95.
non obediunt Evangelio, 187.
Judaeo-christiani, 91-92.
Judicium Dei, 182 sq.
Justitia Dei, 183 sq.
Justificare, 191.

Labor, 21, 223.
Lex talionis, 183.
Litotes, 130, 217.
Luctus de mortuis, 132.
Luther = Antichristus, 280.

Macedones, 128.
Macedonia, 3-4, 67.
Malum, 166; a malo, 218.
Mendicantes (Luther), 128.
Mendicitas pigra, 129.
Messiae *dolores*, 147.
Messianica praeiudicia, 24, 93, 233.
Messias = Judaei, 93.
Michaël, 140.
Miracula (*nomina*), 208.

Misoxenia, 93.
Mortis universalitas, 134, 141, 237.
Mysterium iniquitatis, 204.

Nero = Antichristus, 204, 264 sq.
Nomen (*semitismus*), 192.

Obedientia, 156.
Oratio, 109, 162, 167, 170, 190, 215, 226.
Osculum sanctum, 170-171.
Otium Thessal. 127 sq., 131, 160, 219 sq, 224.
Oxymoron, 127.

Papa, 199, 278 sq.
Paronomasia, 224.
Parousia in epist. ad Thessal., **23** sq.
vox, 25, **99**, 185.
dies Domini, cfr. ad h. v.
de mortuis ante adv. Dni, 129 sq.
paritas omnium, 137, 141, 234.
anticipatio parousiae, 131, 196.
otium Thessal., 127, 131, etc.
incertitudo, 144 sq., 233 sq.
subitaneitas, 146-147.
decretum Com. Biblicae, V, 136, 236 sq.
descriptio adventus Dni, 139 sq.
descriptio iudicii, 186 sq.
comites Domini, 112 sq.
signa praeambula, 196 sq.
Pascha (*S. Hier.*), 146.
Patientia, 160, 182.
Patres (Sancti), 43 sq., 130, 194.
Paulus Thessalonicae, 7 sq.
chronologia vitae eius, 12-13.
nomen, 57.
stylus, **85**, 98, 107, **108**, **179**, 197, 222.
tener affectus, 39, 59, 62, 82, 85, 95 sq., 100, 103, 106, 109, 211-212.
apologia, 17, 72.
fiducia et sancta audacia, 73-74.
oratio continua, 163.
humilitas, 170.
amor Iesu, 110.
tribulationes, 73-74.
opus manuale, 83-84, 128, 222.
et Petrus (Tubingenses), 90.
et Iudaei. 90, 92.
Pauli benedictio, 173.
Pax, 58-59, 159, 178, 227; - Deus pacis, 168, 227.
Pharisaei, 132.
Philippi, 74, 84, 98.
Philologiae necessitas, VII.
Pluralis epistolaris, 60, 77, 80, 82, 97, 100.
Poena aeterna, 188.
Poena damni, 188.
Praeteritio, 145.
Presbyteri = praelati, 156 sq.
Prophetia, 165.
Pseudo-praedicatores, 196.

Rabbini, 83.
Redemptio, 20, 153.
Regnum Dei, 24, **87**, 183, 233.
Resurrectio:
Christi, 71.
Christi et nostra, **134-135**.
iustorum, 140-141.
et dormitio, 131-132.
apud paganos et iudaeos, 132.
Retinaculum Antichristi, 263 sq.
Cfr. *τὸ κατέχον*.
natura, 201, 276.
explicationes patristicae, 264 sq.
explicationes historicae, 283 sq.
explicationes mythologicae, 285.
Romanum Imperium, 197, 202, 264.

Sadducaei, 132.

Saloniki, 5.
Salus, 152.
Salutatio *initialis*, 56, 178; *finalis*, 172, 227-229.
Sancti, 112 sq., 171.
Satanas, 97, 198.
Scenofactoria ars, 83.
Scopus epistol. ad Thess., 16 sq., 258.
Script. S. inerrantia, 135, 238, 255 sq.
Script. S. verbum formale et materiale (*R. P. Corluy*), 245, 256.
Separatio ab inordinatis, 220.
Signa et prodigia, 208.
Silas = Silvanus, 56-57.
Silvanus et Timotheus, 6 sq., 56-57, 100.
sobrium esse (translate), 62.
Spes, virtus theologica, cfr. *fides*.
Spes christiana, 62, 132-133, 152, 183-184.
Spiritus Sanctus, 21, 164, 213.
Spiritus (charisma), 164, 195.
Spiritus hominis, 169.
Subditi, 155 sq., 159.
Subscriptio, 13, 173, 227-228.
Synagoga, 171-172.

Talionis lex, 161.
Templa Spiritus S., 155.
templo Dei (*in*), 200.
Testimonium Thess. et Dei, 66, 72-73, 78, 84.
Textus, 40 sq.
Thessalonica
civitatis historia, 3 sq.
ecclesiae fundatio, 6 sq.
Thessalonicenses
conversio eorum, 7.
plerique ex gentilitate, 7, 70.
plerique pauperes, 128.
eorum fides et laus, 61 sq., 105, 115, 125, 180, 212 sq.
eorum inordinatio seu pigritia inquieta, 28, 127, 131, 160, 219 sq.
eorum hospitalitas (*S. Hier.*), 128.
tribulationes, 91.
primitiae fidei, 212.
Timotheus, 10-11, 57, 100-101.
Traditio, 22, **214**, 261.
Trichotomia, 168-169.
Tribulationes = sors christianorum, 102-103.

Venia, 161.
Veritatis (charitas), 209-210.
Via Appia, 132.
Vigilantia christiana, 21, 70-71, 147.
Vindicta, 161, 186.
Vocatio = electio, 63, 86, 169, 191.
Voluntas Dei, 21.
Vulgata et S. Hieronymus, 41-42.

IV. - INDEX GENERALIS.

Praefatio	*pag.*	v-viii
Introductio.	„	1-51
Commentarius epistolae primae	„	52-173
Commentarius epistolae secundae	„	174-229
Appendices	„	231-288
Indices	„	289-305

NIHIL OBSTAT.

Fr. Albertus Colunga, O. P.
S. Theol. Lect. et S. Script. Lic.

Fr. Thomas Garde, O. P.
S. Theol. Lect. et S. Script. Lic.

IMPRIMATUR.

Fr. Leonardus Lehu
Vicarius Gen. O. P.

IMPRIMATUR.

Fr. Albertus Lepidi, O. P.
P. Apost. Magister.

IMPRIMATUR.

† Josephus Palica
Archiep. Philippen., Vicesg.

Manuscriptum typographo traditum est

in festo B. Alberti Magni,

die 15 Nov. 1916.

Liber demum in lucem prodit

die 11 Iulii 1917.

EX TYPOGRAPHIA *MANUTIANA*

CURANTE

ORESTE SELLONI.

MUHLENBERG

31497

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS2725.V6 C001
COMMENTARIUS IN EPISTOLAS AD THESSALONIC

3 0311 00024 6962

WITHDRAWN

BS
2725
.V6 31497
AUTHOR Voste, Jacques Maria, Father
1883--1949
TITLE COMMENTARIUS IN EPISTOLAS
AD THESSALONICENSES.

DATE DUE	BORROWER'S NAME

Voste, Javibo Maria, O.P.
Commentarius In Epis-
tolas Ad Thessaloni-
censes.

227.8I
VOS